6
13-c

6-13-c-20

XXXIII·14·6·
AA.22.

ARS POETICA
EXEMPLIS ILLUSTRATA

A B

EMMANUELE DE AZEVEDO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INTER ARCADES

NICANDRO JASSEO.

TOMUS II.

Spectatum satis, & donatum jam rude quæris;
Dulcis amice, iterum antiquo me includere ludo.
Hor. Ep. I. lib. 1.

VENETIIS MDCCLXXXI.
APUD HÆREDES COSTANTINI.
SUPERIORUM PERMISSU.

PUER JESUS IN PRÆSEPIO.

JAMBI PURI.

PUellus ille, quem videtis, advenæ,
Amœna ſpes, fluentibuſque ſæculis
Levamen unicum, ut fruamur omnibus
Bonis anhelat opprimi doloribus.
Adeſte: Tu ſacro propinquus oſtio
Vides, ut impii moleſta frigoris
Laceſſit ira Pupulum tenerrimum!
Et auræ acerbat ingruentis impetus!
Sed ille nos requirit, & ſui immemor
Anhelus ore vagiente poſtulat
Ad uſque noſtra tranſilire pectora,
Ibique amoris illigare fœdera,
Rogantibuſque corda fletibus ſibi
Domum requirit; ergo pectus obvio
Reclude, dumque pulſat, explica fores.
Amore pectus æſtuante ferveat,
Amico anhelitu, & tepente flamine
Stude ſevera temperare frigora.
Vides, ut igneos movens ocellulos
Acuta vibrat undequaque ſpicula?
Cito ergo pande lata, pande brachia;
Et hoſpitale pignus iſtud excipe
Sinu; tibi ne molle cor liqueſcere,
Et emicare cœpit intus æſtuans?
Vides, ut anxie decora Parthenis
Sinu fovente ſtringit, & tenellulis
Genis pudica mille libat oſcula?
Tuis pependit ecce pronus oſculis,
Suavibuſque geſtuum leporibus
Domare poſſet ipſa bruta, Pupulus;

Rigentque corda duriora belluis?
Ut ambo flendo purpurant ocelluli!
Ut irrigatur atra terra guttulis!
Adhuc rigeſcis? Ille roris impetu
Sacris cadente more fontium genis
Domare poſſet ipſa dura marmora,
Rigentque corda duriora marmore?
Ut horridum Puellus antrum amabile
In orbe reddit; orbi ut invidet polus!
Rigentque corda duriora belluis?
Cruenta corda! Sæva corda Pupulo!
At ille geſtibus, rogatque lacrimis,
Et alba colla, refluenſque faſcia
Micat liquentibus refuſa gemmulis.
Laborat, inſtat, urget, orat, appetit.
Genis decora jam liguſtra ſubrubent,
Roſæque in ore candicant aduſtulæ,
Fugitque tota veris elegantia.
Male tibi ſit aura, quæ ferociens
Per antra curris undequaque, & aſpero
Premis rigore floſculum tenerrimum.
Tepentibuſque ludibunda ſibilis
Comam quatiſque colligiſque pendulam;
Tenellus heu venuſtuluſque Circulus
Et hic, & inde pervolat rotundulus!
Amabili Puellulo quid aſpera
Noces? gelona bruma nunquid intimo
Sinu rigeſcet, aut nivale Caucaſum?
At ille veſtra corda quærit, advenæ,
Levamen unicum exhibere poſſumus,
Levamen ex amore ſi quis offerat,
Pati libenter inde gaudet omnia,
Acerba lætus undequaque ſuſtinet.
At ille vos amanter ambit, advenæ,

Ade-

Adeſte; ſiquis optimum Puellum amat,
Puellus ecce tendit, ecce palmulas
Roſis ubique conſitas olentibus,
Eburneoſque liberare faſciis
Pedes, rigore permeante, turgidos,
Trementibuſque ſubſilire brachiis
Laborat; ille totus ardet arripi,
Sinas ut inde te rapi ſuavius.

VATES PUERUM IN PRÆSEPIO DORMITANTEM CONTEMPLATUR. Eleg.

QUid fles, blande Puer, rerum dulciſſime, quid fles?
Et triſti querulos ducis ab ore ſonos?
Heu teneris ſurdum reſonat vagitibus antrum,
Atque tuas lacrymas ſtramina dura bibunt!
Ne vagi formoſe Puer, mi Pupule fletum
Pone, dolor pectus vulnerat ipſe meum.
Vagitu mea corda feris, ne Pupule, vagi;
Cor mihi lacrymulis, ne lacrymare, feris.
Lumina jam nimio turgent humentia fletu,
Nec jaciunt ſolitas pallidiora faces.
Et tua lux frontem, & roſeus color ora relinquit;
Nec fulget niveis gratia viva genis.
Ergo ſerenato redeant tibi gaudia vultu,
Emicet & gratis riſus in ore jocis.
Incipe diductis igitur ridere labellis,
Matris & in caſtos lumina verte ſinus.
O tua ſi placido componas lumina ſomno;
Vagituſque ſopor temperet ille tuos.
Audior: ecce meis jam ſponte rogatibus Infans
Subſcribit; blandæ jam valuere preces.
Flebilibus replere Puer vagitibus auras
Deſiit, & tepidos imbre rigare ſinus.

Matris in amplexus flexa cervice recumbit,
Vixque tenet molli candida colla manu.
Interea placidus dimittit lumina Morpheus,
Creber & a roſeo ſpiritus ore venit.
At quæ divinæ fulget nova gratia formæ!
Dum recreat dulcis lactea membra ſopor!
Neſcio quid blandum demiſſis ſpirat ocellis!
Gratum neſcio quid, Virgineumque genis!
Pulchrior in media majeſtas fronte renidet,
Purpura lacteolo miſta colore rubet.
Sic, ubi diffuſis nox incubat atra tenebris,
In viridi recubat floſculus ipſe thoro.
Sic nitet irriguas liquidi Roſa fontis ad undas,
Murice cum pingit vividiore comas.
Ergo ne Puero turbet felicia ſomni
Otia præcipiti turbidus imber aqua;
Diſcordes ventorum animæ, crudelia flabra
Ponite, & iratos ore tumente ſonos.
Nec ferus Arctois Boreas erumpat ab antris,
Nec Notus adverſo turbine bella gerat.
Sed placidis pictas alternans motibus alas
Spiret ab occiduis mollior aura plagis,
Et modo tranquillis per prata volatibus erret,
Et modo populeis obſtrepet illa comis.
Vos quoque jucundo noctem mulcete ſuſurro,
Dulcia montanis flumina miſſa jugis.
At teneras motare manus Puer ecce videtur!
Parvaque ſubſultu corda micante quatit!
Ah ne tranquillos detergat pollice ſomnos!
Ne faciat madidis jurgia luminibus!
Ite procul miris fallacia ſpectra figuris,
Non facit ad Puerum pallidus iſte ſopor.
Quæ tamen in vacuis lactans præſepibus agna
Balatu matrem mœret abeſſe ſuam?

Te-

Teque importuno quis nunc, vaga buccula, cogit
Mugitu ſocios increpuiſſe boves?
Ah, ſi qua eſt pietas, raucos compeſcite queſtus;
Ni ſacitis, tenui ex corpore ſomnus abit.
At tu, Caſta Parens, nitidi ſuper ora Puelli
Illita Corycio lintea tende croco.
Et tremulas lenta volvens vertigine cunas,
Non intermiſſis concine Næniolis.

QUATUOR URBES DEGERTANT QUÆ NASCITURI DEI PATRIA FUTURA SIT.

ELEGIA

TEmpus erat, cum priſca ætas promiſerat orbi
Venturam humana oſtendere carne Deum.
Inter præcipuas extemplo naſcitur urbes,
Ut cunas aptent, nobile diſſidium.
Dat Roma imperium, Sedem parat altera David;
Et florem Nazaret appetit ipſa ſuum.
Roma, inter urbes, mundi celeberrima Sedes,
Roma virum, & regnorum omnium in orbe caput:
Digna foret Domino præbere palatia nato,
Et brumam flamma pellere odorifera.
Hæc jactare optant magni cunabula Reges;
Hanc populi obtutu ſuſpiciunt humili.
Quam bene magnificos Numen ſibi quæreret ortus
Circumfuſa inter Romulidum obſequia!
Sed docet omnipotens perituram ſpernere pompam,
Et nocuas animo ſpernere blanditias.
Tempus erit, quo colla jugo det victa, Deoſque
Fictitiis tandem pellat imaginibus.
Roma reſervatur legi per regna per Urbes
Vulgandæ; & ſedes Religionis erit.

Et Solima immortale decus lugebit ademptum;
Noſceret oh utinam tempus honorificum!
Hanc, qua plura Deus monumenta reliquit amoris,
Proteget auxiliis innumerabilibus.
Ingrata! in vitæ authorem crudeſcet ab ortu,
Et tandem ligno figet in horrifico!
Oh Solimæ infelix arbor! toto orbe miniſtrat
(Si ſapiat) fructus illa ſalutiferos.
Te Solima ad Summos Numen deſignat honores,
Debueras tanta providà ſorte frui!
At ſaltem Nazaret cunas prope tecta Parentum
Digna foret levibus texere arundinibus.
Sed ſatis eſt patriam venturi Numinis Urbem
Dici; ſat puerum cernere, ſat juvenem.
Sedibus e ſuperis intra tua mœnia venit
Divinam ad Matrem Nuntius æthereus.
Ante alias ad te deſcendit ab æthere Numen,
Inque tuo novit bis tria luſtra ſinu.
Sat noviſſe Deum poteras in carne latentem,
Utque modis infans crevit amabilibus.
Ah quoties reducem ſpernis temeraria civem
Impia! Sorte tua deſidioſa frui.
Et tamen ante oculos tectum venerabile ſervas!
Servare indignam jam genii Angelici
Oſtendunt; rapidumque ferunt, gaudentque locare
Qua donum cæleſte ex animo colimus.
Interea veſtros, Urbes, deponite queſtus,
Cuique ſuus recta lance paratur honor.
Davidica Numen decrevit origine naſci,
Inque loco vili, atque omnibus expoſito.
Qui veniſſe inquit cæleſtis panis ad inſtar,
Debuerat Bethlem ſeligere in Patriam.
Hæc tibi ſors dudum ſeclis promiſſa vetuſtis
Affulſit magnarum Urbium ad invidiam.

Et

Et quamquam ſis mole minor, tu major honore es;
Non ultra in Judæ Principibus minima.
Ex te (fatidico vates ſic protulit ore)
Promiſſus noſtri dux veniet populi.
Interdicta prius patrio commercia cælo
Reſtituet, faciles jam docet ipſe aditus.
Inde parare locum perget, cupidoque manendi
Jam nova verſat amor pectore conſilia.
Ut rapiat ſibi corda hominum, ſub imagine panis
Indiviſus adeſt noſter in orbe comes.
Jam patuere fores, & adire volentibus ultro
Æternas gaudet promere delicias.

IN PUERI JESU NATALITIO PAX CŒLO DEMITTITUR.

C A R M E N.

TEmpus erat, quo fœda Venus, ferrique cupido;
Diraque avarities medias impune per urbes
Luxuſque, impietaſque, atque omne licentius ibat
Orbe ſcelus; Summique adeo Regnator Olympi
Cernens multiplici concretas crimine terras
Perdere, jam valida torquebat fulmina dextra;
Cum ſubito intactæ ſacrata e virginis alvo
Cælicus æthereas infans effuſus in auras
Prodiit: Ut cœlo genitor proſpexit ab alto,
Conſtitit ipſe parum obtutu defixus in uno
Sive ſuum miratus opus; ſeu prolis amore,
Blandilulæque nova correptus immagine formæ.
At mox ut teneras tendentem ad ſydera palmas,
Permiſtoque videt crebris vagitibus imbre
Fratribus orantem veniam, glacieque rigentem;
Illicet obſtupuit viſu, ſenſimque remiſſa

Tela

Tela effuſa manu, atque animo furor excidit omnis:
O Puer, o Patris decus, o mea maxima virtus!
O quam te aſpicio! dixit: pacemque vocavit
Protinus ad ſeſe, Perge, inquit, nuntia Nato,
Et certa optatæ referas promiſſa ſalutis.
Me ſcelera oblitum populorum, iramque, minaſque
Depoſuiſſe, Fidem lapſis, veniamque parari;
Hæc lacrymis Pueri, hæc ſtudio conceſſa rogantis,
Hæc habeat, Patris quando præcepta faceſſit,
Atque humilis terras ſeſe dejecit ad imas.
Dixerat; illa ſacri properat mandata Parentis.
Jamque hilaris cœlo ſeſe commiſit aperto.
Protinus occurrunt, & circum gaudia læta
Undique funduntur; tum ſpes, & blanda voluptas,
Atque quies dextraque joci, lævaque frequentes.
At manus aligerum ſequitur; feſtaſque per auras
Innectit choreas, & dulci carmine plaudit.
Ridenti Diva ingreditur pulcherrima vultu,
Candida cui flavos præcingit tænia crines.
Innexo vernans ramo frondentis olivæ.
Aurea palla fluit zephyris inflantibus acta,
Auratas habilis ſuſtentat dextra catenas,
Queis vincitque animos, & fortia fœdera jungit
Corytus rutilans gumero demiſſus ab alto
Fulmina concludit nuper ſublata Tonanti:
Jamque adeo terris hærebat Diva ſub ipſis
Et propius notæ patuerunt culmina rupis;
Scilicet hic fœno poſitus placidiſſimus Infans
Lactea panniculis conſtrictus membra jacebat,
Quem medium frexis genibus tenuere Parentes.
At circum pulchro cingit cunabula cœtu
Plurima, quæ terras olim miſerabilis exul
Liquerat, & patriis virtus feceſſerat aſtris.
Nunc humilem poſtquam natum ſub vertice Numen

Au-

Audierat, cœlo rurſus delapſa ſupremo
Viſendi ſtudioſa, ſacrum convenit in antrum.
Et Pietas, & vincta rudi Patientia panno,
Atque Fides, placidoque Modeſtia candida vultu.
Ergo novos illæ ut ſtrepitus, & læta canentum
Carmina percipiunt, hinc, atque hinc ordine longo
Diſcedunt, facilemque viam venientibus ornant.
Tum ſeſe aligerum glomerat pars una ſub ædes,
Altera pro foribus liquidas ſuſpenſa per auras
Conſtitit; ingreditur trepido Pax nuntia greſſu,
Demiſitque caput; præſens & Numen adorat.
Denique læta refert ſummi mandata Tonantis.
Signaque depoſiti jam non dubitanda furoris
Fulmineam promit pharetram, flammaſque triſulcas.
Viſus namque puer ridenti plaudere vultu,
Et mœſtos oculis tandem detergere fletus;
Extenditque manus, oblataque munera captat;
Et rigidos notat ipſe, modi non inſcius, ignes;
Sed pavere boni ſubito fulgore Parentes,
Et ſuperæ Pueri luſum tremuere ſorores.
Jamque novum, & dictu objicitur mirabile monſtrum;
Ferrea in auratas vertuntur tela ſagittas,
Sævaque in innocuas abierunt fulgura tædas.
Hæc certo ſibi Dius amor nunc arma reponit
Conſilio: his animos olim domuiſſe rebelles;
Atque virum durata parat perfringere corda;
Interea miro pueri dum capta decore
Flammatos oculos, & tinctas murice malas,
Divinamque avido luſtrat Pax lumine frontem;
Olli tranquillo cœleſtis Pupulus ore
Annuit, & cunctis late diſcurrere terris,
Sævaque funeſti diſcrimina tollere Martis
Præcipit, & certis componere legibus orbem.
Nec mora; Divini Pax juſſa faceſſere Nati

Appa-

Apparat, & levibus ſubvecta per aera pennis
Æthereum primo, quem Nubila parva regebant
Reliquiæ irarum miſeris mortalibus axem
Conciliat, longeque expulſa nube ſerenat.
Nec ſatis; æternis lucem ſimul, atque tenebras
Diſſentire odiis, ſolemque minoribus aſtris
Averſum ut vidit, nec in una ſede morari;
Hæc quoque mirando aggreditur conjungere nexu,
(Ardua res, facile ſed præſtat pace miniſtra.
Qui potuit ſupremum homini componere Numen)
Ingens ergo jubar nigrantia noctis in ora,
Perque ſinum late fundit; quæ ſplendeat ipſo
Lucidior quoque facta Deo, mox & nova cœlo
Sydera ſuccendit, quæ ſolem obſiſtere contra
Partirique diem poſſint, & fœdera regni.
His ita compoſitis, mox Æthere Diva quieto
Labitur, & levibus pontum ſuper aſtitit alis
Ille ut turgentes facile deponeret iras
Nec tenui ſtrepitu pulſata remurmuret unda,
Ventos, adverſa bellum qui fronte gerebant,
Increpat, & Patriæ mandat ſuccedere rupi.
Unum, cui placidi mores, & mitior aura,
Liberiore ſinit Zephirum diſcurrere penna.
Si vobis minus æqua, inquit, ſi dura videtur
Conditio; Æthereo, mandat qui talia, Nato
Succenſete: Omnem quin huc convertitis iram!
Quin (ſi tanta animis ſedet inclementia veſtris)
Irruat in Puerum Boreas, atque irruat Eurus,
Et gelido lædant crepuſcula lactea flatu.
Hoc velit, & magno forſan mercabitur Infans,
Ingentes Infans cupiens perferre dolores.
Sic ait, hi contra nihil auſi obſiſtere pronum
Demiſſere caput, tunc & fera flamina ponunt
Ocyus, atque ſuas taciti vertuntur ad oras.

Hinc

Hinc fœdus pax alma novum, majoraque verſat
Conſilia; illa quidem terris late omnibus errans,
Hic Parthos, Medoſque Getæ fera bella moventes,
Parte alia Thraceſque ſimul, pictoſque Gelonos,
Quiq: Hæmum, Rhodopemq: tenet, quique accolit Iſtrũ
Stare acie, infeſtiſque videt concurrere telis;
Irruit, & medio ſiſtens fortiſſima campo,
Quis furor, o Gentes, quæ tanta inſania ferri!
Siccine, ait, miſeræ cupiunt vos tædia vitæ
Intempeſtivam per mutua vulnera mortem
Accire, & ſtygias citius properare ſub umbras,
Ut libeat ſuperaſque auras, lucemque peroſis.
Expoliate manum ferro, deponite tela,
Vobis namque ſalus Cælo demiſſa ſupremo
Omnibus, & ſurgit ſpes optatiſſima terris.
Dixit, & inſtructas dextra lævaque catervas
Diſceſſiſſe jubet, clypeoſque, arcuſque ſonantes,
Raptaque tela manu, meliores ſervat in uſus.
Auguſta Lyſii naſcentur origine Reges (*a*)
Imperium terris; famam pietatis olympo
Æquabunt quondam, nunc præſcia talibus, inquit,
Raptas ferre dabo exuvias, atque arma cruenta
Diffingens incude nova, miramque per artem.
Ut nempe ætherei regnum protendere Nati,
Tutari ut poſſit leges, populoſque rebelles
Perpetuo pergent ſontes contundere bello.
Poſtquã hominum ſedaſſe genus Pax candida gaudet,
Nunc ipſis etiam nova fœdera ponere brutis
Aggreditur, Sylvas, atque horrida luſtra ferarum
Ut venit, ſedeſque procul, cæcumque furorem
Aſpicit, ac lepori trigidem, damæque leonem
Atque Agnum pecudemque Lupo latus addere inerme
Ocyus & poſita juſſit formidine jungi.
Ite, & Bethleæ ſacrata ad limina caulæ

Appro-

Approperetis, ait; nova vos ſpectacula poſcunt.
Ille hunc, quo ſtatis, vitæ mortalis honorem
Largitus, Deus ipſe alti dominator olympi:
Qui tibi magnanimas, fortis leo, ſuſcitat iras;
Qui leporem fugiſſe docet, cervumque timere.
Ille inquam haud multo meliora cubilia nactus,
Nec ſedes alias, quam quas ſaxa horrida vobis,
Aut ſpelunca parant, gelidis non invia ventis,
Haud ſecus ille cavæ deſerto in culmine rupis
Reclinat modicis frigentia corpora culmis.
Ergo alacri devota cohors inſiſtite curſu,
Atque ubi ſacratæ dabitur contingere ſedis
Liminia, vos Pueri cunabula fundite circum,
Obſequio teſtante Deum, & dum Nūmen inerme
Cernitis, antiquos & vos dediſcere mores
Incipite, & poſito irarum manſueſcite fluctu.
Jamque feras, hominumque genus, jam cœrula ponti,
Et rabidas ventorum animas, terraſque polumque
Placarat, nec adhuc ſuus ordo redditus orbi eſt,
Pax Pueri quando penitus non ſubmovet hoſtes.
Illa igitur ſtygios manes, ditemque ſuperbum,
Thura ſibi, atque aras, & Divum poſcere honores
Indignata, cito antiquis excedere templis
Imperat, & rabie tumidos, igneiſque revinctos
Poſt tergum nodis, ſub triſtia tartara mittit.
Hic & Apollinei ſubiit penetralia templi
Vaniloquo indicens æterna ſilentia Phœbo,
Cortinam lacerat, tripodeſque, aureoſque lebetes
Subvertit, Tum centum aras, ſimulacraque centum
Invadens, affligit humi, fulvoque metallum
Involvit niveum, atque ingentem extraxit acervum.
Addidit & poſitæ manifeſtum ſtemma Columnæ:
Hoc Puer Æthereus ſtygio de Rege Trophæum
Venturis voluit ſic proluſiſſe triumphis;

Hæc

Hæc cunctis removere ſatis diſcrimina terris.
Ubertas comes a tergo fidiſſima Pacem
Conſequitur, campoſque beat prædivite cornu.
Jucundo quacunque gradu veſtigia ponit,
Viſa per innumeros opobalſama dulcia rivos
Currere, viſa Ceres coopertis frigore ſulcis
Impatiens proferre caput, ſubitoque recentes
Surgere certatim proprio ſine nomine flores.
Aſt hilari volucres venientem voce ſalutant,
Et plaudunt pennis, & cantibus aera mulcent.
Illa autem Libani ſcandens Sacra culmina montis
Excutit, excelſis glacialia frigora cedris,
Suſpenditque aureo redolentia poma colore.
Hinc iter Engaddi vaſtos convertit in agros,
Squallenteſque novo vites conveſtit amictu,
Atque ſinus gemmis ornat rubriſque pyropis.
Cætera ſeu ſylvis, ſeu ſummis collibus orta
Quæ paſſim offendit terſa fuligine pomis
Arbuta purpureis, & feſta fronde coronat.
Jamque adeo vernas exacto frigore luces
Ire putes, dum forma nitet nova reddita campis.
Ecce autem aerea latitans ſub nube December
(Deformis viſu facies! cui penula tergum
Craſſa tegit, barbamque nives, hirtoſque capillos
Conſpergunt) Volucrum inſuetos ſub culmine cantus
Accipit, atque agili ſtrepitare per aera penna
Audaces Zephyros, gelido proſpexit ab antro.
Utque cedros pomis, indutaque mollibus arva
Floribus, & campos flaveſcere vidit ariſtis:
Non tulit hanc ſpeciem, graviterque excanduit ira;
Ecquis, ait, temere noſtros invadere fines,
Et Sacras audet naturæ invertere leges?
Credo equidem invitus cogar diſcedere regno!
Proculcat meſſes, pendentiaque arbore poma

Ex-

Excutit, atque ipſas populatum jam petit uvas.
Viderat hunc Zephyrus jamdudum, & riſerat iras;
Tum furtim adveniens tacita ſuperaſtitit ala,
Implicuitque Comam dextra, nec tale timentem
Suſtulit, atque Senem Cæli per inania vexit.
Vaſta jacere ferunt ſeptem ſubjecta Trioni
Æquora, frigenteſque undas, quas littora circum,
Littora perpetuis cingunt damnoſa pruinis.
Huc ubi ſubvectum, per nubila ſumma Decembrem
Detulit, incaſſum luctantem, ac plura volentem
Dicere, ſubjectas Zephyrus demiſit in undas.
Atque ea diverſo Zephyrus dum littore ludit:
Jam turbis, rixiſque procul, ferrique tumultu,
Et Phegetoneis exactis hoſtibus orbe
Compoſito, ſpoliiſque, & ducto læta triumpho
Pax redit, & noti rurſum ſubit oſtia tecti.
At Puer obtutu venientem excepit amico,
Et functam egregio gratatus munere Divam,
Omne jubet ſecum poſthac conſiſtere tempus.
Et nunc illa quidem ſacrata mapalia ſervat;
Dumque parens modico recreat ſua membra ſopore,
Ipſa oneri ſubit, & leni cunabula motu
Exagitans, placidos per membra tenellula ſomnos
Conciliat; ſimul illa viros, dum ruſtica portant
Munera, & Eoo venientes littore Reges
Excipit, ac tuto reduces in tramite ſiſtit.
Hinc Ægyptiacas Puerum comitata per oras
Illi hominum mentes, & pectora reddidit æqua.
Mox ubi Nazareos remeavit fida penates,
Hinc placidas duxit tranquilla per otia luces,
Concordeſque bona confert cum Virgine ſenſus.
Singula quid memorem? Jeſu comes addita, miris
Judæas ſequitur peragrantem paſſibus oras;
Atque ipſum, ſocioſque, domum quemcumque ſubirent

Pax

Pax præit; extrema nec vero in morte relinquit:
Sed lateri aſſiſtens ipſo (quis credat?) in horto
Sacrilegos Domini juſſu quoque protegit hoſtes,
Ductorumque animis removet diſcordibus iras,
At tandem rabidis veniam tortoribus orat.
Quin etiam Eliſias functum ſectata ſub oras
Dicitur; hinc iterum redivivo plauſit, & una
Concluſos ſubiit poſtes, ſocioſque reviſit.
Donec cum patrium peteret Dux victor Olympum;
Ille ſuam nobis dat Pacem, & in orbe relinquit,
Paxque manet, cæco quamvis non cognita mundo.

(*a*) *Vide in præfatione tomi IX.. Oper Ben. XIV. pag. XIII. in Remondiana editione Verba Chriſti Domini ad Alfonſum* I. *Portug. Regem*: Volo in te, & in Semine tuo imperium mihi ſtabilire, ut deferatur nomen meum in Exteras gentes.

Cum Prophetæ de futuro Meſſia ſæpius loquuti ſint, nullus ejus nomen indicavit, niſi per Metaphoras: hoc privilegium SS. Virgini reſervatum non ſolum quia Mater, ſed quia Miniſtra a Deo electa erat primi cruenti Sacrificii. CARMEN.

VEnturum Natura Deum cognoverat olim
Sumpturum humanos artus; & munere tanto
Lapſa prius, priſcam expectat reparare ruinam.
Jam colere officiis ambit, jamque anxia nomen
Sollicitæ ſimilis quærit, quo Numen adoret.
Nomina primus homo rebus dedit apta creatis,
Hunc ea conſuluit; vultu tamen ille trerenti
Hæſitat, atque ſcelus (dixit) me noſcere verum
Impediit, miſera obnubens caligine mentem.
Obſervat Patrem electum credentibus amplis
Exultaſſe modis, felicia tempora noſcens;
Hunc adit, ille oculos ſubmiſſus talia fatur:

Forſan ego (ſic enim ſtatuit venerabile Numen)
Et genitus levis umbra ſumus; ſed quæris inani
Conſilio nomen, magnæ ſervata Parenti
Gloria ſecreta Cæli ſtatione latebit.
Tum petit impatiens afflatos numine Vates,
Venturi Domini qui ſingula geſta recenſent,
Plurimaque agnoſcit revolutis nomina chartis.
Nobiſcum Deus eſt, ſecli pater ipſe futuri,
Conſilii magni, Pacis quoque nuntius; audax,
Fortis, amans, patiens; ad ſe trahet omnia ligno
Suſpenſus; veloce gygas ad inhoſpita curſu.
Hinc Dominus, Princeps, Judex, hominumq; Magiſter
Nunc Servi formam accipiens, & bajulus inſons
Cunctorum ſcelerum, quaſi vermis, virque dolorum
Dicitur, aut agnus tener, aut ſine fele columba.
Cultor agri, innumeras qui mittat in horrea fruges,
Avellit tribulos; magna ſuperante procella
Naufragus, hinc præda felix piſcator opima.
Nunc Leo magnanimus, nido nunc providus ales,
Dux etiam egregius, ſed dux qui ſolus in hoſtem
Irruit, & turmis donat ſpolia ampla triumphi.
Inde legit, quod victrici pede conteret anguem
Fæmina, concipiet Virgo, & quem ſecula dudum
Expectant, veniet; quod candida lilia florem
Davide progenitum, & Juda de ſtipite prodent.
Qui venturus erit, jam non tardabit, & alma
Flos Jeſſe ex radice oritur, jam ſolis ad inſtar,
Diffundet nova ſtella jubar, rorateque Cæli
Sæpe audit, nubeſque pluant ex æthere juſtum.
Ut pluvia in vellus per opaca ſilentia noctis
Deſcendet tacitus: ſupera ſed voce vocati
Paſtores ſua dona ferent, telluſque, poluſque
Lætitiæ ſigna oſtendent, tum ſæva quieſcent
Prælia, tum magnos ducet fax prævia Reges,

Se-

Seclorum novus ordo aderit melioribus orſis.
Sic plura oppoſitis memorant contraria ſignis
Et tandem Vates inter tot nomina, clamant:
Induet ille novum, atque admirabile nomen.
Quo natura magis quærit, magis hæret in ampla
Congerie, & tenuem tot nomina nominis umbram
Eſſe notat: merito obſervans, quod nomina nato
Conveniant majora Deo: Cur unica mater
Impoſitura foret nomen, ſecum ipſa volutat,
Rem magnam latuiſſe videns, namque omnia miro
Conſilio veterum tacuere oracula vatum.
Tandem ignota atavis ſeri dedicere nepotes
Queis celebrare datur felices Numinis ortus.
Jamque decem fluxere prius, tum ſecula ſeptem
Et bis luſtra octo, poſtquam nos omnia Cælum
Edocuit; factumque ingens, cum naſcitur annus
Prima dies memorat, non Jano ut finxit inepte
Priſca ſuperſtitio, at Jeſu, Mariæque Sacrata.
Clarum argumentum magni (*a*) Ciceronis ab ore
Hauſiſtis: noſtros quo non facundior inter
Paſtores, nitidi ſpatiatur fluminis inſtar,
Et novus, & rapidus ſemper, nec deviat unquam
Dum ſimul audaci fertur ſuper aſtra volatu;
Inſtruit inde animos, bibulas quoque recreat aures
Quodque tamen placuit verbis ornare ſolutis,
Nunc Ego carminibus (niſu tamen impare) tangam.
Quam bene de vobis mereat Virgo inclyta facto
Noſcite mortales; veſtroque in pectore creſcat
Gratus amor; nec pene immenſum æquabit amorem.
Virgo parens, noſtræ duplex eſt cauſa ſalutis,
Namque prius dedit ipſa ægro medicamina mundo,
Atque ſalutiferum non tantum ex arbore fructum
Produxit, ſed de fructu ingenioſa liquorem
Extraxit; donum obtulerat mortalibus ægris

Donum inſigne ingens, nam tanta ſorte ſuperbos
Nos miſeros, nos Tartareo data præda Tyranno
Jam ſimiles facit eſſe Deo; gens tradita in eſcam
Æternam, flamma non conſumenda voraci
Plaudite Mortales; veſtros perpendite honores,
Exultate animis; generoſa ſuperbia ſenſus
Elevet, & vili pudeat dare colla draconi.
Nam duce ſub tanto, quæ nos bella horrida quondam
Terruerant, modo deſpicimus; victoria noſtro
Pendet ab arbitrio, ſatis eſt bene firma voluntas.
Si prona in vetitum, rectoque averſa cupido
Invaſit miſeros animos, nova gloria calcar
Addat, & ignavis generoſo in pectore vires
Suggerat, ante oculos Divinum exemplar habemus:
Nos recta docet ire via; quid tardat euntes
Pone ſequi? Vos numen amat; vos numine dignos
Reddite, & in Cælum veſtras intendite curas.
Ecce puer Deus eſt! Se numen amabile præbet,
Et ſibi jam nomen quo vos nec jactitet hoſtis
Vincere, nec noceant objecta pericula, ſumpſit.
Sumere nomen amat, quo vos ſervare fatetur;
Nobiſcum ut redeat, cælo deſcendit ab alto
Factus homo; puero ſimiles ſine viribus omnes
Labimur; audaces, qua nos præit ille, ſequamur.
Mater amans, in qua fixit ſapientia ſedem,
Hoc nobis donum obtulerat, nunc provida cœlo
Pro nobis offert; noſtra eſt jam victima, ſummo
Nunc oblata Patri, qua crimina noſtra luamus.
Quo ſigno Deus ipſe ſuos dignoſcere quondam
Conſtituit, quid opus fuerat cruciare ſupremum
Auctorem legis? Si legem implere fatetur,
Tollit onus, durumque jugum; novus incipit ordo
Longe aliis populum electum diſtinguere ſignis.
Sola tamen rerum interpres, jam conſcia magni

Con-

Conſilii (quis enim poſſet venerabile cœli
Decretum penetrare intus, niſi Numinis altrix?)
Illa quidem rupe abjecta quem nuper in auras
Emiſit, plaudente polo, plaudentibus aſtris,
Non renuit lacerate! animoſam attendite dextram,
Conſtantemque animum; vultu compoſta modeſto
Non gemitus, ſed vota offert ardentia Cælo,
Accipit inde manu cultrum, prius anxia Mater
Mater amans ſenſit transfixum in pectore cultrum,
Inde ferit, creſcitque dolor, dum vulnerat artus
Inſontes! cruciata rubent divina puelli
Membra, Sacerdotis partes ſibi Mater adaptat.
Pluſque dolet, quod cauſa ſumus, ſed noſcit in ictu,
Quod nos mortales antiquo a vulnere ſanat.
Non adſtat trepidæ ſimilis, non pallida vultu,
Non lacrymis maduere genæ, ſummique miniſtram
Numinis inſtruxit promptam reverentia dextram.
Virgo parens, gladio tibi cor penetrabit acuto
In Natum Maternus amor (ſic menſe propinquo
Prædicet lacrymans veneranda ætate Sacerdos.)
Non tamen infliges propria tunc vulnera dextra,
Sic uno immenſi venient ex fonte dolores.
Quæ genito in charo pateris modo vulnus acerbum,
Ipſa facis, ſic mille agitant tua corda procellæ.
» Oh amor! oh noſtram licet appellare Parentem
» Quæ nobis adeo invigilat; noſtramque ſalutem
» Quærit amans, genito quæ nos præferre videtur!
Sub cultro tener eſt agnus, vitæque probatur
Prodigus, atque ultro morti præludit acerbæ.
» Oh amor! oh noſtram licet appellare Parentem
» Quæ nobis adeo invigilat; noſtramque ſalutem
» Quærit amans, genito quæ nos præferre videtur!
Sub cultro tener eſt agnus, jam prima cruoris
Libamenta offert demiſſum ex æthere nomen.

BIBLIOTECA NA... ROMA... VITTORIO EMANUELE

Ipſa ſalutiferum Mater cum nomine vulnus
Imprimit, oſtendens ſit quantum in nomine pondus.
Hoc pretio redimit, tantiſque paciſcitur orſis
Non umbram ingentis tituli geſturus inanem
Humanæ implebit nomen fatale ſalutis.
„ Oh amor! oh noſtram licet appellare Parentem,
„ Quæ nobis adeo invigilat, noſtramque ſalutem
„ Quærit amans, genito quæ nos præferre videtur!
Quem (Solima) horriſonis laceratum terga flagellis,
Quem vinclis arctum, & cruciatus inter acerbos
Quem duro irridens pendentem a ſtipite cernes,
Cuique manus, clavoque pedes, & tempora ſpinis
Transadiges, ferro, cui cor penetrabis acuto,
Purpureos ultro pro te jam ſpargere fluctus
Incipit ..... Extremæ ſed erit tibi cauſa ruinæ
Quod reliquis medicamen adeſt, pretiumque ſalutis.
Nam furibunda olim rabies, odia aſpera, livor
Lictor erunt; nunc matris amor; nunc ipſa volenti
Magnum onus injunctum pretioſo ſanguine firmat.
Oh Solimæ Cives, decreta æterna ſceleſti
Impleſtis, furor ignaros admittere cogit
Crimen inauditum: Vobis ſcelerata movebunt
Brachia tartareæ furiæ: nunc brachia Matris
Intus agens movet ipſe Deus; movet anxia recti
Relligio, movet alma fides, movet unica virtus.
Inſtruit hæc animum, dulceſque in pectore motus
Sedat, & ex oculis prohibet deſcendete fluctus.
Nam lacrymæ quamvis magni ſint ſigna doloris,
Dulce levamen habent, mœſto ſolamina præbent.
Hæc tibi (quæ leges agnoſcere Mater amandi,
Sola potes; nec dilexit magis altera natum)
Hæc tibi (dum laceras puerum, & venientibus annis
Dum Cruce pendentem cernes, hæc parva negantur
Blandimenta animo; lacrimas dolor opprimit ingens,

Quem

Quem patitur cum Matre Deus, cruciatur ut ille
Exterius, tua corda ictu lacerantur eodem;
Dumque doles, in Cor geniti nova ſpicula mittis.
Concava ceu radiis acuunt ſpecularia vires;
Haud ſecus inter vos pœnas ab utroque reflexas
Mutuus auget amor: grave onus modo nominis una
Injungis recipiſque; ſimul quoque victima noſtro
Siſteris auxilio, Nati comes ipſa dolorum.
Sic Comes humanæ cum Nato cauſa ſalutis,
Unica cæleſti meruiſti voce doceri,
Unica tu genito meruiſti imponere nomen,
Nomen honor ſuperis, Erebo fuga, gloria Mundo,
Spes hominum, jucunda fides, & flumen amorum,
Vita, ſalus, medicina, quies, via, norma, levamen,
Mel ore; aure melos; lux mente, & corde voluptas,
Sanctum, auguſtum, ingens, generoſum, & Numine di-
Dulce, ſalubre, decorum, & amabile nomen Jeſu. (gnum

(a) *Exc. D. Jo: Gaston. Marcelinus Fanenſis Coloniæ Auctor, & Mœcenas.*

ET ſi Divinum Puerum duro admodum vitæ initio uſum eſſe ſacri codices teſtentur, hæc tamen incommoda magnis ſunt mitigata ſolatiis; Nam quo ſtudioſius, ignominias doloreſque complectebatur, eo impenſius Cæleſtis Pater exiſtimavit, & affecto corpuſculo indulgendum eſſe, & nominis famæ conſulendum; ut omittamus ea prodigia, quæ Chriſto vix nato tantam gloriam pepererunt, qualem nemo unquam eſt aſſecutus; cui obſcurum eſſe poteſt humanæ voluptati illi fuiſſe dulciſſimi Angelorum concentus, & clariſſimi intempeſta nocte ſplendores, quibus finitimi Paſtores excitati ſunt, ac fide pleni ejus

cunabula veneratum acceſſerunt. Regum vero exterorum obſequia, ac Matris blanditiæ ſuaviſſimæ, quis non dicet vel acutiſſimas moleſtias potuiſſe obtundere? Quod quoniam id nobis fortunæ obtigit, ut Academiæ noſtræ primitias Jeſu Puero devoveremus, haud infictam noſtris carminibus materiam viſum eſt ſuppeditare. Itaque multa quæ cæleſtem infantem a curis evocare poſſent coloribus a poeſi mutuatis, illuſtrare excogitavimus. Quod ſi tamen genus ſcripturæ leve, & non ſatis dignum ſummorum virorum perſonis ſecuti fuimus, dabitis, ut opinor, hanc veniam, Auditores; Si de benignitate veſtra, quæ tantum litterariis noſtris exercitationibus deferre conſuevit, judicium æquo averſantius fecimus. Sed quo citius, hoc quod ſuſcepimus non mediocre munus conficere poſſimus, cum id vobis haud ingratum fore certum ſit, ad propoſitum veniamus, atque in hac qualicumque exponemus Academia Puero Jeſu acerba quæque perferenti laborum ſolatia.

AMORUM LUSUS.

ODora per vireta, qua tenelluli
Gelu virente prodiere floſculi,
Virentibuſque dulcis uva pampinis,
Et arbor aureis onuſta fructibus
Nivis, notique riſerant ferociam,
Pudica turba, parvuli cupidines,
Jocis vacabat: Unus ex ſodalibus
Volemus inquit? ire quo ſed expetis
Comes tenelle? ſubdidere cæteri.
Et ille: belli in ora chara Pupuli
Roſiſque picta, liliiſque florida,
Cito per æthera alulis ſtrepentibus

Apum

Apum venuſtus ille nimbus avolat,
Superſedetque floſculum tenerrimum.
Genas ut ipſe ſuaviatur aureas!
Ut hic in igneos ruens ocellulos
Acuta vibrat undequaque ſpicula?
Ut iſte neſcio quid in coralinis
Labris ſuſurrat; & tepente flamine
Studet moleſta temperare frigora.
In ore quiſque dum jacere lacteo
Anhelus optat, incitiſque viribus
Laborat alter, alterum retrudere;
Amor minutulus, tener, miſellulus
Et ipſe captus oris elegantia
In ore amabili accubare nititur.
Sed heu repulſus immerenter excidit
Eburneum in ſinum! inquit ſodalibus:
Quis aquieſcit aptiore nidulo?

MEDICAMENTUM VULNERIS.

TEnella membra cum ſoluta faſciis
Thoro Puellus explicavit aſpero
Minuta ſpina ſæviente cuſpide
Latus recline pungit, & coralino
Decora tingit (heu!) liguſtra ſanguine:
Liquor cruentus undecumque depluit,
Croci, roſæque prodeunt tenerrimæ,
Rubentibuſque ridet herba gemmulis.
Dolore pallet, & repente Parthenis
Sibique ad iſta molle cor liqueſcere
Sinuque proſilire ſentit anxio.
Et ora defluis refuſa fletibus
Studet tepente triſte vulnus halitu;
Suavibuſque colligare faſciis.

Puer

Puer ſed igneis niters ocellulis
Quid (inquit) ima te cruenta guttula
Premit labore fluctuante, & excitis
Rigare mœſta cogit ora lacrimis?
Acerbiora corda, Mater, indue
Perennibuſque fræna pone lacrimis,
Vel hæc ſubinde copioſa luminum
Mihi tributa pende lacrimantium,
Rubis corona texta cum rigentibus
Caput tenace complicabit ambitu,
Cruorque ſpumeis tumeſcet imbribus,
Et effluentis inſtar amnis affluet.

LAC.

VIdes ut hæret inter alba lilia
Apis, niveſque fugit ore floreas,
Ut inde pura mella poſſit aureis
Favis parare, ſic decora virginis
Amabilis Puellus ambit ubera,
Tepenſque nectar exprimit labellulis,
Nova ſubinde ut arte mella conſtruat.
Age ergo, Suge dulciora munera,
Sed una gutta lactis, oro, ſuppetat
Mihi; furoris hac venena conteram,
Linamque dulci amara verba nectare.
Doloſa tela ſi cupido torqueat
Sinuque ſerpat atra flamma, Cyprios
Rogos fluente rore promptus opprimam.
Tumentiore concitatus ambitu
Tibi refundo vota ſi precaria
(Puelle) parce, membra dum tenerrima
Solo rigere nuda cogis horrido,
Superba gaudet eſſe poſtulatio.

AU-

AURA.

AD PUERUM JESUM SUB ALLEGORIA FLOSCULI.

SUavis aura, quæ ſtrepente ſibilo
Per hæc beata curſitans roſaria,
Refrigerante lambis ore floſculos;
Tenerrimiſque recreas teporibus
Modo hæc, modo illa rore læta gramina;
Age huc celerrimis veni volatibus,
Meumque lambe delicata floſculum;
Cui liguſtra puriora nectare
Crocuſque, liliumque cedit, & roſa
Genuſque pulchrioris omne germinis.
Per alta volvit aggregata murmura,
Et ater Africus, Notuſque turbidus,
Gravique denſa nix ab axe decidit.
At ille floſculus tener venuſtulus,
Diuque concupitus ante Gentibus
Fremit rigetque duriore frigore.
Ut inter alba frondium volumina
Strepit ſonorus Auſter heu tenerrimum
Puellum acerbat, & colore pallido
Adumbrat ora; languet alma gratia,
Odorque mittit ultimos anhelitus.
Cito ergo mollibus revincta tæniis
Adeſto ruris elegantis hoſpita
Et innocentibus fove coloribus
Decuſque veris, hortulique gaudium.
Videtis: anne me decora decipit
Imago? nubibus ſedens nigerrimis
Propinquat aura, perque læta gramina

Co-

Cohors volatili, volutat ambitu,
Manuque picta ventilat flabellula.
Sed heu! venusta dum per ora carpitans
Reciprocante lege motat alulas,
Facesque dulcioris ignis excitat.

CARMEN CANTUS.

JEsseo ante alias quondam fidissima vati
Musa leves choreas, numerosque exosa profanos
Aonios inter colles, assuetaque mites
Jordanis ripas, & Sacri culmina Judæ,
Fatidicis resonare modis, nunc cognita nulli
Multa gemens Sylvis jamdudum errabat in altis.
Forte inter scopulos, desertaque lustra ferarum
Longam emensa viam Bethleæ rupis ad antrum
Venit, ubi paleis, & stramine fultus acuto
Infans una Deum soboles pulcherrimus infans
Implebat mœstas teneris vagitibus auras.
Constitit, atque oculos formoso infixa puello
Nescio quid rosea spirare ab imagine vidit
Davidis, attonitam confestim gaudia mentem
Pertentant, subiitque animis accensa Cupido
Scitari Matrem, generisque inquirere fontem:
Cum subito Pueri sese de vertice fundens
Ignea lux radiis veluti vibrantibus omnem
Involvit faciem, totumque obit aurea corpus
Incertosque novo perstringit Lumine visus.
Tum vero aspectu patuit Deus: illa ubi summi
Progeniem Patris, speratagque gaudia terris
Agnovit, tales emisit pectore voces.
O Puer, o Cœli decus, o mea sola voluptas!
Te qualem aspicio! Sic te promisimus olim
Orantem populis veniam, glacieque rigentem.

Di-

Dixit, & ex imo ducens ſuſpiria corde
Procubuit, ſanctique ſpecus ſub limine primo
Oſcula mille ſolo figit, cum præſcius ille
Spiritus illabens magno præcordia motu
Intus agit, verſatque animos, totoſque per artus
Funditur, & Muſam flammis cœleſtibus urget.
Continuo attollit ſeſe, majorque videtur,
Nec mortale ſonans cythara modulatur eburna
Divinum Carmen; Summi domus ardua Cœli
Obſtupet; in ripis ſtagna acclinata quieſcunt,
Et venti poſuere, & rauciſſima Amphitrite.
Illa canit totum teneris vagitibus orbem
Concuſſum; verſaſque acies Acherontis, & omnes
Sub pedibus Pueri terras, qua Phœbus utrumque
Aſpicit Oceanum. Varias vulgata per oras
Fama volat, reſonant valles, Sylvæque profundæ,
Gaudiaque ingeminant celſis in Montibus Echo.

CHARITAS.

DIvinum properans adit puellum
Accitus chorus ipſe Gratiarum.
Sed vano facies peructa fuco
Et molli nimium ſerena riſu,
Et pluſquam deceat decora veſtis,
Et miſti illecebris joci doloſis,
Et quidquid medias ſolet per aulas
Fictis tangere laudibus medullas.
Avertit Puer igneos ocellos,
Et Matris quoque nauſeantur ora.
Tum vero charitas procaciores
Ipſas ne fugeret Puer, Parenſque,
Fucos, illecebras, jocos, doloſque
Reſumpto ingenuo pudore ponit.

Quam

Quam fucus prior illi diſplicebat,
Tam Matri, & potuit placere Nato
Simplex, ingenuus, recenſque cultus:
Sic vobis chorus iſte gratiarum
Simplex, ingenus, recens probatur.

RUSTICA MUNERA.

In Muneribus vultum tuum deprecabuntur Pſ.44.

POne modum lacrymis, Rerum dulciſſime; Rupes
Molleſcunt; tecum monſtra vel ipſa dolent.
Ne vagi, formoſe Puer, non ipſa querelas
Quæ tibi blanditur, ſuſtinet aura tuas.
Blanda ſerenato redeant tibi gaudia vultu,
Emicet ingenuis riſus in ore jocis.
Sunt hic caſeoli, crudumque oblita ſaporem
Poma, & pampineis uva adamicta comis.
Sunt molles violæ, tereti ſunt perlita rore
Lilia, purpureis miſta papaveribus.
Cerea pruna fero, properataque liba caniſtris,
Et pura in puris lactea dona cadis.
Albaque ſecretis gelſimina vecta viretis,
Pubenteſque roſas, lucteoloſque crocos.
Ne vagi, mea vita, rudi ſub fornice rupis
Eſt mihi, quæ fœtum candida lactat, ovis.
Hunc vitrei ad fontis ripam lotum, ac bene paſtum
Inſtruet ad faciles virga magiſtra ſonos.
Tum fronde, & flore inſignis tibi ſe dabit, & ſe
Palpari domina geſtiet uſque manu.
Ne vagi; intexto concluſus vimine paſſer
Pipilat, & nugas provocat ore tuas,
Et circunſiliens nunc huc, nunc improbus illuc
Impoſitas morſu vellicat acre moras.
Impatienſque ardet recluſo carcere liber

Per-

Perque tuos crines ludere, perque manus.
Incipe diductis igitur ridere labellis,
Brachiaque e tortis exere faſciolis.
Et tibi delicias dederit cum blandulus alis,
Virginis in puro lumina claude ſinu.

DIVINUS INFANS JESUS
Tenerrimæ Jeſuitarum Deliciæ In I. Societatis Sæculo.

Ratio operis.

Jeſus naſcens naſcentis in primo Sæculo
Societatis Amor, curæ, honor

Naſcenti Jeſu
Naſcens Societas conſecratur;
& quidem
Jure naſcentis Sæculum ſibi vindicat
Qui ſæculorum Rex naſcitur.
Vere Puer centum annorum
Citra infamiæ notam.
Dictum corrigo
Sæculum Pueri eſt,
non Puer ſæculi.
Verum
Gratæ reſpondent amoris vices;
Jeſu ſocietas eſt
&
Societatis Jeſus.
Hic cognomini ſibi familiæ conceſſit
Heroum ſæculum
quod
Poſteris eſſet exemplar.
Ut igitur ſcribendi initium fiat,

Un-

Unde ſocietas naſcendi ſumpſit exordium,
Primo ſæculo continemur.
Poſtea Rhetores candidati
Secundi laudes proſequentur:
Cæterum
Haud aliquid commendabile pollicemur præter animum,
Cujus merito condonanda ſunt cætera.
Nam, licet de Puero agimus,
Nihil puerile eſt, niſi ſtylus;
Materiæ ſiquidem ſublimitas
Deprimitur forma.
Cum tamen ſocietatis delicias deguſtaveris,
Ad conditorem, Lector, non attendas;
Ea quippe tibi propinamus,
quæ
Vel nullo temperata condimento
Dulciſſime Jeſuitarum palato
Arridebunt.

Pater Bernardinus Realinus media hyeme non commodius quam æſtate induebatur in Pueri Jeſu naſcentis obſequium; quem cum frigore affectum meditaretur præſentem ſibi in ulnas accepit tantoque exarſit amoris incendio, ut nulla deinceps temporum injuria vexaretur.

P. REALINUS AD PUERUM JESUM.

QUid tè, belle Puer, captare incommoda noctis;
Degere inhumano ſub Jove cogit? Amor.
Ergo abſterge nives, & amoris concipe flammas;
Non bene, ni caleas, nomen Amoris habes.
Sol ades, in Bethlemque tuos novus exeris ortus;
Quis Solem credat frigora dira pati!

Ignis

Ignis amor Deus eſt; tibi pectus ab igne caleſcat;
Lumina quis credat frigidiora nive?
Sol ades; Ignis ades; mala frigora mentibus arces;
Per te clara novo naſcitur orbe dies.
Rem teneo: Sol iſte vices mutavit, & ignis;
Quæ reliquis arcet frigora, captat amor.
Teſtis amor Deus eſt; incendia mittit in orbem;
Utque accendatur frigidus orbis, amat.
Flagrat amor, frigent homines; mutatur utrumque:
Ut caleant hominum pectora, friget amor (captas?
Pœna quidem eſt ſcelerum frigus; Quid frigora
Frigore debueram frigidus eſſe tuo.
Ne tibi, belle Puer, mihi debita frigora ſumas;
Quid tibi de noſtro crimine pœna venit?
Ergo meum patiar frigus penetrare Puellum?
Serpet in immeritum cur ea pœna Deum?
Non ita, divus Amor, tua frigore membra rigeſcant,
Hæc eſt criminibus debita pœna meis.
Frigeſcam: tu ſume tuos Puer igneus ignes;
Ne veniant damno commoda noſtra tuo.
Ille ego, qui vitiis jam primo a limine vitæ
Deditus, æterno frigore dignus eram,
Dignus eram nullo cæli ſuccendier igne;
Semper ut e cælo devius ipſe fui.
At mihi, quo pectus flamma propriore caleſcat,
Sol novus in noſtro naſceris orbe Puer.
Non tamen aſſumas, quæ frigora gentibus arces;
Non bene conveniens hoc tibi frigus erit.
Accipe, Pupe, meo, qui corde exæſtuat ignis,
Hunc tibi de noſtro pectore mittit amor.
Utque magis patiar, quæ te mala frigora vexant,
(Sæpe magis flagrat, qui mage friget amor)
Non ego contra hyemes munimina commoda quæram;
Utar multiplici non ego veſtis ope.

Veſtis erit, mediòs mihi quæ ſolet eſſe per æſtus;
Atque levi tunica frigida membra tegam.
O utinam rigeat mihi cor glacialibus Auſtris,
Alpinæque volent in mea membra nives!
Nec frigeſcet amor; flammas a frigore ſumet;
Ignis enim placidum cum nive fœdus habet.
Namque ubi, Pupe, nives, fueras licet ignis, amaſti;
Neſcio quid nivibus, Pupe, caloris ineſt!
Ergo nives avidi jam pectoris ardor anhelat;
Intus ut externo frigore creſcat amor;
Nam nivibus (licet exemplis ſi talibus uti)
Scit ſervare fidem pectoris Ætna mei.
Ergo iterum mea corda nives, & pectus anhelat;
Nix poterit flammas addere, flamma nives.
Proh quam grata nives ſervant commercia flammis,
Poſtquam ſponte nives induit ignis amor!

Ad Idem
PUER JESUS AD P. REALINUM

QUid fugis noſtros, Realinus, ignes!
Ad ſacros audax propera nitores,
Non inurbane ſupero recedas
Devius igni.
Senties ſolem jubar explicantem,
Cujus aſpectu glacies liqueſcit;
Deinde non acres patiere brumæ
Frigidus iras.
Ignis attactu tibi Cor aduram;
Vividum infundens animo calorem,
Sic ut in vultu novus, atque membra exuberet ignis.
Dixit: obliquos puer inde ocellos
Dulce ſubridens, & amœna torquet
Ora;

Ora, teſtatus nimium jocanti
Gaudia geſtu.
Pectori dextram admovet, & favillas
Inſerens cordi Puer æſtuoſo,
Cede jam noſtris, Realine, dixit
Victima flammis.
Frigore expulſo, face pectus uri
Senſit ardenti, nec egent perenni
Pabulo flammæ; retinent vigorem
Tempus in omne.
Sæviat duro furibundus Auſter
Turbine, immiſtaſque gelu pruinas
Volvat, haud ullo calefacta torpent
Frigore membra.

P. Bernardino Realino Pueri JESU Natalitium contemplanti B. Virgo Infantulum lucis circulo circunfuſum, in amplexus tradidit, quem Pater ſtrictiſſime pectori conjunxit, donec diſparuit.

DUm tibi rite preces fundit Realinus ad aras;
Belle Puer, dulci captus amore tui;
En tua Mater adeſt; Auroram credere poſſem;
In gremioque jaces ſarcina grata ſuo.
Aurea circumdant tibi, Pupule, lumina frontem;
Solis ad invidiam lumina frontis erant.
Solis ad aſpectum (ſint hæc donanda Puello
Nomina, luminibus non tamen æqua ſuis)
Læta tuo, Realine, dies in pectore fulſit;
Nox tibi ſiqua animo federat ante, fugit
Aſpicis ut lætos color explicat aureus ignes,
Ut color in nitidas ſpargitur ille comas?
Gratia nativo diſtinguit murice frontem;
Divina ante oculos mentis imago venit.

Scintillant duplici duo lumina clarius aſtro;
Ora nives poterant vincere, labra roſas.
Iridis in ſpeciem ſua circulus ambiit ora,
Solis ut effigies hac quoque parte foret.
Nec ſatis hæc: blande obliquis ſubriſit ocellis;
Teque petit, Matris dum fugit ille ſinus.
Excipe; namque tuis, dum Jeſum amplecteris ulnis,
Crede: libens animo naſcitur ille tuo.
Dulces amplexus, atque oſcula dulcia fige;
Plurima lætitiæ ſigna Puellus amat.
Signa Puellus amat: quid te, Realine, moratur
Plurima lætitiæ prodere ſigna tuæ?
Dum tamen externis profers tua gaudia ſignis,
Ad tua tranſgreditur pectora Divus Amor.
Labitur amplexus Puer inter, & oſcula fallit;
Ignota vacuas deſerit arte manus.
Non tamen abſentem (tua conſule pectora) ſentis;
Conſule quos motus excitat intus Amor.
Corda pio petit ipſe dolo, fuga conſcia fraudis
Non fuga, ſed propius quærere corda fuit

Mag. Caroli Cæſarii anima Puero Jeſu, Deipara præſente, & Angelo Cuſtode Paranympho deſponſata eſt.

LAnguida jam prono vergebant ſidera cælo,
Et nitidis vellata comis, reſolutaque crines,
Humentes Aurora poli dimoverat umbras;
Cum meliore videt Carolus radiantia luce
Tecta; novi paulatim implent conclave nitores.
Ingreditur pennata Cohors, & poplite flexo
Pars Dominam venerata ſuam, pars altera ſedem
Extruit hoſpitibus dignam; Sed lentius intat
Parthenidem comitata gravi pars maxima greſſu.

Divi-

Divinam agnovit Carolus ſuccedere Matrem;
Æthereumque videns Puerum reverenter adorat,
Demiſitque oculos, totoque expalluit ore.
Tum lætus Puer accedit, ridentis ad inſtar
Matris ab amplexu Carolo puerilia tendit
Brachia; & amplexus, nec non blanda oſcula figit
Chara per ora manus ducens, pellitque timorem.
Pone, inquit, pone ancipites de pectore curas,
Namque animam quæro ipſe tuam, Thalamoſq; pudicos
Ambio, teſtari noſtrum, quæ poſſit amorem,
Mater adeſt; junge æterno mihi fœdere dextram;
En Paranimphus erit, qui te comitatur, Achates
Miſſus ab æthereis dudum in tua commoda regnis.
Vix ea: cæleſti Carolum dulcedine complet.
Annulus hinc, Pueri quem parvula dextra ferebat,
Inſeritur digito, ſacra ut connubia firmet,
Hos ſolitum adduci jampridem munus in uſus.
Nec ſatis hæc; teneris delibans oſcula labris
Delicias ſuperum, & puros afflavit amores.
Qui tibi nunc ſenſus, tantæ mens conſcia ſortis,
Nupta Deo? Senſim æthereo conſumeris igne,
Et tibi lætitia pectuſque, animuſque liqueſcit,
Ut valle aprica nix tacta potentibus Auſtris.
Vixque ſibi tandem rediit, mentemque recepit,
Quo me, Pupe, inquit, quo me dignaris honore?
Nonne ſatis mihi, Pupe, tuis famulatibus addi?
Pone modum, Puer, obſequiis; te ſubtrahe noſtro
Aſpectu; plenamque favoris contrahe dextram.
Te vellem, nove ſponſe, frui; ceu fidus Oreſtes;
Semper adeſſe comes lateri; ſed plurima terrent,
Quæ ſubeunt heu! ſæpe meam ſcelera impia mentem;
Talia dicta dabat; Lætis reſpondet ocellis
Plaudenti ſimilis, taciteque elapſus in auras
Sidereum ex oculis per callem evanuit Infans.

Concentus ſuperum auditi; ſit ſemita lucis;
Qua graditur; caſtiſque exhalat odoribus aer.

P. Antonio Martins Jeſus apparuit telis armatus, & pharetra; unoque poſt aliud in cor ejus excuſſo, demum Jeſus ipſe in ſagittam verſus Cor ejus penetravit.

DIſcite quid ſit amor; quo robore pectora vincat:
Ah quibus, ah quantis utitur ille rogis?
Ille ſuos ignes, ſua dulcia conjicit arma,
Arma modis animum vincere docta ſuis.
Cuſpis habet flammas, quibus intima pectoris urit,
Nec, niſi vincendo, prælia tentat amor.
Et jacit, & jactis cor vulnerat ille ſagittis,
Vulnerat, & lento vulnere Corda rapit.
Corda rapit, nec enim ſolas in prælia vires,
Nec ſolum niſus exerit ille ſuos.
Se quoque cum telis jaculatur ad intima Cordis,
Cum telis telum ſe facit ipſe ſuis.
Ingenium quam dulce, & quam tractabile nobis
Induit! O animis quam pia bella movet!
Tu mihi, tu puros reſera Martinius ignes,
Teſtis enim flammæ, queis Amor urit, ades.
Namque fuit ſacris tibi Cor penetrabile telis,
Et cupidum vinci pectus amantis erat.
Eja age, prode rogos; mihi prode incendia; prode
Vulnera; prode mihi prælia, prode faces.
Qualiter emiſſas animaret flamma ſagittas;
Miſſaque quot flammis tincta ſagitta foret;
Quam repetita forent repetito vulnera jactu;
Nota ſit indicio pugna canenda tuo.
Venit amor ſubitis moturus prælia telis,
Et curſus ad te dirigit ille ſuos.

Ve-

Venit, & ex humeris habilem ſuſpenderat arcum,
Tela quoque in plena multa fuere manu;
Te videt, & viſo dum gaudet, amabile pectus
Trajicit, hanc metam flammea tela petunt.
Quale tibi pectus, dum vulnera ſenſit amoris!
Qualia cordis erant gaudia, qualis amor!
Ille ſuas ad te, ſua duplicat arma, ſagittas:
Et cor poſt miſſam miſſa ſagitta petit.
Non bene, dixit amor, ferit hoc tua pectora telum,
Aptius ad metam ſpicula noſtra volent.
Noſtra ſed obliquo jaciuntur flammea curſu
Spicula, perque latus devia cordis eunt.
Hæc nimis aſſurgit meta ſublimior; illa
Avolat inferior corde ſagitta tuo.
Illa cutem adlambit, non hæc bene perforat artus,
Vixque ſuperficiem pectoris iſtæ ferit;
Nec cæcum dicas, quamvis illudor, Amorem;
Namque ſuos fines utilis error habet.
Ecce juvat tecum modo ludere; pectore ludam
Ipſe tuo, telis tu quoque lude meis.
Hæc Amor; at nullas potis es modo reddere voces;
Nam tua, Martini, ſupprimit ora pudor.
Ille tamen ſacris tua corda caleſcere flammis
Sentit, & in puros pectus abire rogos.
Et magis, atque magis Cor amanti exæſtuat igne;
Et magis, atque magis pectoris Æthna calet.
Ipſaque jam cedunt pia corda libenter Amori;
Cedunt, namque omnis pugna triumphus erat.
Non tamen, inquit amor, ſatis hæc mihi palma videtur;
Tu nova palma mihi, tu nova laurus eris.
Non telum, non ulla mihi jam ſpicula reſtant;
Aſt ego jam telum, nervus, & arcus ero.
Si cor expugnant facili mea tela triumpho;
Cor citius vincent hæc nova tela tuum.

Jam vici, fateor, mihi jam tua pectora cedunt;
Attamen eſt variis palma ferenda modis.
Fas erat obliquo mea ſpicula mittere curſu;
Fas erat, ut jaculis certius iret Amor.
Nam me conſulto manus iſta fefellit, ut aptus
Ad te pro jaculis nunc jaculator eam.
Nec mora: depoſitis ſe projicit ille ſagittis,
Et jaculi ritu pectoris ima ferit,
Et ſeſe inſinuat per membra, per intima cordis;
Et te, Martini, dulcis adurit Amor.
Nec niſi jam fulgor, nec jam niſi flamma videris;
Pectus enim non jam pectus, at ignis erat;
Viſcera divinis jam facta incendia flammis
Ardebant, nec jam viſcera, at ignis erant.
Ignis erat tua mens, & erant tua corda favillæ;
Multus & in membris ignis, & ignis erat.
Qualia Divino tua corda Cupidine! quantus
Ignibus accenſis æſtuat intus Amor!
Quam bene Divini ſacra tela Cupidinis ignes
Accendunt! quanto Corda nitore micant!
Adde quod æternos tibi dat novus ignis honores;
Ah tibi quanta venit gloria, quale decus!
Eſt aliquid propius Sacra Numina poſſe tueri;
A ſuperis parca ſors datur iſta manu.
Sed tibi conceſſum non tantum poſſe tueri;
Intus at admiſſo numine poſſe frui.
Ergo age, rumpe moras, atque inflammantia pande
Lumina, pande novo quantus in igne vigor,
Fare age, quid ſacri ſtupefactus Amore Puelli,
Ceſſas immenſos prodere voce rogos?
Quo feror? haud verbis locus eſt; ſed fontis ad inſtar
Effluat, & partes lacryma Vocis agat.
Nam bene facundo per amantia lumina fletu
Cor loquitur: Voces, Pupule, funde tuas.

Fun-

Fundè, quod ampla Oculis nunc eſt conceſſa facultas;
Opportuna ſacris ignibus unda venit.
Nec flammam extinguet, ſed ut amplius augeat ignes
Proſilit; has undas hic ſacer ignis amat;
Dum tamen in teneros liqueſcunt pectora fletus,
Lætitiæ comites nos juvat eſſe tuæ.
Et tua jam ſocio comitamur gaudia fletu,
Participes tanti, qua licet arte, boni.
O utinam ſimili Cor nobis intus Amore
Ardeat, ut fletu poſſumus eſſe pares!

P. ANTONIUS MARTINS

Epitaphium ſcripſit Puero Jeſu in Corde Sepulto.

Se velut in tumulo, meus hic ſepelivit Jeſus;
Quem ſuus in ſedem vexit Amoris Amor.
Cor nihil humanum complet, niſi Numen, at ipſum
(Præter cor hominum) nil ſibi Numen amat.
Nec potui corda uberius ſatiare, ſepulchro
Nec potuit Numen nobiliore frui.

Dictum corrigit.

Non jacet in tumulo, mea vivida corda Puellus
Efficit, ut concors ſit mea vita Deo.
Ut totum me prædetur, novus incola Corde
Inſidet; equè throno regnat Amoris Amor.
Quam tibi ſim Cordi, ſedes nova, Pupule, monſtrat;
Et nova, quam Cordi ſis mihi, vita probat.

P. Joan-

P. Joannes Aguirri, cum ſcrupulis angeretur; a Chriſto D. ſuaviſſimis amplexibus, & oſculis recreatus eſt.

PUER JESUS.

QUid turbulentis pectora motibus
Dudum fatigas? lintea contrahe,
Ne te vacillantem procella
Obruat, ancipitemque recti
Submergat imo: mentis in omnia
Pronæ quietem cura volubilis
Diſturbat, atque inſomniorum
Dira comes movet innocenti
Triſtes procellas corde, quod uſtulant
Amoris ignes. Quid male ſufficis,
Perculſus inſano timore,
Perpetuis alimenta curis?
Times patrato Numina crimine
Infenſa, Divos lædere neſcius?
Expelle jam certus pavorem,
Non ſuperos, niſi ſponte, crimen
Lædit patratum; nec mala ſomnia
Uteumque fictis ducta coloribus,
Quæ mentis obturbant receſſum,
Relligio timuiſſe debet.
Nimis ſceleſtus fingeris, innocens
Tui ipſe tortor; non tibi vindices
Advolvit, intenditque vultus,
Voce minas jaculante, Judex,
Pœnæ imminentis ſigna; neque explicat
Affixa ligno membra perhorrido,
Ut exprobret caſſos labores
Indicium exitialis iræ.

Sed

Sed grata libo Pupulus oſcula
Impreſſa labris ſæpe tenellulis,
  Atque inter amplexus pudicos
    Signa animi peramantis edo.
Agnoſco: geſtit cor tibi gaudio
Tot lancinatum nuper aculeis!
  Divina ſuffuſo per ora
    Ambroſiæ recrearis hauſtu.
P. Auguir. Hyblea cedant mella, ſagacium
Flore adminiſtro, dulcis apum labor;
  Quamquam arva prædatrice cura
    Ingenito viduentur oſtro;
Quamvis agrorum pompa fragrantium
Tutis rapinis marcida langueat,
  Ac prata nativo decore
    Nuda, ſuos minuant odores
Datura nectar; fartaque Saccharo
Bellariorum fercula cedite,
  Non hæc palato nauſeanti
    (Credo equidem) poterunt placere
Te, Pupe, viſo: ſi tua conferam
Suaviori nectare baſia
  Strepente curarum tumultu
    Docta avidas recreare mentes.
Tendit paventi brachia Pupulus,
Plaudente dulces ore joci natant,
  Vultuque ſuadet ludibundo
    Degeneres procul ire curas.
Sed cur benigno munere recreas
Servum immerentem? quo magis explicas
  Amoris ignes, noſtra major
    Ora rubor tremebundæ pingit.
Quantum erubeſco debitor impotens?
Cauſas timori nunc adhibes novas;

An

An criminum cœno involutus
Grata animi dare ſigna poſſim
Proh qualis intus cælica ſuavitas
Me totum inundat, me miſerum obruit!
Recede quæſo, & digniores
Quære tuis, Puer alme, donis.

P. Alfonſus Barzena ligneam parvuli Jeſu effigiem ad caput lectuli quotidie collocans illi ſomnum dedicabat: cum vero ſupremum æger, a valetudinarii curatore ſuum ſibi Parvulum conſueto loco peteret collocari, fortuita tunc oblivione omiſſum, adfuit coram Parvulus ipſe, & Alphonſo citra curam eſſe juſſo, *Ecce me*, inquit, *adſum tibi, non eſt quod te fagites.*

P. Alphonſus Barzena deſiderio correptus ita exclamat.

UT ſæva rapidi bella cum venti gerunt,
Utrinque fluctus maria diſcordes agunt,
Dubiumque Pelagus fervet; haud aliter meum
Cor fluctuatur: dira me torquent mala,
Curas revolvit animus; & me æſtu gravi
Turbo dolorum vexat ingruentium.
Lethea poſtquam (ſupprimit vocem dolor)
Cepere mentem oblivia: ah quanto excitus
Luctus dolore pugnat! Expugnat animum
Mœror jacentem: Pupulus ſemper meo
Lecto aſſidere ſolitus, heu! fidus Comes,
Prædator animi Pupulus ſemper mei!
Expreſſus arte, qui magiſtra, ligneo
Mentitur ore vividum frontis decus;
Solamen ægro; quo dies ego ſolidos

Re-

Recreabar, oculos ore defixus Sacro:
Amantis oculos cordis hujus indices.
Solamen ægro, Comite quo lentæ moras
Solabar ultro noctis; & ſæpe alloqui
Auſus Puellum, verba fingens mutua,
Colloquia læto plena amore texui.
Ah neſcio quo (ſero me oblitum pudet.)
Mihi ſuo locare Pupulum throno
Oblivioſo mentis elapſu excidit!
Quid cogitabam neſcius! ſic devias
Errare curas ſemper invigilans Amor
Sinit? ubi Puero ſemper invigilans Amor?
Heu! venia ſceleri nulla debetur meo!
Quicunque ſomno non adeo merſus gravi
Triſtes querelas excipis, propera meum
Reddere Puellum; o qui dolentium geris
Curam moleſtam, occurre mœſto pectori,
Majore morbo non premi quidem poteſt;
Occurre; Sedi reſtitue Pupum ſuæ;
Lætus quieſcam; capere tranquillos dabit
Somnos ſodalis.

Puer Jesus cum P. Alphonſo Barzena præſens colloquitur.

Puer Jesus. Ne time, triſtem exue
Alphonſe curam: Quid tibi tantos movet
Animo tumultus? Quos dolores explicant
Indicia cordis verba? cur placidam expulit
Oculis quietem pectore exundans dolor,
Qui merſus alte mentem in utrumque abripit!
Compeſce mentis turbinem, corda erige;
Namque tibi ſolitus aſſidere lignea
Expreſſus effigie, ecce Puer adſum Comes.

Vi-

Vides? nec ipſe ligneam effigiem colis;
Vides? quid hæres! ecce lateri affixus tuo,
Queis lancinaris anxie, curas fugo;
Sedare curas, & fovere gaudeo.
ALPHONSUS Quid video? nunquid vana ſpecies excitos
Illudit oculos? Ora noſco, genas, manus,
Meum puellum noſco; nec jam ligneum.
Quid noſtra quæris hoſpitia? ſodalem amas!
Sentio: quid in me deprimis amorem, Puer?
Dignos Amore Pupule, exquiras tuo.
Meos fat effigies ſat affectus alit.
PUER JESUS. Exæſtuans Alphonſe, reverenti probo
Amore pectus; me tibi Comitem dabo.
Quem rite cultu ligneum aſſiduo colis,
Ægro aſſidebit, fronte detecta, Puer;
Extrema jam te fata felicem vocant,
Inſtat jacenti tempus extremum; procul
Abeant timores anxii; Comes viæ
Accingor, adſum, protego, tutor, ſequar.
ALPHONSUS. Ut te lubens amplector! & tenero in ſinu
Liqueſcit animus gaudio! venit dies,
Sancto petitus ambitu, & longa prece
Expreſſus aſtris, venit innubis dies,
Qui me beatum, te Comite, reddet polo.
O oſculari poplite inflexo pedes
Liceat amanti! dumque lenta corporis
Elabi anhelantem mora catenat animam,
Eloquar, & ardens voce pectus exprimam;
At ecce medios, ecce reverentia ſonos
Illaqueat; Oculis tantum habenas gaudia,
Mi Pupe, laxant; verba lætitia premat,
Loquantur oculi.

Puer Jesus Fr. Gabrieli Vayle coronam e floribus intertextam capiti impoſuit.

AMbitus quondam fabricata Cæli
Dextra, nunc florum ſtudioſa, Vayle,
Alligat veris ſobolem tepentis
Nobile ſertum.
Nectitur vernans Hyacinthus hortis;
Quæ ſolo ſternunt Violæ tapetes;
Quæque gemmantis Roſa læta campi
Ridet ocellus.
Tu quoque immiſtis, Amaranthe, chaltis
Arte connexos ſocias odores;
Narium dulci medicata Nardo
Copia creſcit.
Euge Cæleſti, decorate Vayli,
Munere; haud illi glacialis Urſæ
Conferam aſtrorum rutilam Coronam
Lumine pulchro.
Artifex ornat tibi dextra ſertum,
Alterum præſtans tamen auſpicamur,
Quod brevi texent poſitis decora
Floribus aſtra.
Aſtra convexi laqueare cæli,
Quæ ſitu firmo polus inquietat
Confluent ultro, facilemque ducent
Nexa coronam.
Aſtra per cæli geniale pratum
Sparſa, vernantes imitata flores,
Certa felicis, fruiture Vayle,
Præmia ſortis.
Illa non ſolis radio nocenti
Gratiam amittent, ſua quæ venuſtas

Or-

Ornet æternum, nec amœna cultus
Forma recedet.
Interim ſignum capias amoris,
Quod tibi cura puer obſequenti
Sedulus nectit, capiti decorum,
Sedulus affert.

P. Michaeli Gubernio Bibliothecam ingredienti apparuit Puer Jesus, cui cum reponeret interdictum ſibi eſſe deinceps illius infantiæ Myſteria meditari, reſpondit Parvulus: I, pete veniam, ut agere mecum poſſis; Ivit, & rediens impetrata facultate cum Jesu dulciſſime verſatus eſt.

PUER JESUS ET PATER GUBERNUS
DIALOGUS.

PUER. SIſte, quid in loculis tot Amice volumina quæris?
Hoc modo quod cernis, cuncta volumen habet.
PAT. Scimus; at effugias mi Pupule blande precamur,
Juſſus ab hoc referam mentem animumque libro.
PU. Qui tibi conceſſit libros evolvere, nunquid
Omnia, qui mira te docet arte, negat?
PA. Poſſumus in loculis libros evolvere; non te
Mi Puer; haud tanto dignus honore fui.
PU. Cur ea, quæ doceo, prohiberis diſcere? diſci,
Diſcere qui prohibet, non ea digna putat?
PA. Ah minime; incidi liber hic digniſſima cedro,
Quæque auro ſervet lamina ſcriptæ, docet.
PU. Docta quid ergo novi refugis commercia libri?
Anne aliquid, quod te lædere poſſit, habet?
PA. Quod mihi proſit habet; ſi mille volumina quiſquam
Perlegat, hoc fierem doctior ipſe libro.
PU. Et tibi, dum noſtrum ſpernis male gratus amorem,

Ob-

Obvia, in hoc venit Bibliotheca libro.

PA. At me ſi fugias, a te ſi, Pupe, recedam,
Utiliore quidem tramite doctus ero.

PU. Doctus eris ſine me? PA. Quo te mi Pupule, quo te
Longius effugiam, te propiore fruar. (annis,

PU. Cur ita! PA. Scis primis quam ſim tibi deditus
Scis bene quam Domino cogor abeſſe meo.

PU. Si tibi deliciæ, modo cur mutata voluptas!
Quid te deliciis cogit abeſſe tuis!

PA. Qui mihi præcipiens pro te jubet arbiter, ipſe
Immemorem juſſis me facit eſſe tui.

PU. Et mihi non pares! PA. Etiam tibi Pupule; Præſes
Namque tuas explet, dum jubet iſta, vices.

PU. Dic durum imperium tibi cur injunxit amanti;
Si durum imperium præſidis eſſe poteſt.

PA. Deficiunt quotics in te mea, Pupule, corda;
Elanguentque tuis obruta deliciis!

PU. Ergo fugis! PA. Non tanta homini conceſſa voluptas!
PU. Nonne tuo Deus eſt dignus amore Puer?

PA. Ah Puer! Ah dulci quam pectora merſa liqueſcunt
Lætitia? lacrimas vix tenet intus Amor.

PU. Nec tenet, ex oculis video prorumpere fluctus;
Dum blando arridet frons tibi noſtra joco.

PA. Ipſe jocus mi Pupe — Ah quid moror impius ultra?
Effuge conſpectus, bellule Pupe, meos.

PU. Impius? Ipſe tibi foveo pietatis amorem.
PA. Nunc erit, impietas ſi pius eſſe velim.

PU. Si vultus fugis ipſe meos, vel ab ore recedis,
Ipſe tuam mentem, corque animumque peto.

PA. Me penitus fuge, Pupe; modo quod amamus abeſſe,
Atque Deo cupimus non potuiſſe frui.

PU. Non ego te fugiam: PA. Fugio tamen ipſe, nec ultra
Immoror, extremum danſque, roganſque Vale.

PU. Sat tentatus amor, gratumque probamus amorem;

Effuge; Amor celeri proditur ipſe fuga;
Ut mecum peramanter agas, tibi certa facultas
Præſidis; hanc veniam ſupplice voce roga.
Ille quidem tibi noſtra libens commercia credet;
Nec modo, quæ dubium cura retardat, erit.
Si renuat, tunc ipſe meos ſuperadde rogatus;
Atque tuis precibus Numinis adde preces.
Dic: reducem expectat meus illo tenerrimus infans,
Qua reſerat patulas Bibliotheca fores.
Mens erat, ut dubios poſſem diſſolvere nodos,
Conſulere inſperſos per ſua caſtra libros.
At liber omne docens mihi primo in limine Pupus
Obſtitit, objecto corpore clauſit iter.
Lacteolo volui circundare brachia collo,
Figereque in caſtis oſcula mille genis.
Aſt aliqua urbano tantum de more loquutus
Effugi Pupum, deliciaſque meas.
Sponte diu loquererque meo, fruererque Puello,
Tardarent animum ni tua juſſa meum.
Fac liceat: non deficiet mens obruta, libro
Culta novo; Vires, qui docet, ille dabit.
Ille dabit vires, dum gaudia pectus inundant,
Ne mea ſit dulci merſa carina vado.
Hæc ubi dicta; pio lacrimæ de more ſequantur;
Nec timeas: Votis annuet ille tuis.

P. Bernardus Colnagus contemplatione permotus Puerum Jesum excipit, & ſuo ipſe in lecto apte collocans, in nudo ſolo interim recumbit.

Idyllium.

ERgo ſub exeſa meditatur rupe Puellum
Colnagus; dum lacrimulas abſtergit ocellis
Blan-

Blanda quies, placido cunas dum ſedula motu
Ventilat, & volucrum gratos imitante ſuſurros
Næniolas canit ore Parens; tamen aſpera membris
Serpit hyems, ſenſimque nives puerile moleſtant
Corpus, & in puero cruciant mala frigora Matrem.
Ah quoties artus glacie miſerata gelantes,
Non cantus auſa alterius protendere, Natum
Dormitantem ulnis excepit, & ore tenella
Membra fovet tepido, inque ſinu velut occulit Auſtris
Veſte ſuperpoſita; ſed veſte potentior Auſter
Tranſvehitur, Pupumque ferit; concreta gelaſcunt
Membrula, inhumanoque expellunt frigore ſomnos.
Hæc ſæpe evolvens Sacrum Colnagus ad antrum
Abripitur, mira ſtupefactus imagine rerum:
Quis furor, exclamat, quæ diræ inſania ſortis
Compulit immeritos pro me ſubiiſſe labores?
Ergo, Puer, molli capiam blanda otia lecto,
Dum rigida ſub rupe jaces? Heu! durius horres
Cor, mi Pupe, meum! ſed non in Corde reclines
Membrula (nec meruit tum felix eſſe) quieſcas
In lecto, Puer alme, meo; quem paupere tecto
Compoſui: lina interius, tum lanea ſupra
Texta, voluptati cura indulgente, locavi.
Mitior, indignus licet eſt tanto hoſpite, lectus
Arcebitque nives, & dira incommoda rupis.
Dixerat; innocuo reverenter Numina furto
Surripit e cunis Divinæ ante ora Parentis;
Inque ſinu, qua parte calet Cor præpete motu,
Claudit amans; tectum ingreditur, lectoque parato
Ponit onus prædulce, & verba tenerrima dixit:
Dormi, Belle meo, dormi, mi Pupule, lecto.
Dormi; quacunque aſpicias, impervia vento
Noſtra domus; potius quæ nunc tua dicitur, omni
Clauſa ſono, non balat ovis, non bucula mugit,

Non placidam exturbat vox importuna quietem;
Dormi, belle meo, dormi, mi Pupule, lecto.
Ipſe tuum patiar frigus, tua damna ſubibo,
Dum licet, atque tuo ſic reſpondebit amori
Noſter amor. Noſtro velare parumper amictu,
Nudo nuda ſolo mea, Pupule, membra reponam;
Parcus in obſequio, dura ſi durius eſſet
Rupe ſolum, vix digna ſolo mea membra reponi;
Sed tu dignus eras blando requieſcere lecto
Cælituum cura inſtrato; nunc ſuppleat oro,
Iſte vices: mihi Næniolis in lumina Morpheum
Allicere, & faciles ſit cura inducere ſomnos.
Dormi, belle meo, dormi, mi Pupule, lecto.
Non intus deſiderio ſubſultet amanti
Corculum, & abſentem compellat vocula Matrem;
Annuit illa tacens noſtre bene conſcia furto;
Annuit; hac veluti fugientem eſt voce ſecuta:
(Verba animus ſenſit, bene quæ ſentimus amantes)
Ferto, inquit, ferto Puerum, blandoque reclina
Solicitus lecto; claude inſultantibus Euris
Oſtia, dum facili componit lumina ſomno,
Irrepitque animo dulcis ſopor; ac procul arce
Frigora; dein reddas (nec ſit mora longa) Parenti.
Indulſit jam cura meo, jam Matris amori
Paruit, in lecto frigentia membra caleſcunt;
Dormi, belle meo, dormi, mi Pupule, lecto.
Ni facias, ego non Matri ſua pignora reddam,
Et tibi lacrimulas nova, pupule, cauſa ciebit.
Pupule! dulce mihi nomen! quo nomine Divum
Apellare datur Regem! cui cælica parent
Regna, ſed ipſa premit timidas reverentia voces,
Quando preces, precibuſque minas tibi jactitat audax
Noſter Amor; dormique iterat, mi Pupule, dormi,
Dormi, belle, meo, dormi, mi Pupule, lecto.

Et

Et pares Deus ipſe homini, clauduntur ocelli,
Ore venit tepido dulcis ſopor; irrigat artus
Frigidulos morpheus: reprimam modo, Parvule, voces,
Et valitabo oculis, ne quid blanda otia turbet,
Dum tenero vigiles demittens pectore curas
Dormis, belle, meo, dormis jam, Pupule, lecto.

Fr: Benedictus Goes ante initam ſocietatem coram Divini Infantis immaginem in Deiparæ ſinu reclinati orabat ſcellerum veniam, quam Puer ipſe Jeſus indulſiſſe, copioſas in lacrimas ſolutus, indicavit.

ANte aras, Puer alme, tuas commiſſa retractans
Crimina Juventæ exordio,
Dum fragiles rerum eventus Benedictus, & orbis
Dum recolit animo turbines,
Naufragium timet; & tutam appulſurus in oram
Placare numen deſtinat.
Adfuit ad ſimiles felix Cynoſura procelas
Deipara, quæ caſto ſinu
Servat, in amplexus componens brachia, natum:
Judicis ad aſpectum reus
Hic magis indoluit ſua crimina; plorat, & intus
Flamam uſtulatus cælicam
Explicuit, gemitu verba impediente dolorem.
Loquace tum Silentio
Cœpit uterque loqui; cordiſque interprete fletu
Colloquia texunt mutua.
Hic prior alloquitur Puerum, reſpondet amantis
Ritu Puellus lacrimans.
Siſte, Puer, quæ cauſa tuos corrumpit ocellos,
Tot gemmulis cadentibus?

Lætitiæ cape ſigna; Reum ſi crimine ſolvis,
Dolere quid fletu mones?
Lætitiæ cape ſigna; impetratamque ſequantur
Veniam, Puelle, gaudia.
Tranſtulit anne tuos in te reus ipſe dolores,
Et ſorte lugetis pari
Tecum una reus ipſe? modos quam doctus amandi,
Dum lacrimantem conſpicis
Et lacrimas lacrimis, ſociaſque dolore dolorem?
At pone luctus, Pupule,
Lætitiæ cape ſigna; Reus, mi Pupule debet
Jam ſorte lætari ſua.
Cui modo ſoliciti fueras pia cauſa doloris,
Nunc motor aderis gaudii.
Feſtivo jam prode, Puer, tua gaudia vultu,
Lætitia parcentem decet.
Scilicet invitus diceris parcere, Judex,
Nec ex amore parcere,
Dum veniam fletu indulges, mi Pupe, roganti.
Sed quam Puello judici
Fidere quiſque poteſt! pretioſo diluis imbre
Crimina, reorumque lacrimis
Commotus, Juſtas facile obliviſceris iras.
At ne ſagittas evibres,
Flectere Caucaſias poterant hæc ſpicula rupes;
Si duriora rupibus
Corda forent, ego crediderim potuiſſe Puellum
Mulcere fletu lacteo.
Jam penitus Dio cedit Benedictus Amori,
Quid quæris aſtus, Pupule,
Triſtitiæ artifices? plauſu celebrare triumphum,
Et comite riſu jam decet.
Lacrimulas abſterge, Puer, flens ipſe dolorem
Amantis auges pectoris.

Ut

Ut flentem exhilares, vultus pluvia aſtra ſerenet,
Reddatque marcidum jubar,
Quod nubes obducta animo nunc eripit ori
Divino, & inde proditur
Per dulces reſoluta oculos; Ah comprime luctus;
Hoc naufragatur obrutus
Diluvio Reus: illi animus, te Pupule, viſo
Deficit & extremum imminet
Jam funus; ſcelerum horrorem dum fletibus auges,
Veniam ſeverus abnuens.
Quid tamen heu! demens cæleſtem demoror imbrem?
Madidi fluant ocelluli;
Fertiliora ſuos Benedicti pectora flores,
Fructuſque virtutum dabunt,
More hortus rore inſperſi. Si fluctuet inſtar
Pelagi, & dolore cor æſtuet
Bina procelloſos mittens per lumina fluctus,
Ros unionis artifex,
Quem Puer ex ſacris large demittit ocellis,
Corde Benedicti gemmulas
Protuberans, pretioſa dabit commercia Cœlo.
Et bina pueri lumina
Si duplicem referant ſolem, Sacra defluat unda,
Non fletus imminuet jubar;
Namque repercuſſis lux clarior emicat undis.
Nec mœſtus inde proderis,
Continuo quanquam ora rigas, Puer auree, fletu;
Exuberantem gaudio,
Lætitiaque animum nimis exundante, profuſi
Aliquando fletus indicant.
Quas Reus, & Judex dederant, ut ſigna, doloris,
Sunt ſigna lacrimæ gaudii.

Fr. Antonio Romero Divinus infans Jeſus Crucem fronti impreſſit inter hos ſuaviſſimos concentus.

CErnis ut ipſum Pectus amore. Mulcet amica
Nobile ſignum Blanda liquenti Fronte puellus.
Pignora firmæ Pupulus afflat Lætus amœna
Certa ſalutis, Gaudia cordi. Fronte Puellus
Dextera portet? Crux reverentes Brachia tendens
Qua tibi frontem Excitat imo Te ſibi jungit
Provida ſignat? Corde timores. Fœdere certo.
Chara Puello Ipſe tenellum Crux mea prendens
Crux mihi ſemper Pupus amorem Brachia, tardat
Adfuit omni Excitat intus. Fulmina dextræ.
Me comitata Ergo tenello Quid moror ultra?
Temporis ævo. Junge timorem Siqua, Romere.
Hinc tibi Jeſus Semper amori. Te pia tangit
Hac Cruce ſignat Pupulus ori Cura puelli,
Dextera frontem, Nectare plena Meq: Crucemq:
Et ſimul intus Baſia figit. Pectore ſerva.
Cælite flamma Crux timuiſſe Hæreat ipſi
Pectus adurit. Admonet olim Crux mea fronti,
Crux tibi Dio Judicis iras; Hæreat ipſi
Lancinat imum Quaſque minatur Mente Puellus.

DI-

DIVINUS INFANS JESUS TENERRIMÆ JESUITARUM DELITIÆ IN II. SOCIETATIS SÆCULO.

Poemata a Primariæ Rhetoricæ alumnis concinnata ſubjungo aliqua, quæ caſu ſervo.

P. Emanuelem Padial ſcribentem, aut legentem Puer Jeſus frequenter perturbabat, de quo Pater peramanter expoſtulans: permitte, inquit, mi Puer, permitte Libris incumbere.

SIC te Diva Parens ſuis
Ulnis accipiat, mi Puer, implicans
Collo bracchia lacteo
Perque ora, & teneras oſcula det genas.
Libros me ſine, Pupule,
Mentis ſollicitæ lumina, volvere.
Puer Sic me deſeris impius?
Nec quæ plena favis baſia figimus,
Nec te Sydereus movet
Fulgor; nec roſeo quæ natat aurea
Vultu forma tenet? Libros
Dudum pone tuos: fallere neſcium
Librum conſule, qui tuos
Mores erudiat, qui faveat tuæ
Menti; quo melioribus
Inſtructus doceas corda ſcientiis.
Auctor quem Pater edidit,
Supremique ſagax Artificis manus:
Quamvis corpore parvulus,
Vincit Socraticæ divitias domus.

Pa-

Pater: Scimus ad ſugias, precor,
JESU, blanditiis tempus erit tuis.
Nunc incumbere litteris,
Quamvis diſpliceat, cogimur; At vices;
Hæc qui juſſit, agit tuas;
Te ultro careo, ut plus placeam tibi. *J.V.*

Emmanuel Padial fugientem per tranſitus Puerum inſequitur.

SIſte quid, Emmanuel, nullo regis ordine greſſus?
Siſte; quid errantes ſerſque, referſque pedes?
Vidi ego ſæpe tuos variare per invia, curſus;
Teque per ambiguas ire, redire vias.
Qui timor obliquos cogit te volvere gyros?
Devius incerti ſigna timoris habes.
Inſcius ipſe tui (niſi fallimur) eſſe videris,
Ac ſi cura animos verſet iniqua tuos.
Non dolor urget ais, niſi ſint in Amore dolores;
Pectore flagrat amor, dirigit ille gradus.
Nonne vides Puerum quantum me illudat in ipſo
Attactu, noſtras effugiatque manus?
Aſpice, ut obliquo declinat corpore prendi;
Illudit celeri devius arte manus.
Heu Puer! Heu morior! Sed te ſine prendere, vivam;
Heu morior! mortis, ſi fugis, Author eris.
Tramite parce alio celeres divertere greſſus,
Dulcior in noſtro, Pupe, quieſce ſinu.
Hæc ait: acceleratque gradus, modo proximus inſtat;
Sed procul a manibus labitur inde Puer.
Accurrit, jamjamque manu tenet, ac ſibi plaudit
Lætus, ut ex manibus labitur inde Puer.
Nunc gaudet tenuiſſe, dolet modo perdere, pectus
Cum deſiderio ſpeſque timorque ſubit.

Nunc

Nunc prope, nunc Puerum procul aſpicit; advolat ergo:
Quid tamen (Heu) latitas more jocantis? ait.
Quid rides? te, Belle fruar: quid fallis Amantem?
Eſt dominus ſervo præda futura ſuo.
Quid rides? Ultrane capi, mi Pupe, reſiſtis?
Siſte gradus, ulnis ſarcina grata meis.
Parce, precor, (mi belle Puer) mea vota morari;
Meque pio fugiens ludere ſiſte dolo *E.C.*

Pater Emmanuel Padial Puero Jesu aliquando euntem impedienti, amanter dixit: ſine me, Belle Puer, ſine tranſire.

AH ſine me tranſire, Puer: quid, factus eunti
Dulcis obex, cœptum Pupe moraris iter?
Ne tranſire ſinas; in te, Puer alme, quieſcam;
Nam via, qua poſſim pergere tutus, ades.
At tranſire ſinas; cum ſis via certa ſalutis,
Cur placet invitos illaquare pedes?
Ne tranſire ſinas; quid quærere poſſumus ultra?
Quis melior poterit terminus eſſe viæ?
At tranſire ſinas; quam tu, mi Pupule, claudis,
Præſidis imperium cogit adire viam,
Ne tranſire ſinas: omni tu Præſide major;
Et ſua ſint juſſis juſſa minora tuis.
At tranſire ſinas: agiles, mi Bellule, greſſus
Dirigit obſequio ſedula cura tuo.
Ne tranſire ſinas; tecum, mea vita, morabor;
Forſitan obſequium gratius iſtud erit.
At tranſire ſinas: me jure redarguet, ipſa
Qui media ſtupidum viderit eſſe via.
Ne tranſire ſinas; hominum irridentia temno
Murmura, ſola mihi cura placere tibi eſt.

At

At tranſire ſinas, nam te comitabor euntem,
Si placet, & præeas Duxque, comeſque, ſequar.
Quid precor? aut tranſire ſinas, aut greſſibus obſtes,
Arbiter incœptæ, mi Puer, eſto viæ.
Sponte, meis obſtas ſi greſſibus, ipſe quieſcam;
Te, ſi progrediar, Pupule, corde feram.

P. Emmanuel Padial commodatam ſibi explendæ devotionis ergo Pueri Jesu imaginem, & poſtea repetitam, ejus deſiderio inflammatus hoc extemporali Carmine perſecutus eſt.

ELoquar, an ſileam? dolor hoc, amor impedit illud;
Diſceſſumne fleam, parvule Pupe, tuum?
Flere jubet dolor; in voces amor imperat ire;
Hinc dolor, hinc noſtro pectore pugnat amor.
Tangeret O utinam dolor hic tua pectora, Jesu,
Tangeret O utinam pectora tantus Amor!
Cum ſubit illa dies, qua te, mi Pupe, reliqui,
In lacrimas pectus more dolentis abit.
Fallimur, & verbo tantum peccamus in uno;
Non erat illa dies, noctis imago fuit.
Lux mea tu ſueras, ſine te nox pectus opacat;
Hanc faciem mundus, ſol ubi fugit, habet.
Nocte, dieque fleo, (quid enim niſi flere ſuperſtat?)
Sæpe per heu! madidas imbre cadente genas.
Nullus erit lacrimas oculis qui tergere poſſit;
Qui luctum ſolvat pectore, nullus erit.
Adde, quod ante oculos tua ſemper oberrat imago,
Proh dolor! hæc noſtri cauſa doloris adeſt;
Namque ego ter niveo circum dare brachia Collo
Tento, ter illuſas fallit imago manus.
Proh dolor! in noſtro pallor tantum innatat ore.
Ut roſa deciduas unge reſecta comas.

Ah

Ah quoties dixi: quis te mihi reddat ademptum,
Oſculer ut palmas, Parve Puelle, tuas.
Jam, Puer, æthereo mihi cor exæſtuat igne,
Pectus inardeſcit, ceu foret Æthna, meum.
Sæpe volo lacrimis ignem compeſcere, at ipſas
Unda foret flammas, & foret ignis aquas.
Heu mihi! quam triſti mea tempore labitur ætas;
Non tamen elapſo tempore luctus abit.
Dic age, quid feci: ſi non ſapienter amavi?
Crimine quid potui demeruiſſe meo?
Nil niſi flere juvat; ſupereſt mihi nulla voluptas;
Credite; nulla meum gaudia pectus habent.
Quin age, verte gradus, celerique relabere paſſu;
Te foveam in gremio, Parve Puelle, meo.
Me miſerum! quanto premor undiq:, & undiq: luctu;
Triſtitiam ſi vis tollere, Pupe, veni.
Pupe, veni; noſtris ſuccede penatibus hoſpes;
Reſtitui ſi vis gaudia, Pupe, veni.
Singula quid referam? lacrimæ mea verba retardant;
Singultus medios impedit ore ſonos.
Unum oro, precibus ſi tu modo flecteris ullis;
Quem ſine te cogis vivere, coge mori. *S. R.*

Fr. Petrus de Baſto in Natalis Domini Vigilia videns Puerum Jesum pedibus luto infectis, eos officioſe lavit.

ERgo laborantes vitreis ubi merſit in undis
Phœbus equos, fuſcis tellurem amplectitur alis
Stellantes nox picta ſinus; tum Morpheus arcet,
Curarum illuviem, & gratam per feſſa quietem
Membra ſoporiferis gaudet conſpergere ramis.
Baſtius at tacite per amica ſilentia noctis

Stra-

Stratus humi Cælo invigilat; mens alta ſupremi
Tecta poli, Superumque domos, & regna beatis
Luſtrat ovans habitata choris, fruiturque ſuperno
Alloquio, & dulces traſmittit ad æthera flammas.
Tumque datum terris Numen, partuſque verendos
Virginis intactæ, ſupero gratiſſima Cælo
Pignora, Cælicolumque agitat ſub pectore plauſus;
Nec non frigidulos artus, faciemque Puelli
Sydereos ſuperantem ignes; quæ gratia vultu
Dimanet, placidis niteat quod lumen ocellis,
Obſtupet; at vili luget quod prodeat antro
Parvulus, hybernaſque ferat placidiſſimus iras,
Qui mare, qui terras, totum qui providus orbem
Æterno regit imperio; proh digna Parentis
Progenies, tantiſne placet ſuccumbere damnis
Numen, ait? Cives ne ſuis excedere rectis
Bethlemici voluere? meo precor, utere Jesu
Hoſpitio, grataſque domos, & pectoris imum
Frigidulus ne ſperne puer; nam molle tenello
Cor capiti pulvinar erit, ſimul igneus ardor
Urget ab exiguis frigus diſcedere membris.
Vix ea; dicentis ſubito puerilis oberrat
Ante oculos facies, dubios nec fallere viſus
Forma poteſt, vultuſque decor, quem plurima circum
Obſidet, & totos lux clarior alluit artus;
Proh qualis, quantuſque nitet! frons clarior ignes
Vincit Apollineos; gemini, duo lumina, ſoles
Neſcio quid Cæleſte micant, niveaſque decorat
Purpura mixta genas; ceu cum decus ardet eburnum,
Lydia Sydonio quod fæmina tinxerit oſtro.
Sic forma ſpectandus adeſt, tamen inficit imos
Illuries cœnoſa pedes, ut ſordet iniquis
Nix Cælo delapſa Notis, propriumque colorem
Linquit, & amiſſos luget reſoluta nitores.

In-

Interea Sacros feſtivo lumine Vultus
Agnoſcit, jamjamque avidis tenet anxius ulnis
Numina; lacteolo circumdat brachia collo
Baſtius; at ſacro præfigere dulcia Vultu
Baſia non audet, ſatis eſt in imagine fixos
Divina ſatiare oculos; defixus inhæret
In pueri aſpectu; nec ſe tenet, ora tuendo;
Sed reverenter amans, proclivis ad oſcula plantis
Admovit labra; at viſu ſtupefactus in ipſo
Miraturque doletque, pedes cur auſa tenellos
Inficiat labes, querulis nec vocibus ora
Nec lacrymis caruere genæ, quibus ipſe Puellum
Abluere, & teneris maculas expellere plantis
Poſſet: ad humanam celeres, mi Pupe, ſalutem
Infecit quæ cauſa pedes? tetigiſſe videris
Jam terram, exclamat; ſic te, Puer, hoſpita tellus
Excipit! inque tuo quæ pingere debuit ortu
Floribus omne ſolum, te cœno ingrata recepit!
Nec plura effatus; reprimunt ſuſpiria voces.
Continuo liquidis ſordes abſtergere lymphis
Officioſus amat; plena jam fictilis alveo
Hydria, pelluviumque, & linea texta parantur;
Neve ſuo noceat glacialis lympha Puello,
Excutit e ſilice, atque inflando exſuſcitat ignem
Pabula ſuppeditans, & temperat ignibus undas.
Ut tepidis infudit aquis jam flamma calores,
Lintea ſuppoſuit, Pueroque in ſede locato
Oſcula dat pedibus, mergitque tepentibusundis.
Applicat inde manus, circum verſatque rotatque,
Infectaſque luto plantas pura abluit unda;
Oſcula mille iterat, dulci puerilia fletu
Membra rigans, ſiccantque pedes ubi lintea, fletus
Illuvies iterum humetat; proh grata laboris
Cauſa! ſuum renovent candentia lintea ſæpe

Offi-

Officium; Puero fletu placet uſque rigari?
Fortunate nimis, ſacros cui Numina donant
Tergere poſſe pedes, quos necdum tangere quondam
Magdalis evaluit; perge obſequioſus, amantem
Ille redonabit multo cum fœnore curam I. V.

Petrus de Baſto cum Puero aliquando ſpatiari viſus eſt.

QUid timeam? noſtro gaudet Divinus Achates
Fidus adeſſe comes lateri, quem pone ſequuntur
Agmina Cælituum, & prono venerantur honore,
Nunc ſocium mihi ſe confert; nunc dulcia miſcet
Colloquia, & teneras nectens per mutua dextras
Vincula, perpetui fœdus confirmat Amoris.
Ah memini! quondam vili Puer editus Antro,
Se minuens, tacitum accludens in imagine Numen,
Et nimis humanus Mundo Deus; ipſe propinquos
Cuſtodes ovium invitat, quos Cælicus Ales
Plauſu hilari ad rupem, feſtoque celeuſmate cogit;
Blandulus aſpectu venientem Pupus Amico
Excepit turbam; ſatis eſt advolvere blandos,
Queis & delicias, & gaudia gignit, ocellos.
Turba ſacros circum ante pedes revoluta Puelli,
Inclinat caput, & Numen reverenter adorat;
Vixque audet timidis Cunas attingere labris;
Et ſcopulis tantum, atque ſolo mille oſcula figit.
Quin etiam acciti Reges oriente coronas
Abijciunt, natumque inflexo poplite Regem
Cælituum agnoſcunt, & patria munera ſiſtunt.
Illa Puer riſu excipiens, ſi liberet arctis
Brachia faſciolis, ſi dona oblata benignus
Contigerit, ſummo Reges dignatur honore.
Non adeo tamen a parca mihi gratia dextra

Eve-

Evenit; at Numen (quis credere poſſet?) habendum
Se mihi commiſit ſocium; dextramque tetendit.
Nec patitur cadere ante pedes, fletuque rigare;
Qui fuerat mihi ſummus honos; non ſarcina collo
Grata meo ferri patitur de more Puellus
Quod tenuis labor obſequii, & ſignum eſſet amoris.
Sed mecum ſocius ſpatiatur; utrunque laboris
Participem ſimul ire juvat; mihi pectore inundant
Gaudia, ſed trepidans non hæc meruiſſe fatebor. E. C.

Fr. Petrus de Baſto Puerum Jeſum arctiſſime complexus eſt, cum ſibi inter orandum apparuiſſet.

AD ſacras Petrus reverenter aras
Supplicis ritu Puerum volutat
Mente naſcentem, teneroque fletu
Irrigat ora.
Pupulum amplexu cupit implicare,
Perfrui aſpectu cupit, atque ſupplex
Lacteos artus cupit oſculari
Poplite flexo.
Adſtat oranti Puer, & tenellos
Exerit vultus; quid, amice, triſti
Fluctuas æſtu? placuere Cælo
Vota faventi.
En tuis votis per amanter adſum,
Uſtulans Dio tibi pectus igne,
Pone mœrorem; nova junge dulci
Gaudia fletu.
Aude in amplexus ruere obſequentes,
Perfrui oblato poteris Puello.
Fige (namque ultro patiar) tenellis

Oſcula membris.
Lætus oblatum recipit Puellum
Petrus; exorto madefacta fletu
Lumina, & dulci pia corda motu
Gaudia produnt.

Fr. Petrus de Baſto a Deipara Parvulum in ſinu habente lactatus eſt.

ILlita, Virgo Parens, mea nectare Corda liqueſcunt;
Quam dulces avido ſugimus ore favos!
Sugimus ore favos: (quid enim tua dona tacebo?)
Omnia Cæleſtis plena favoris eunt.
Pullulat interius plenum dulcedine pectus;
Gaudia vix noſtrum Corque, animuſque capit.
Lætitia exundant mea Corda; & nectaris hauſtu
Mellifluus ſerpit corpus in omne vigor.
Dulcia mellifluum quæ gaudia pectus inundant?
Indicium, vultu qui cadit imber, erit.
Nec ſatis hæc: dum me recreas Pia nectare Virgo;
Ex duplici titulo jam mihi Mater ades.
Munera ſunt Matris tenerum lactare Puellum,
Dum bene me lactas, munera Matris agis.
Te mortale genus ſibi Matrem elegit; & Orbi
Auxilio Mater proderis ipſa dato.
Hinc ego te veneror communi lege Parentem;
Aſt quoque privato ſis mihi jure Parens.
Ah Dea: Cæleſti modo contrahe vela favori.
Non tua ſunt meritis debita dona meis.
Præbe, Diva tuo, tua præbe alimenta Puello;
Cui, mihi cum donas, forſitan illa negas.
Non merui paſci divino nectare; tanti
Non ſatis eſt pretium noſter Amoris Amor?
Quin potius miro mea crimina plectis amore?
Das, cum debueram veſci Aconita, favos.

De-

Debuerat ſupero deſcendere fulmen ab axe;
Plenaque deliciis Mater ab axe venis?
Hæc tua Bernardus quoque Munera ſenſit Amoris;
Mellifluum toto nomen in orbe tulit.
Plus merito dederas; ſua ſed tibi ſcripta ſacravit;
Dignior & natus te Genitrice fuit. S. R.

P. Franciſcus Brancatius Italus obvium ſibi inſignis formæ Puerum, quiſnam eſſet? rogavit. Sum Magni Domini filius, inquit Puer, qui te impenſe diligit, eo quod totus incumbas ad docendum pueros cathecheſin. Hanc ſatiſne retineret, interrogatus a Patre, optime quidem, reſpondit, ſcio. Ergo Angelica ſalutatione (reponit) Magnam Matrem alloquamur. Cum ad illa Verba perveniſſent - Benedictus fructus Ventris tui - hærere Puerum ſentiens, adde, inquit, Suaviſſimum Jesu Nomen; ſcisne quis hic benedictus nuncupatur? Scio, ait Puer, & me quidem eſſe ſcias. Tum Patrem dulciſſimo affectu complens, diſparvit.

Æ Qua vacillantem me, Pupule, ludit imago?
Blanditurque oculis quæ nova forma meis?
Nulla unquam humanis, me judice, pulchrior oris
Appulit, hæc ſenſus allicit una meos.
Phœbæos inter rutilantior emicat ignes
Vultus, & ex facie ſpicula vibrat amor.
Ut tenere inflexis frons aurea ridet ocellis!
Ludit & in roſeis gratia viva genis!
Labra oſtrum pingit, ſed cætera candor honeſtat;
Crediderim ingenuos hic habitare jocos:
Quam bene cæleſtes peramæna modeſtia vultus
Exprimit! Ah facies convenit iſta Deo,
E ſuperis genus eſſe reor: teſtantia produnt
Signa oris, formæ gratia, frontis honor.

Fallor? at expertum quis fallere poſſit Amantem!
Ante oculos Nomen credimus eſſe meos.
Neſcio quid facies Divini ſpirat odoris!
Ah Puer! ah! tacito proderis ore Deus!
Ergo age, Belle, tuum mihi detege, Pupule, nomen;
Qua ſis gente ſatus, quæ ſit origo, refer.
P. Cur genus, & proavos, cur nomina noſtra requiris?
Cur ea, quæ dudum ſunt tibi nota, rogas?
B. Dic mihi quæ tellus, qui te genere Parentes?
Magnum namque genus ſuſpicor eſſe tuum.
P. Me Pater a teneris bene providus educat annis,
Cui me perpetuo fœdere junxit Amor.
Nil Patre nobilius, nihil eſt illuſtrius orbe.
B. Te tuus hæc forſan dicere cogit amor.
P. Adde fidem Puero; nobis nec fallere quenquam,
Nec falli, quamvis ſim Puer ipſe, licet.
B. Eſto: ſed indicium mihi, Pupule, clarius effer;
Namque audire tui nomina Patris amo.
P. Quid referam ulterius! Pater eſt notiſſimus; omni
Tempore; progenies ſat tibi nota mea eſt.
B. Progenies nullo mihi tempore cognita; menti
Nulla meæ, tanti forma Parentis ineſt.
P. Cur ita, Brancati, bene ſic grataris Amori?
B. Sola meum (credas) Numina pectus amat.
P. Non ego vana laquor: juſſit Pater iſta referre.
B. Cur tuus iſta jubet, Pupe, deferre Pater?
P. Namque tuas curas, vigiles probat ipſe labores.
Quum pueros fidei prima elementa doces.
B. Et doceam te, Belle Puer, ſi noſtra parenti
Cura placet; noſtri forte laboris eges.
P. Non egeo: B. Servas an dogmata Sacra tenaci
Mente, Puer? P. Memori dogmata mente ſedent.
B. Ergo age, Parthenidi mecum dic, Pupule, laudes;
Parthenidem alterno laudet uterque ſono.

P. me-

P. meme adſum B. Laudes efler, quas Aliger olim
Dixit dum ſupera Nuntius arce venit.
P. Sponte quidem dignos deferam modo Matris honores
Cui tua (ſcimus enim) ſedula cura placet.
B. Salve, Virgo Parens, P. Mater dulciſſima Salve.
B. Perge; tua eſt Magnæ vocula grata Deæ.
P. Salve, Diva Parens, cui gratia pectus inundat;
Gratia te, nullo limite, tota beat.
Nam ſemper tecum Deus eſt; hinc gratia totam
Te complet, plena es dum ſimul ipſa Deo.
Jure tuas laudes numquam ventura tacebunt
Sæcula; Namque orbi fertilis Arbor eris.
Quemque ſalutiferum prodes, Virgo inclyta, fructum;
Tartareæ antidotum, nobile peſtis erit.
Semper & hunc orbis fructum laudabit B. JESUM
Adde, eſt Hyblæis dulcior ille favis.
Scis quiſnam meus iſte meus ſit dulcis JESUS?
Scis? P. Scio: quemque vides inſcius, eſſe ſcias:
B. Quo dulcis, quo Pupe, fugis? Veſtigia ſignant
Nulla fugam, nullis proditur illa notis.
Quo fugis? hic ſubito, cur nos ingrate, relinquis?
Me fugis? ah dulcis fluctuat intus amor.
Neſcio quid ſenſi; ſat mens mihi conſcia motu
Inſolito JESUM ſenſit adeſſe meum.
Cur ego non avidis excepi Numina palmis!
Cur Pupo admovi non mea labra Deo!
Cur mihi pectus hebes? ſat noſcere Numina poſſem;
Forte impetrarer ſupplice voce moras.
Non tamen effugit; mea corda invadit JESUS;
Inſolitum exultant pectora; Numen adeſt. E. C.

P. Franciſcus Brancatius ad puerum, quod ad JESU Nomen hæreret.

QUid dulce Nomen, Nomen amabile
Injurioſo, Pupe, ſilentio

Premis quod inſtinctu ſuperno
Virgo Parens dedit ipſa Nato.
O ſtemma dignum non niſi Numine!
Spes una mundi, certa hominum ſalus!
Cui flectitur cultu obſequenti
Omne genu; reverenter ambit
Laudare plauſu cælituum cohors;
Laudare gentes; ter reſonabilis
Reſponſat Echo, & ſuavitatem
Vocis amor bibula aure gignit.
Hoc & trifaucis guttura Cerberi,
Manuſque diſcors Eumenidum timet;
Hoc ſtagna Cocyti, & paludes
Attonitis venerantur undis.

Puer Jesus ad Brancatium ſuaviſſime alloquitur.

BRancati, tibi delitiæ, tibi grata voluptas
Semper ero. Seu tu fletu teſteris amorem,
Quo prodi tua corda ſolent, quo ſæpe benignum
Alloqueris Cælum, pia ſeu ſuſpiria mittas,
Vota, preceſque inter; læto vel gaudia vultu
Cæleſti moveat gratum dulcedine Numen.
Ipſe ego, qui lacrymas per amica ſilentia noctis
Excito, Cæleſti cui cor tibi nectare mulcens,
In dulces cogo prorumpere pectus amores.
Ipſe tuos moveo gemitus, dum mente volutas
Pronus in obſequium quo me veneraris honore.
Nec minus & teneros agito ſub pectore motus,
Dum Pueri ſpeciem ante oculos, corpuſque tenellum,
Frigidulos artus, duraque in rupe jacentes,
Agmina Cælituum feſto plaudentia cantu,
Et prope tergentem, quas impetus elicit Euri,

La-

Lacrymulas Matrem objicio; modo dulcia pectus
Gaudia titillant, dum mente evoluis amorem,
Quo bene mortales ego proſequor: ille coegit
Me vultus hominum induere, & reparare gementem
Tartareo ſub Rege orbem: deſcendere ab aſtris
Nunc idem me cogit amor; tibi gratulor; hujus
Tu modo cauſa viæ; cœptum nec pone laborem;
Dum tua, Brancati, teneros cura educat annos. I. N.

Ad P. Brancatium, quod ex facie Puerum poſſet agnoſcere.

QUid trahis ambiguos vario ſub pectore ſenſus
Ancipitemque moves animum? deceptus inhæres,
Brancati, dubiamque agitat ſententia mentem?
Quæ nubes oculos tenui velavit amictu
Ne Puerum agnoſcas? Solem ſua lumina produnt.
Nonne tuos ſol ante oculos illucet? in ipſo
Lumine cæcutis? te ludit amabilis error!
Cernis ut eniteat rubeos imitata pyropos
Cæleſtis facies? Majeſtas promicet ore
Digna Deo! ut ſuperent Phæbeæ lampadis ignes
Lumina? ad aſpectum Pueri nitida aſtra nigreſcant!
Aſpice, Divinum teſtentur ut omnia vultum,
Omnia Divino ſimilis, vocemque, coloremque
Et pulchros oculos & membra decora Puelli!
Et licet humanos mentitur imagine viſus,
Divinus Puer eſt; Divino ſanguine cretus;
Nil mortale ferens, Divina modeſtia vultus,
Cæleſtes oculi, Divini pectoris ignes.
Eja age, Brancati, quid mens ſtupet? ipſa quid hæret
Attonitæ ſimilis? noto nec Numine, viſu
Errat inexpleto? Puerumque ignara requirit?

Te grato petit ipſe dolo, tua lumina fallit
Mutatus faciem, mutatus & ora Puellus.
Incipe jam riſu tenerum cognoſcere Pupum.
Divinos agnoſce oculos, agnoſceque vultus.
Nec dubites; non vana tuam ludibria mentem
Decipiunt; nam Divinum eſt quodcumque tueris S. R.

P. Joannes da Fonceca erga Puerum JESUM affectus exprimit.

ADditum terris decus, o Paternæ
Lucis exemplum, ſuperiſque gratum
Lumen, & Magnæ modo nata proles
Digna Parentis.
Sperne Montanis, Puer, apta monſtris
Antra, & ignotos tuguri, receſſus,
Sperne pulvinar, paliſque textum
Sperne Cubile.
Intimis Regi ſolium daturus
Extruit flagrans Amor in Medullis;
Ergo te cordis precibus vocantis
Transfer in ædem.
Hic & amplexu, Puer & tenellis
Detur oh membris, ſimul & jocanti
Perfrui vultu, teneriſque figam
Oſcula plantis.
Igne cæleſti, Puer, uſtulata
Fige Divinis mea corda telis;
Urat & totum, precor, urat orbem
Purior ignis.
Oh quis urbanas peramanter ædes
Ibit, ut ſacris hominum catenis
Pectora in Cæleſte trahat Puelli
Sedulus antrum.

Oh

Oh quis humanos tibi, Pupe, ſenſus
Siſteret, quos dulcis amor tenelli
Numinis ſacro redit æſtuantes
Ureret igne:
Annuas noſtris, precor, ipſe votis;
Ut tibi lætus famuletur orbis,
Qua vagus Titan oritur, vel altis
Mergitur undis: I. V.

P. Joannes da Fonceca præſepe extruit in corde, utpote gratius Puero.

UT paſtor altas vertice Alpino nives
Cum forte luſtrat, gelidam achantidem obvius
Avem ſonoram frigido exanimem videt
Solo jacentem; vix anhela pipitat
Alata Syren illa nemorum; guttura
Vix movet iniquo pene ſubmerſa tumulo.
Laxata torpet ala, frigoris impetu
Vix ſigna vitæ ſervat; at paſtor ſinu
Fovet tepente, & pectori veſte abditam
Applicat, ut intimo calore recreet.
Haud aliter humili Pupus in ſtabulo jacet,
Soboles Paternæ mentis; auræ pervia
Frigore rigeſcunt membra, ſtillat ocellulis
Lacteolus humor. Ergo patiar Pupulum
Auræ flabellis percuti? minime, Puer,
Minime; ſed ipſum pectus hoſpitium dabit;
Meo tibi præſepe condam pectore,
Viſceribus abdam. Quid moror? totus libens
Accingor operi: corque pergratam Deo
Stabuli figuram proferat; cutis dabit
Externa muros, atque fornax pectoris,
Caloris officina, tepido flamine

Fri-

Frigora tenelli mitigabit corporis;
Quoſque meus eſt Aquilonis expertus Puer
Feros per antra ſævientis impetus.
Benignior pectore ſub imo jam Deo
Formanda ſedes parvulo; cælite domus
Amore digna. Virgo lateri proxima,
Puerique cuſtos ſedeat, aligeri hoſpites
Præſepe cingant; obſequantur Pupulo
Cordis voluptas, gaudia, lepores, joci,
Deoque lætus totus obſequar meo. E. C.

P. Joannes da Fonceca Præſepe quotannis conſtruit in Cubiculo.

DIvinis accendit amor mihi pectora flammis;
Me totum Alma parens, me Puer Almus habet.
Ingenioſus amor varias mihi ſuggerit artes,
Ut poſſim ante oculos Numen habere meos.
Ipſe quidem præſepe mea mihi nuper in æde
Erexi, manibus compoſuique meis;
Nunc etiam plagæ, falſo quam malleus ictu
Intulit, in digitis triſtia ſigna gero.
Cereus hic Pupus, cui frontis amabile lumen;
Qui flet, cui lacrymæ flentis in ore rigent.
Cerea Virgo oculos illic dejecta modeſtos,
Cereus oſtentans alba liguſtra Senex.
Paſtores, pecudeſque jacent in gramine fuſæ,
Aligerum feſtus pendet ab axe chorus.
Sunt & purpurei, quorum mihi copia, flores;
Sunt etiam arboribus pendula poma ſuis.
Sæpe pias hic fundo preces, & Numen adoro;
Næniolas, Puero carmina grata, cano.
Nec ſatis hæc; alias amor ingenioſior artes
Invenit, atque antro proximiore fruor.

Cor

Corde ſtat in medio Pueri lacrymantis imago,
Hinc Pueri cuſtos, hinc pia Mater adeſt.
Si meus ex oculis (raro licet) excidat Infans,
Hac nunquam ex animis exidet arte meis. *J. N.*

P. Joannes da Fonceca ſocios ſtudioſe convocat; ut laudent Puerum.

VOS, quibus exardet Divino numine pectus
Amore perculſum gravi
Blandidulum in Puerum,
Currite; ſollicitos teneat mora nulla; per omnes
Laudum perennes ambitus
Dulcibus aloquiis
Currite. Naſcentis liceat cunabula ſolis
Cantu ſonoro promere, &
Carmine perpetuo
Naſcentem celebrare Deum; gens dedita cælo,
Cui nomen ipſe Pupulus
Nobile militibus
Stemma ſuis Ductor Jesus conceſſit; ovantes,
Naſcente jam vobis duce,
Prodite lætitiam,
Jesuadæ: ſacrum quiſquis reverenter ad antrum
Accedat, & tenellulis
Oſcula det manibus,
Amplexuſque inter tibi ſigna expromat amoris,
Puelle, ſiſtatur ſuo
Victima grata Deo. *S. R.*

P. Igna-

P. Ignatius Rodrigues menſe ante Chriſti Natalitium ad mediam noctem e lecto conſurgens flexis genibus meditationi vacabat, ſuſpirans adventum Domini.

ERgo ſoporiferis venit ſopor irritus antris,
Et mea lethæis lumina ſparſit aquis.
Obvius obſtat amor, ſopor exulat, otia cedunt;
Nulla quies oculis ſerpit amica meis.
Languida Cimerio ſopor attulit otia luco;
Otia ſollicitus ſed tamen odit amor.
Nam mihi Divus amor venturos objicit ortus;
Præſcius inſtantem ſentio adeſſe Deum.
Et ſtratas paleis, & vili ſtramine cunas,
Et Pueri aſpectus, oraque blanda refert.
Fallor? an æthereos vincit frons pulchior ignes,
Et micat ignitis plurima gemma labris.
Heu tamen, heu dubium mittit ſuſpiria pectus,
Manat & ex oculis undula crebra ſuis.
Quid fles, belle Puer? mœſtos procul abjice luctus;
Oh deſideriis unica meta meis!
Deſine lacrymulis ſacros modo ſpargere vultus;
Vulnerat heu teneras labilis unda genas.
Ecce ego te dulci comitor, mi Pupule, fletu;
Hæc mihi ſola quies, dum lacrymaris, erit.
Ergo veni, & dulces abſtergam, Pupule, fletus;
Quidquid amor poterit, conferet; ergo veni. *I.V.*

P. Ignatius Rodrigues auram rogat, ut mitius ſe gerat cum Puero.

AUra, quæ blando per amœna curſu
Prata jucundos recinis ſuſurros,

Et

Et feris molles nemorum jocanti
Verbere frondes:
Aura Bethlæi per aperta tractus,
Eminent pronis ubi ſaxa dorſis,
Vagit, heu! Pupus tener impiato
Concitus Euro.
Vagit, heu! blandi gemitus tenello
Ore prorumpunt, reſonant propinquæ
Fletibus ſylvæ, pia membra duro
Frigore torpent.
Hinc precor longe fugias; Puellum
Ne procelloſo ferias flabello
Sæva; quæ Pupi gravis immerentes
Percutis artus.
Parce brumali puerile flatu
Corpus, & nudum lacerare pectus;
Impetus ſævos querulo retardet
Ore Puellus.
Montium ſylvis procul in remotis
Flabra deponas, & inhoſpitales
Caucaſi rupes furioſa longo
Marte fatiges.
Interim Pupo procul a tenello
Devies, Bethlem fugitiva ab oris
Nec leves frondes, nec aprica flabris
Arva laceſſas.
Audior: ponit pia jam furores
Aura; per campos volitans jocatur,
Et ſacro appellens reverenter Antro
Numen adorat.
Frigore expulſo Puerum tepenti
Lambit afflatu, refovens calore
Mitior ſacros petit illa vultus,
Mitior artus.

Pone

Pone vagitus, Puer alme, blando
Ventitat rupem Zephyrus ſuſurro;
Lenior fagus ſolito propinquis
Murmurat arvis.
Pone vagitus, Puer alme, ſolvit
Eurus immixtis nivibus pruinas;
Quæ metu brumæ latuere, pratis
Germina rident.
Cuncta nativum referunt vigorem,
Tu cales Auſtro, Puer, obſequenti;
Pone vagitus, hilaremque lætus
Indue vultum. *E. C.*

P. Ignatius Rodrigues Adventum Domini ſuſpirat.

NAſcere, Belle Puer, dudum mea vota moraris;
Naſcere; jam tardas, ſpes mea, rumpe moras.
Cernis, ut aſſiduis lacrymas quoque vocibus addo;
Naſcere, per lacrymas te, Puer, oro meas.
Imbrem te veterum dixere oracula Patrum,
Et matutini nomina roris habes.
O utinam diſcas noſtro deſcendere fletu,
Exemplum capias imber ab imbre meo.
Dum te poſco, rigant lacrymarum flumina vultus;
Sit pretium fuſæ Cælicus imber aquæ!
Non opus eſt vento, mea te ſuſpiria ducent;
Tramite diverſo, quo regit aura, regent.
A ſe cuncta ſuo ſolet aura expellere flatu,
Nunc ad me gemitus te ferat aura mei.
Imbribus aura favet, cæleſtis depluat imber;
Non illum nubes ſervet avara ſinu.
Nam gravida ut nubes, pluvia quæ cælite turget,
Te fovet in gremio Parthenis alma ſuo.

Ut

Ut facilem nubes ſe tota reſolvit in imbrem,
Sic orbem æthereo Parthenis imbre beet.
Ah precor; alma Parens, Cæleſtem deplue rorem;
Seu nubes dici, ſeu modo ſydus amet.
Roris habet nomen meus ille tenerrimus Infans;
Roris, quem mittunt ſydera, more fluat.
En ſterileſcit iners mihi pectus, ut arida tellus;
Ros cadat e Cælo, fertile pectus erit.
Irriget ut pectus ros effluat, effluat imber,
Ut ſatiet, ſupero nectar ab axe cadat.
Cur aliena tibi, mi Pupule, nomina fingo?
Te mea ſuſpirant pectora: Pupe veni. *I.N.*

P. Ignatius Rodrigues lectum ſuum puero offert.

PUelle, dira quem procella frigoris
Moleſtat, ac ferit nivis ſeveritas,
Tenella membra frigus o quid occupet,
Gelu & premente pectus intrat intimum?
Quid in ſolo cubas, puelle, frigido?
Tibi placent egèna ſi mapalia,
Meum cubile ſcande, ſcande limina,
Ubi tenella lancinata frigore
Repone membra, Pupe; corpus aligidum
Meo repone, belle Pupe, lectulo;
Te ego vigoris, & caloris artifex
Sinu tepente condam, & oris halitu
Moleſta, Pupe, temperabo frigora.
Benignior veni, aura, quæ ferociens
Per antra curris undequaque, & aſpero
Premis rigore pupulum tenerrimum.
Ego rigoris ipſa damna perferam.
In ora transfer, Eure, noſtra frigidas
Nives; Puellum adi tepente flamine.

Quie-

Quieſce, Pupe, ab ore frigus exulet;
Manus calor præoccupet, calor pedes.
Quieſce blandulo, quieſce lectulo,
Quieſce, Pupe, dormiant ocelluli;
Modumque pone lacrymis fluentibus.
Amor, Puelle, nil precatur amplius,
At ipſe vocibus precantis annue. *S.R.*

DIVINUS INFANS JESUS TENERRIMÆ JESUITARUM DELITIÆ IN III. SOCIETATIS SÆCULO.

Ad hoſpites Humaniſſimos Ludus poeticus de ternario numero.

ASpicis ut numero Deus impare gaudeat Infans?
Ne dubites. Trino nam placet ille Deo.
Ter tria materni patitur faſtidia clauſtri,
(Virginis in ſigno Sol ſtetit ille novus).
Mos fuit in plures metam vigilantibus horas
Scindere, quaque oritur, tertia noctis erat.
Sole polus triplici naſcentem excepit; & aſtra
Credibile eſt numerum ter geminaſſe ſuum.
Ter pueri Infantis feſtos celebramus honores;
Tres ſua participant gaudia feſta dies.
Adde quod ipſa dies, qua Pupulus editur antro
(Sole orto, noctis nomen habere nequit)
Ter plauſu excipitur, celebrat tria ſacra Sacerdos;
Principium plauſus hoc ſibi Pupus amat.
Nec ſatis hæc; tacitæ rutilans facundia lucis
Exortum terris nunciat eſſe Deum.
Hæc vox, hic fulgor radianti voce perorat,
Et nova ſax tacitæ pondera vocis habet.

Quot

Quot radii, totidem linguæ ad cunabula ſolis
Eoos populos, Heſperioſque vocant.
Tres veniunt Reges, triplici tria munera Regi
Ferre ſuus cogit, qui bene ducit, amor.
Vix antrum ingreſſi, deflexo poplite, Reges
Humanæ Triadis Numina ſacra colunt.
Sic quoque Jeſuadæ renovant tria vota quotannis:
Hæc ſiſtunt Puero munera grata Deo.
His tyrocinium triplici protenditur anno,
Terque probata fides, terque probatus amor.
Bis tria Sanctorum jam nomina legimus albo;
Auxit & hunc numerum victima terna ſuo.
Tempora ſi numeres, jam tertia labitur ætas
Grata Polo, ſuperis cognita, ſacra Deo.
Primitiæ tum Chriſtiadum tria ſæcla fuere,
Sunt tria Jeſuadum ſæcula primitiæ.
Primitiæ ſed utrinque Polo, ſuperiſque dicatæ,
Quorum deliciæ natus in orbe Deus.
Ac veluti tria feſta die celebramus eodem,
Sic idem memorat ſæcula terna dies
Jeſuadum qui caſtra petit, petit auſpice Cælo,
Et ſacra felici ſidere caſtra petit:
Sed tres antra ſemel quærunt Bethlemica Reges
Jeſuadum pietas per tria ſæcla viget.
Tres equidem ætates prædixit Borgia quondam,
Quas ſibi delicias legerat almus amor.
Ominis evenit pars maxima, tertia reſtat,
Jamque omen pondus cœpit habere ſuum.
Experti jam delicias ſentimus Jesum
Deliciæ nobis jam Puer almus adeſt.
O nos felices, queis tertia contigit ætas!
Non adeo felix utraque lapſa fuit.
Utraque cæleſti fuit hactenus omine felix
Nos quoque felices augurat omen idem.

Hæc tamen exemplis decorata prioribus ætas,
Quod reliquis deerat calcar, & omen habet.

Non videtur Poeta in hoc vaticinio feliciter divinare, unde omititur Ecloga Parænetica, Auguratrix, & Allegorica qua Jesus naſcens univerſo orbi delicium portenditur, peculiari tamen ratione ſocietas JESUS ex trium Regum auſpicio tribus ſæculis felicitata inducitur.

DUM tempus Natalitium celebrabatur, uſus erat in Provincia Luſitana pulcherrimum Præſepium in magno interiori ſacello conſtruere, atque illa hora, quæ poſt prandium & cœnam mutuis colloquiis effluit (recreationem vocabamus) in ſacellum omnes confluebant. Junco inſtratum erat ſacellum, nulla erant ſedilia; neque enim ſedere, niſi humi licebat ante Puerum JESUM. Ter vel quater ex improviſo aliquis ad Præſepium accedebat divinum Puellum tenero colloquio allocuturus tam ex Gravioribus, quam ex junioribus, omnes interim genuflexi mutua colloquia interrumpebant. Quæ nativo ſermone dicebantur, a diſcipulis meis aliquo modo exprimitur in ſequentibus ſoliloquiis.

Chriſto Nato Soliloquium.

AH puer! ah vili mea gaudia nata ſub antro!
Noſtra ſalus, Matris gloria, Patris amor.
Numina cum vidi famulis circumdata ſtellis,
Rebar Apollineum vincere clara jubar.
Fallimur; heu nullos Puer explicat aureus ignes;
Nec pulchro rutilos exerit ore rogos.
Sol amat iſte nives, nive frigida membra gelaſcunt
Nullaque Sol, Solem quæ comitantur, habet.

Ipſa

Ipſa tibi Cælum domus eſt; tamen ederis antro,
Criptaque montivagis te tenet apta feris.
Heu paleis texto puerilia membra cubili,
Pupe, jacent; vernis membra tegenda roſis.
Attamen, ut ſolis, tua ſentio lumina; flammis
Uris amabiliter pectora noſtra tuis.
Quod pateris frigus, mira ratione calorem
Excitat, & gelida ſub nive flamma latet.
Ure precor; penitus mea corda liqueſcere coges;
Ure precor; dulces ſunt in amore faces.
Adjice, caſta Parens, Pueri Vigil adjice cuſtos,
Adjicite his precibus, cælica turba, preces.
Vos quoque, Paſtores, pro me pia fundite vota;
Veſtraque, vos Reges, addite vota meis.
Solus ero, Puer alme, tuus; mea ſi tamen obſtant
Crimina, ab illorum conſequar iſtud ope. *I. V.*

Aliud in die Circumciſionis.

QUid video? jacet heu vili Puer editus antro
Numen, & æthereo rupem commutat olympo
Bethlemicam? paleis contexit ſedula cunas
Caſta Parens, ſacra næniolis in lumina ſomnos
Allicit, atque ſuis fletus quoque fletibus auget.
Nec tibi faſciolæ, nec qui mala temperat ignis
Frigora; vix tepido niveum bos flamine Corpus,
Qua licet, arte fovet, mi Pupule; ſed tamen ipſe
Frigore, Pupe, tuo noſtrum ſuccendis amorem.
Nec ſatis eſt pectus ſuccendere; me ferit ictus
Qui tua, belle Infans, temeravit membrula; ferro,
Quo te, belle, ferit, mea corda laceſſit eodem.
Quid refero? quis noſtro exit de vulnere ſanguis?
Currite vos, lacrimæ, ſi pondera vocis habetis,
Currite ſanguinei latices, ſpeciemque coloremque

Induite, & tenerum currendo aſpergite Pupum:
Sanguine miſta ſuo mea ſanguinis unda dolorem
Communem teſtata fluat; ſed Pupule frigent
Corda tuas inter flammas, lacrimaſque profuſas,
Atque cruorem inter pene arida lumina ceſſant.
Ah mihi te dignum precor ah! da Numen amorem;
Cor accende, oculis lacrimas concede perennes,
Et cruor e venis ſaliens teſtetur amorem.
Tu quoque Diva, Parens, teneros in pectore motus
Excita, & affectus ſimiles infunde clienti.
Virgo, tuis, ac maternum mecum exige munus.
At tanto Dea non equidem me dignor honore,
Ante fores per quinque dies, nocteſque morabor
Regalem opperiens comitatum, & dona ferentes
Regia pone ſequar; ſacraſque oblatus ad aras
Cor Puero ſiſtam: quid amat niſi corda, Puellus? *I.N.*

ALIUD.

QUÆ nova cauſa tuos, mi Pupule, cogit ocellos
Blandula lacrimulis ora rigare? dolor.
Quid tamen ingentem Puer excitat alme dolorem?
Corpore quis tenero vulnera fixit? amor.
Ah amor! ah nunquam ſatiabile pectus amantis!
Plura pati, multum cum patiatur, amat.
Nonne ſatis fuerat pro me tot adire labores?
Siſte, quid o ferrum, membra tenella feris?
In me verte precor, tua vulnera, verte furorem;
Hæc ſit criminibus debita pœna meis.
Non fera ſævities, ſi vertere cuſpidis iras,
Atque audes in me figere vulnus, erit.
Effluat e venis mea ſanguinis, effluat unda,
Effluat, ah vitæ prodigus ipſe cruor.
Ah ſaltem in lacrimas ſe pectora noſtra reſolvant;
Dum rigat, heu noſtros Pupulus imbre ſinus.

Pone

Pone Puer lacrimas, nam ſi mea crimina ploras,
Quam pateris Judex, debita pœna reo eſt.
Sed plora, ſim cauſa tui, mi Pupule, fletus;
Crimina lacrimulis ablue noſtra tuis
Ne plores, Matrem dolor hic quoque vulnerat; ecce
Indicium, vultu qui cadit imber, erit.
Denique ſi ploras quod te mala frigora lædunt,
Ne plora, in noſtrum cor, Puer alme, veni.
Non dulces violæ, non dulcis amaracus illic,
Durius heu! duro marmore pectus adeſt.
Sed jam tot lacrimis moleſcit, & ipſa calore
Te corda excipient, quem tuus ignis alet. *S. R.*

Ad idem ad finem temporis Natalitii.

SI lacrymis adhibenda fides, ſi pupula vocis
Munera, dum tecum corda loquuntur, agit.
In lacrymas juvat ire, mei fidiſſima cordis
Signa, animi indicium (blande Puelle) mei.
Quem voces nequeunt, lacrymæ teſtantur amorem;
Ah lacryment, quæ tu, Pupule, corda feris.
Corda ferit Puerum rigida ſub rupe jacentem
Cernere; frigidulum cernere, corda ferit.
Ah, Puer alme, tuo laceras mea corda dolore;
Lacrymulis lacrymas elicis ipſe tuis.
Ah Puer! ah quanto mihi cor exæſtuat igne?
Cum tua torquenti ſub Jove membra jacent.
Ecce leves ſtipulæ tibi Pupule tela miniſtrant
Queis mea perdulci vulnere corda feris.
Quid tuus in cunis amor appetit? An mea quæris
Pectora ſub telis icta jacere tuis?
Cor abit in fletus, & amoris ſaucius ictu
Opprimor; en ſacro pectus ab igne calet.

Atque tuum quamvis jam non celebrabimus ortum;
Et prope jam feſti, Pupe, abiere dies;
Da, precor, ut ſemper bene te mea pectora ſervent;
Servari noſtro pectore dignus eris.
Hic utinam aſſiduis conſumam fletibus ævum;
Deliciis fletus proderit ille meis.
Extremumque vale tibi dicere ſæpe volebam,
Nec potui; aſt abeas in mea corda; Vale. *E. C.*

IN ILLIBATO MAGNÆ DEI MATRIS CONCEPTU GRATIÆ ET NATURÆ FOEDUS.

COR

Naturæ in formando Virginis Corde artificium.

COr animæ ſedes, Vitæ naſcentis origo,
Interius penetrale habitat, qua parte ſiniſtrum
Sub latus inflexo cameratur fornice pectus.
Huc natura parens ſeſe intulit, hoc ſibi primum
Deſtinat artis opus, primo ſed reflua ductu
Conſtiterat, niſi calcar honos, niſi gloria vires
Sufficeret; tandem auſa, ſacroque exuta pavore
Tentamenta operi deſignat; ut herbida radix
Huc, illuc fibras per mutua vincla catenat;
Haud aliter nexus filatim orditur, & omnem
Natura intextum concreto ex igne figurat,
Igne, quod ardenti Cælum ſpirabit amore;
Terrena nec mole gravat, dant pabula flammis
Intertexta operi de puro fragmina Cælo.
Ne tamen abſumat calor inſitus, applicat alas
Forma agiles ſurſum extenuans, aptatque moveri
Dulce refrigerium; vitalem motibus auram
Protinus elicuere, & flammea pectora mulcent.
Cordis ut exterior pars eſt imitata figuram,
Interius cavat & membrana interſecat urnam

San-

Sanguinis altricem, quam mira terminat arte
Vena duplex membris almum emiſſura liquorem.
Perfectum coaleſcit opus, pars cuſpidis inſtar
Qua terram ſpectat, ſenſim decreſcit in orbem,
Explicat inde ſinum, & cælo pars maxima tendit,
Occurritque ſibi, varioſque reciproca nexus
Vena iterat repetita, intus calidiſſima fornax
Æſtuat, inductoque ebullit nectare Sanguis.
Hinc dotes operoſa addit; namque imbuit altos
Nobilitate animos, generoſum inſtillat amorem,
Dat flecti prona in miſeros, majoraque mundo
Vota effert, mediiſque elata interſerit aſtris.

Gratiæ in perficiendo Corde induſtria.

ERgo operi Natura parat ſubſcribere nomen;
Ut notet indicio nominis Author opus.
Emendatrici cor Gratia lævigat arte;
Atque ait; hoc noſtræ cor decor artis erit.
Non mea perficies, nec enim perfecta manerent,
Dona; ſatis famulas eſt adhibere manus.
Sat tibi parte frui, ſed prima, ſed ultima nobis
Pars erit, & toto plurima corde ferar.
Neve tuum culpæ ſufles Natura venenum,
Occupet incœptum Gratia Cordis opus.
Poſſe ſecare nihil, nihil addere poſſe fateris,
Addat multa tamen Gratia, multa ſecet.
Nec mora: divino perfundit corda vigore,
Et modo vix aliquid, quod fuit ante, manet.
Ebibit æternos animabilis unda vigores,
Pergit & in ſolitas ire, redire vias.
Enſe dolor quondam pia corda refiget acuto,
Jam loca deſignat, qua ferus enſis eat.
His tamen indoluit, quod ſit penetrabile telis,

Perque ſuum Cæli gaudia ſpargit opus.
Cernis ut ipſa ſuis cor Gratia dotibus ornat!
Magnanimum, tenerum, nobile, mite, pium!
Cor prope divinum, quo Numinis erigit aulam,
Majus & orbe, capi qui nequit orbe, capit
Adde quod æterno totus eſt quoque gratus Amori,
Deliciæque ſacri ſemper Amoris erit.
Hic procul a curis dulcem hauriet ipſe quietem,
Dum vibrat in Superas dulcia tela plagas.
Undique munitus ſe corde tuebitur, auſit
Ne tentare dehinc bella profanus Amor.
Ite procul tædæ, procul ite cupidinis arcus,
Nulla patet telis pervia rima tuis.
Projice, victe Puer, tua projice tela, ſagittas;
Athorem repetunt tela reverſa ſuum.
Namque ubi læta ſuam ſibi Gratia conſtruit arcem,
Invia non aditum, qua petat hoſtis, habet.

Gratiæ & Naturæ concordia.

PEctore incluſos animo rebelles,
Credite, experti, reſidere motus;
Prona ſe confert vitio voluptas
Cordis in arcem.
Crimina inſtigant, ſcelerumque fomes
Intus exardet, furor intus urget,
Intus ultrices movet ira flammas
Indice Vultu.
Proh dolor! poſtquam miſerum nefaſto
Anguis affatu maculavit orbem,
Atque fatali vomuere fauces
Ore Venenum,
Tabe corruptos genus omne morbi
Serpit in mores, & iniqua peſtis;

Nec

Nec poteſt ſævos cohibere motus
Debile pectus.
Æſtuat flatu quoties ſuperbo!
Mollis enervat quoties voluptas!
Quot venenoſo jaculatur ictu
Tela Cupido!
In ſcelus natura animum figurat
Cereum flecti, dominatur Orbem
Gratia diſcorde, ſibi nec ullo
Fœdere jungit.
Utque formandæ pia corda Divæ
Senſit, affectam ſtudioſa dextram
Admovet, ſedem tamen occuparat
Gratia præcox.
Gloriæ partem ſimilis roganti
Adſtat, adſtantem toties repulſa
Reſpuit vindex, comitemque fugit
Gratia dextram.
Ergo naturam videt illa morbi
Inquinaturas poſuiſſe ſordes,
Et ſibi novit ſtudium in ſorore
Gratia compar.
Mitior proli cupit eſſe Mater;
Quidquid averſa facit ire fronte
Gratiam, excludit, vitiumque primi
Traducis optat
Tollere: inſani rabiem furoris
Tollit, & turpes ubi poſſit ignes
Figere inſanus Puer, aut triſulcæ
Cuſpidis ictus.
Quidquid indignum putat eſſe Divæ
Tollit, in rectum dare pectus ardet
Flexile, ut ducat faciles in imo
Gratia motus.

Gratia ut dextram videt obſequentem
Gratulabundæ ſimilis ſororem
Mutuo tanti comitem decoris
Fœdere jungit.

CORPUS. Natura Corporis fabricam adornat.

QUalis apes gratum exercens ſub ſole laborem
Connectit mira arte favos, modo nectare cellas
Diſtendit, ceraque breves modo circinat orbes;
Haud aliter ſacros formandæ Virginis artus
Contemplata diu, ingenuo Natura Puellam
Ordine diſponit: caput altius eminet, inde
Subſequitur collum, & collo pars proxima, pectus;
Deque humeris ſurſum aſpicias duo brachia naſci
Amplexura Deum; huc omnem dexterrima curam
Tranſtulit officio indulgens, gratumque tenello
Hic Natura Deo ſolium parat, extima læves
Ornamenta aptat digitos; adamante venuſtat
Candorem, diſtinguit Onix pellucidus ungues.
Corporis inde nitet ſeries gratiſſima Cælo,
Nec mage digna Deo, nec pulchrior extitit unquam:
Intercluſit opus reverentia; nam modo ſacrum
Formatura uterum, jam tunc venerata futurum
Numinis hoſpitium ter conſtitit, & ſibi quamvis
Partem opere in tanto ambierit, non viſcera poſſet
Fingere portatura Deum, niſi Gratia vires
Ferret, & unanimi ſociaret fœdere dextras.

GRATIA. Corporis expolit Symetriam.

QUid mirum attonito ſtupeat ſuſpenſa pudore
Natura, incœpto ſi Gratia conſtitit ipſo
Tota impar ſibi viſa operi? at firmata potenti

Nu-

Numinis imperio dextram applicat; auſaque ſacrum
Naturæ perfecit opus, perque omnia Numen
Spirat agens, cor Numen habet, lux cælica vultu
Irradiat, tronus ipſe Dei transfertur ab aſtris
Virginis in gremium: Cæli ſpatia alta videres
In ſacrum contracta uterum; puriſſima Divæ
Viſcera naturæ ſuperant ſine limite vires.
Mira quidem brevitate ſua; majorque videtur
Ipſa Deo brevitas, cui parva palatia Cæli,
Numinis aula capax fiunt ſacra viſcera; nectar
Quondam alimenta Dei, & puero incrementa daturum,
Pectus habet: Deus ipſe Deus ſine tempore natus
Nunc hominum vitam accipere, atque in tempore naſci
Sponte volet, ſacroque includi Virginis alvo.
Ergo intenta operi concepto deſtinat aulam,
Nato alimenta Deo, & ſeſe per ſingula miſcet
Gratia; venturoque inſervit præſcia fato.

In Sanctiſſimæ Virginis ornatu Gratiæ, & Naturæ Encyclopedia.

PAndoram unanimes Deos
Decertaſſe ſuis comere dotibus
Fama eſt: primo habilem ferunt
Vulcanum artificis vulnere mallei
Excudiſſe Deam. Inſpice
Facti, ſiqua fides, inſpice imaginem:
Huc Divum, atque hominum Pater
Quid divinum adhibet; primus ut excolat
Ornandum ſuperis opus.
Majeſtatis honorem, egregium decus
Affundit: fluidum bibit
Pandora eloquium Mercurii; inſidet
Mars corde: inſtruere arduam

Men-

Mentem Pallas amat; Delius inſerit
Muſarum faciem; hanc lyræ
Sive inter Comites, ſeu Cytharæ modis
Monſtrari digito velit.
In vultu Charites, inque oculis Amor,
In forma Venus innatat;
Nec quam ſeligeret, jam temerario
Idæ eſſet locus Arbitro.
Aſt hinc docta ſile, Græcia, fingere,
Mirandum Licet innuas
Omen; quidquid habet maximum, & optimum
Summum, grande, venuſtius,
Quidquid prodigii Gratia contulit
Natura comite in Deam.
Nam vitæ attigerat vix ubi lumina
Largitura quod indies
Larga per reliquos deſtribuit manu,
Curam impenſius addidit
Natura, eque ſinu Gratia divite
Theſauros penitus ſuos
Æternas Superum divitias, opes
Exprompſit, cumulatius
Acceptura lucrum fœnoris; Ædipe,
Divam noſcere ſi cupis
Hæc vel ſumma ſuper culmina montium
Fundamenta locat, ſuo
Hæc ortu ſuperans agmina Cælitum,
Primum fixit eo gradum,
Quo non unquam alius fixerat ultimum.

VULTUS. Naturæ in effingendo Deiparæ Vultu apparatus.

HUc ades o, Cæli qui clarius emicat ardor,
Huc ades, in pretio quidquid Olympus habet.
Hactenus in gemmis mentita creavimus aſtra,
Flavaque per terræ viſcera dives eram.
Per me ſyderei gemmaſcunt prata nitoris
Æmula, veris opes prodiga fundit humus.
Majus opus moveo, per tot labentia retro
Siquid grande fuit ſæcula, ludus erat.
Sunt formanda Deæ ſacra Virginis ora parentis,
Quæ careat nævis unica forma meis.
Prædatrix ſit forma poli, ſit numinis illex,
Forma ſui immemorem reddere digna Deum.
Sive opus eſt gemmis, adamante corallia jungam;
Sive opus eſt florum, copia veris adeſt.
Dixit, & Annæ uterum properans reverenter adorat,
Inque laborando tota moratur opus.
Cæſaries electra refert, ubi concolor auro
Explicat inflexos tortilis unda ſinus.
Crine tamen purum ſine fœcibus emicat aurum,
Atque electra decus neſcia ſordis habent.
Lactea ſtat cervix, dant ſydera clara nitorem,
Sed qua parte tamen ſydera ſorde carent.
Inde per ora roſas, & candida lilia miſcet;
Labra, genaſque oſtrum, cætera candor habent.
Diſtinguamus, ait, rubicunda aſpergine vultus,
Dum ſimul Alpinas ſpargimus ore nives.
Munera perſpicuæ cumulabimus omnia formæ,
Quæ reliquis dederam ſingula, juncta dabo.
Attamen hæc noſtra laus maxima ſurget ab arte,
Melliſluos roſeo cum dabit ore ſonos.

In-

Ingenuo fornix oſtro jamjam intus (eburna
Quem duplici cingunt ordine ſepta) rubet;
Eſt aliquid verbis ſacra flectere Numina poſſe,
Quæ poſſit numen flectere, lingua ſonet.
Ah quoties dulci dabit oſcula dulcia Nato!
Ah quoties Nato dulcia verba fiuent!
Adde quod in ſacro, qui lumina fixerit ore
Sentiet in caſtos pectus abire rogos.
Stemma pudicitiæ roſeo micat ore venuſtas,
Viſa pudioitiæ pectus amore rapit.
Euge; tot alma Parens tibi gratia ſolvit honores!
Sunt majora quidem viribus illa meis.
At comes acceſſi, qua Gratia ducit euntem,
Formandæ ad vultus non ſatis una Deæ.
Augeat illa decus, majeſtatemque verendam
Imbuat, in vultu ſparſa venuſtet opus;
Quæque ſuas properet modo jungere ſedula dotes:
Dignior haud noſtris dotibus ulla fuit.
Mecum una in vultu jam gratia fulgeat; orbis
Quid timeat, quid amet, quid vereatur, habet.

Gratia in exornando Virginis vultu Naturæ ſocietatem renuit.

TErreſtre cælum pingere molior,
Cui victa cedat gloria Cælitum,
Ad cujus aſpectum nitorem
In tenebras rediiſſe credas
Felicis aulæ; ſit penitus meum
Formare Divam; totam opus exigit
Hoc Gratiam, humanoque majus
Sacra petit ſibi Diva munus.
Ergo profanas quid male congeris,
Natura, dotes? queis Venerem æmulam

Eſſet-

Eſſetque conſortes pudendæ
Virgo lupas habitura laudis.
At molis expers lumen amabile
Diæque lucis particula in ſacro
Vultu refulgebit, nitorque
Cui fuerit rudis umbra Phœbus;
Claræ petendus Virgini, & inſcius
Fatalis umbræ; huic omne Deus jubar
Affundet, atque ipſum viciſſim
Virgo Deum ſimulabit ore,
Numenque Divam; quiſque ſui invicem
Imago fiet mutua, dum ſacros
Vultu imprimet vultus; opaco
Non aliter ſaturata fulget
Phœbi nitores excipiens ſinu
Adverſa nubes, namque Parelium
Pictore deſcribens in umbra
Sol radio, ſimili decore
Propagat aſtrum, dum propriæ æmulum
Creare lucis gaudet, ubi inſitos
Non cura diſtinguit nitores,
Ancipitique oculus vacillat
Suſpenſus aſtro; par dubios facit
Utrumque viſus, ſic ſpeculum ſui
In Matre, ſic tantum increatus
Sol poterit ſimilem creare.

In Deiparæ Vultu expoliendo Naturæ, & Gratiæ amica contentio.

N. ARguis immeritam; cum ſit ſine crimine, formam
Quam dedimus pura eſt, formaque ſorde caret.
G. Neſcia ſordis erat, ſordes tuus addidit error;

Fit-

Fitque comes vitii, quæ ſine labe fuit?
N. Quid tamen a prima ſurgentis origine mundi
Hoc ſuus innocuum fecerat author opus.
G. Heu! decus amiſit; nam poſtquam infecerat anguis
Afflatu, miſera corruit ipſa lue.
N. Non vitio mihi danda lues, mea vulnera ſenſi,
Et memini caſus ingemuiſſe meos.
G. Eſt vitio tibi danda lues, nam cauta receſſi
A ſcelere, eſque ſcelus tu comitata tuum.
N. O utinam vitare hominum commercia poſſem!
Non ita communi perdita labe forem.
G. Nunc etiam primæ ſerpent contagia peſtis,
Infecta infectum dextera reddet opus.
N. Ne timeas ulla immuni contagia Divæ;
Antidotum morbo nam feret illa meo.
G. Eſt aſſueta tamen tua dextra erroribus. N. error
Nullus erit ductus dum ſequar ipſa tuos.
G. At male conveniunt in Virgine ſacra profanis.
N. Uſu ſacrabit dona profana ſuo.
G. Floribus anne paras ornare recentibus ora?
Et pretium gemmis addere, ſole jubar?
N. Omnia quæ feci facto ſuperabimus uno,
Inque Dea, fateor, pars erit iſta minor.
G. Floris honor brevis eſt, patitur ſol clarus eclypſim,
Deque luto eruitur gemma nitoris inops.
N. Quin marceſcat erit, ſine ſorde, immunis eclypſi
Lux ſolis, gemmæ gratia, floris honor.
G. Non arti tam mira tuæ conceſſa poteſtas;
Si quod perficias, ordiar ipſa, ſat eſt.
G. Nil mortale decet Divam. N. Mortalia Divam
Hæc mea mortalem dona decere reor.
G. Magnæ equidem munus decet immortale Parenti.
N. Immortale tuo munere munus erit.
G. Sola ſuas potis eſt inducere Gratia dotes,

N. Quas

N. Quas Natura poteſt aſſociare ſuis.
G. Nec niſi ſol ſimilem depingit in æthere ſolem,
N. Nubem, quæ radios hauriat, apta feram.
G. Eſto feras nubem, ſed qua tamen umbra recedat,
Nullaque ſit radiis pars caritura meis.
N. Prominet hic nubes, qua frons erit (G.) illa nitores
Ebibet (N) hic oculi (G) ſyderis inſtar erunt.
N. Illa ſupercilii majeſtas explicat Irin.
G. Stemma quidem noſtri fœderis Iris erit.
N. Luceat hic facies, niveo pars altera collo,
Illa ori, roſeis pars erit illa genis.

OCULI. Natura in Virgineis oculis exprimendis ultimum conatum adhibet.

ERgo Divæ oculos Cælo ſpectabile Sydus,
Deliciaſque Deum Natura in principe ſenſu
Molitur ſtudioſa, adamantes undique vivos
Imprimit, aut geminos credas inducere ſoles;
Nam puris cæleſte jubar prædatur ab aſtris.
Frons ſublime parat ſolium, confinia lucis
Jam facies rubicunda probat, lunantur ut Iris
Flexa ſupercilia, iratum flexura Tonantem.
Jamque oculus concha inſeritur, riget undique firmo
Præſidium murale ſitu, ſit palpebra lucis
Arbitra, ut oppoſito inducat velamine noctem.
Mira intus ſeries! tunica ſeptemplice molem
Aſpiceres intextam: hic plurima venula flexus
Implicat, ac vario diſcriminat ordine fibras.
Fulgurat ex oculis nitor igneus, æmula vultu
Lux micat aſtrorum; ſit curia viſus Amoris,
Fit charitum ſedes, cordis fidiſſimus index,
Mutaque vox animi; in niveo criſtallinus humor
Innatat, at medium vivaci pupula motu
Occupat, immenſo quidquid diſperſerat Orbe

Natura, in puncto ſibi pupula colligit uno.
Utque artis Natura ſuæ compendia finxit
In Divæ obſequium, globuloſque morata laborat;
Subſiſtitque anceps, mox lento examine verſat,
Perluſtratque, error ſi forte obrepſerit: inde
Poſtremi vitam accipiunt, prius omnia ſacram
Membra animam ſenſere, adeo Natura labori
Inſudat, longumque inſumit provida tempus.

Ad Oculorum Virginis perfectionem manum ultimam adhibet Gratia.

FInxerat e puro liquefacti ſideris igne
Solis ad invidiam Natura intenta labori
Flagrantes oculorum orbes, bina aſtra modeſtum
Emiſſura jubar: Sacræ tum Gratia fronti
Seſe infert operoſa, & multo ardentia Phœbo
Lumina, cæleſtique implevit provida luce.
Tu modo principium vitæ, & pietatis aſylum
Janua, quæ læthi quondam fuit, heu! quibus illa
Exitiumque, necemque infert! ut noxia ſerpens
Infecit poma, ut viſo tot funera malo
Intravere animum, & pulchra ſub imagine virus
Corripuit mortale genus; per lumina blando
Mors lapſu irrepſit ſeros læſura nepotes.
At modo divinos oculis afflavit honores
Gratia, fatalique impervia præſtitit Umbræ
Lumina: Primævo natura infecta veneno
Mortem illaturos Baſiliſco effingere viſus
Poſſit, & infeſtos oculis fatalibus Angues.
Sed quis virtutem blandis infundit Ocellis
Prædatricem animi? & veteris medicamina peſtis
Vitam ægro latura Orbi, niſi Gratia? firma
Ne credas oculorum acie tranſcurrere lynces,

Oc-

Occultos terrarum aditus, lunamque latentem
Decreſcente globo, & cæli ſpatia ampla tuendo;
Vera tamen fictos Dea vincit acumine lynces.
Ac veluti firmo obtutu Jovis armiger ales
Lampade Phœbæa non coniventia figit
Lumina, ſic Divæ propius cognoſcere Numen
Athereaſque plagas, cælique occulta tueri,
Æternumque haurire datur jubar, hinc ſua major
Gloria, Naturæque evincit Gratia vires.

Ex Naturæ, & Gratiæ fœdere Pulchritudinis Epilogus.

NAtura, lapſus nunquid ulterius tuos
Timere poteris? Eſſe perfectam ſacro
In hoc opere dediciſti; in ipſo gloriam
Forte invidebit Gratia ereptam ſibi.
Hanc ſæpe comitem reſpuiſti, at nunc putat
Viciſſe; ne tu prima in ornando fores
Properavit illa, tuque properaſti ſimul
Ne Gratia foret unica; pari gloria
Utraque ſuperbit, niſi quod in ſummum gradum
Nunc elevata te ſupra aſcendis; dehinc
Te cupiet ipſum Numen artificem ſui.
Nec minor in Gratia decus, iniquis diu
Fatis relegata exeret preſſum caput,
Vetitaſque Olympi læta reſerabit fores:
Ignota mundo tandiu, & longo exulans
Tempore ſalutem deferet mortalibus
Scelerum veneno, & turbida infectis lue.
Deus ipſe larga te dabit poſthac manu
Adæ nepotibus: Euge poſthac Gratia,
Natura poſthac euge! neutra comes ſequi
Renuat ſororem, latius veſtrum patet

Cuicumque regnum: junge Terram, Gratia,
Natura, Cælum, veſtro in æternum quidem
Commune Cælum, Terraque imperio manet.
Natura poſthac euge! & euge Gratia
Ignota mundo Gratia, & Cæli plagis
Aſſueta quondam, vixque clementem dabas
Credi Tonantem; at euge! nunc Terram Deo
Ligas amico fœdere: Noverca fueras
Natura, ſed nunc Matris officium piæ
Præſtabis orbi, digna comite Gratia
Regnare, poſtquam crimine immunem Deam
Formando penitus vitia dediciſti tua.
Natura poſthac euge! & euge Gratia,
Regnate pariles, namque Natura inſita
Gratia videtur in Dea: miro invicem
Amore quævis jungitur: habita mutuo
Conſtanter odio, jungite unanimi piam
Amore dextram, fruimini veſtro bono
Natura Diva fruere, fruere, Gratia,
Natura poſthac euge, & euge Gratia.

Antonius Ruis Hiſpanus Deiparæ Virginis a Conceptione invocato nomine ab imminenti Naufragio liberatur.

CRiminis expertæ timuere pericula Divæ
Nomina, queis famuli paruit unda maris.
Solverat Antonius patrio de littore puppim,
Et dederat placidis carbaſa tuta notis;
Cum tumidus cœpit tumidos attollere fluctus
Nereus, & trepidæ bella movere rati.
Turbine deripitur pinus, laceraraque pendunt
Lintea, jam rimas ducit utrunque latus.
Interea infelix, (quid enim, niſi vota, ſuperſunt)
Poſcit opem ſupplex, Partheni Virgo, tuam.

Huc

Huc ades, oh miſeris dux oh fidiſſima Nautis,
Mitior imperium ſentiat unda tuum,
Da ſacris operer niveo tibi cinctus amictu,
Prima tibi redeat cum ſine labe dies.
His ego nempe Sacris operatus rite quotannis
Servabo intactam tempus in omne fidem.
Vix ea vota dedit, pelagi mox ira receſſit,
Et rapidas venti depoſuere minas.
Senſit enim Dominam, & poſita deferbuit ira
Ut Dominam votis ſenſit adeſſe ſuam.
Senſit, & intremuit toto procul Æolus antro,
Et revocat fuſos ad ſua clauſtra notos.
Senſit & Elpirus reducis miracula vitæ,
Atque hilaris portum Te duce Virgo ſubit.
Nec mora: mox geminas tendens ad ſidera palmas,
Vivimus ergo tuo numine, Virgo parens,
Vivimus, & quantum per te nunc vivimus horæ,
Qua fruimur, vita da ſine labe frui.
Hæc tibi vota dedit puro de corpore quondam
Antonius, medias naufragus inter aquas.
Hæc tibi nos pariter, puriſſima Partheni, vota,
Has tibi ſolemnes fundimus ore preces.
His ſiquidem pelagi dudum jactamur in undis;
Perque procelloſum velificamus iter.
Vita mare eſt, ſcopulis, & ſyrtibus undique manat,
Sæpe etiam ventis tollitur illa ſuis.
Delicias, & opes, & inania nomina rerum,
Hos vita heu! ſcopulos inſidioſa tegit.
Sæpe etiam mentis denſa caligine Cælum
Eripitur nobis, eripiturque dies.
Ergo age, quæ fulgens duodeno ſidere cincta,
Candida quæ ſoli diceris eſſe Parens;
Naufragium commune hominum, quæ libera neſcis,
Naufragio ereptos ceu Cynoſura rege.

Tu dubios per tot rerum diſcrimina curſus
Dirige, tuta tuo Numine navis eat.

Paſtores Scientiæ amantes labore in ſtudiis nequidquam collocato qua ratione in litteris profiſcere poſſint, edocentur.

ECLOGA.

TYTIRUS, LICIDAS, DAPHNIS.

L. TYtire, qua premeris cura? quid Daphni revolvis
Pectore? Suſpenſi ſiquidem veſtigia greſſu
Figitis, & torva reſident ſigna aſpera fronte,
Quæ mihi vos referunt funeſta in imagine triſtes.
D. Te fugit, heu Licidas, duri inclementia fati,
Nec lacrimis lenita piis, nec ſupplice victa
Munere, nec crebris precibus? L. Quid? D. Rumor in omnes
Sparſus iit montes, nec dum pervenit ad aures
Fama tuas? reſonant valles, atque antra, nec audis?
L. Parcite, namque meas ſecreto in culmine rupis
Rure procul patrio per inhoſpita ſaxa Capellas
Ducebam, dum preſſa gemunt, & vina redundant.
Quidquid id eſt, ne conde ſinu, ſed jam mihi caſus
Fare tuos, ſubito, quæ non fluit, unda putreſcit,
Flammaque majores referet compreſſa ruinas.
D. Si tibi tantus amor luctus cognoſcere noſtros,
Teque adeo tangit dolor hic meus, accipe paucis:
Poſt tot tranſactos obſcuro in pulvere ſoles
Ruſtica pertæſus ſegnis commercia vitæ,
Multa movens animo, ſtudiis intendere mentem
Optabam, ut poſſem meliorem addiſcere ſortem.
T. Me, Licidas pariter fervens idem ardor habebat
Exuere incultos mores, inopemque colonum,

Et

Et per odorati ſecreta roſaria Pindi
Ludere, mellito demulcens carmine curas.
D. Non ſic ſqualentes urit cum Syrius agros,
Atque areſcenti tellus diffinditur ore,
Cunctaque langueſcunt nimio concuſſa calore;
Non ſic irriguos fontes, dulceſque natatus
Tunc deſeſſa armenta petunt, nemorumq: receſſus,
Incenſum veluti nobis prævisa cupido
Cor ſubiit doctam penitus demergere ſacro
Fonte ſitim, dulciſque haurire arcana Poeſis.
T. Ergo ambo pariter vicinam tendimus Urbem
Urbem illam vatum emporium, Muſiſque frequentem
Famæ avidi, ut nobis rivis exundet apertis
Doctrina, & votis pateat lata area noſtris.
D. Nec nos pœnituit duros ſubiiſſe labores,
Et vigiles noctes, & feſſas ducere luces;
Barbaraque indocili deducere carmina vena.
Sed fruſtra incepti per tempora longa labores;
Quid cura inſomnis, ſolers quid profuit uſus?
Phœbe Pater, longe cur nam penetralibus arces
Pertentantem aditus, & munera pura ferentem?
Spes erat ut vates, perculſus numine mentem
Te vatum præſes, vernantis gloria Pindi
Muſarumque decus, canerem; majoraque tentans
Viribus, haud humili celebrarem laude triumphos.
Cur retrahis viſus, noſtros cur fallis amores?
Nec ſinis Aonios pleno ore haurire liquores?
Dicite deluſum fons, hortule, dicite, Daphnin,
Dicite crudelem, nemora omnia, dicite, Phœbum.
L. Non ſatis eſt animum curarum mole gravatum
Autumno relevare novo, dum callida tendis
Lina avibus, multas dum plumbi grandine prædas
Sterniş, dum pecudes ad paſcua nota reducis.
D. Venari volucres, fateor, mea ſola voluptas,

O Licidas, miſerum, ſed me ſpes vana fefellit!
Sunt mihi diſtenti frondoſa per arbuta caſſes
Inque orbem ducti cura ſenioris Amintæ,
In medio rami tolluntur, & illita muſco
Fallendis avibus virgulta interſita ramis.
His mane excuſſo ſolito maturius ibam
In mea vaticinans caſuras retia prædas;
Aſt eheu! meminiſſe pudet! fruſtrata cadebant
Retia, & in viſco niſi ludens aura ſedebat.
L. O te falſum animi miſeret, proh ſortis iniquæ!
Tu vero tantos meliori ſorte labores
Alline, ſollicito jam fer ſolatia cordi.
T. O quid agis! Talis mentem dolor improbus hauſit,
Quem neque venandi perdulcis temperat ardor,
Nec liquidi fontes, nec ſtagna virentia muſco,
Nec pictæ florum facies, cantuſque volucrum.
Me miſerum! duri trans flumina, tranſque reductas
Sylvas mente coquens curas, faſtidia Phœbi
Plorabo, ſaxiſque meos narrabo dolores.
L. Deſine & indignos ergo ſub corde fovere
Queſtus, terge oculos, & mœſtos erige vultus;
Ipſe ego te dulcis perdiſcere ſacra Poeſis
Qua ratione queas, faveas modo mente, docebo.
T. Si quis Cælicolum tantum concedere munus
Vellet, ad illius perpingues ſæpius aras
Plurima de noſtris exiret victima ſeptis,
L. Parhenis æthereas inter pulcherrima Nymphas,
Parthenis aurati celeberrima gloria Cæli,
Parthenis æterni mater ſuprema Tonantis,
Cujus ad aſpectum fundit ſua munera tellus,
Floribus atque novis, ramiſque exultat opacis
Omne nemus, montes & prata virentia rident;
Illa eadem aſſidue facilis tua vota ſecundet,
Dummodo promiſſis maneas, & carmine feſto

Par-

Parthenidem valles doceas reſonare profundas,
Et ſua ſæpe premas largis altaria donis.
T. Quis me ſic dudum tenuit, ne te, bona Virgo,
Tempore quo duris urgebar caſibus, aras
Ante tuas ſupplex demiſſo corpore votis
Urgerem, annueres noſtris ut provida cœptis?
D. Me miſerum! miſerum! cur non maturius illi
Vota dedi; niveo cur non de flore corollas
Intexi, & volucres roſeæ cum mane ſereno
Auroræ plaudunt, per paſcua noſtra vocavi?
L. Nunc facite, o comites, quod non feciſſe doletis.
Haud procul hinc viridis ſupremo in culmine collis,
Sacra domus ſurgit ſaxo conſtructa vetuſto,
Virgineæ Matri donum immortale ſacrarunt
Paſtores, atque omnis conterranea pubes.
Parthenis in media reſidet venerabilis ara
Infantem complexa Deum, qui Virginis almæ
Ubera purpureis emulget chara labellis.
Ver purum blando floreſcit in ore Puelli,
Dulcia labra roſis pinguntur, & ora liguſtris,
Oh belli vultus! oh labra corallina, vellem
Inſpicere, o Daphnis; ſacris ut pectora flammis
Ferveſcant, dulceſque effundant lumina fletus.
Qui vultus decor auguſti, quæ gratia cultus,
Qui malis afflatus honor! quæ pugna colorum,
Ut flagrant oculi formæ Cæleſtis honores,
Ut caput auricomum ſpargit per eburnea colla
Flaventes errore comas, ut candida palla
Adlambit niveos limbo candente cothurnos!
D. O Licidas, Licidas, pulcherrima gratia nymphæ
(Quam mihi tam propriis tentas depingere verbis,)
Incendit pectus; famulos ſibi raptat amores.
T. Hoc unum meus optat amor, pia Virginis ora
His oculis meditans venerari; atque oſcula mille

Fi-

Figete marmorei ſacrato in limine Templi:
Et me perpetuum Divæ voviſſe clientem,
Adjuvet ut noſtros, bruma veniente, labores.
L. Quæ tamen, o ſocii, Dominæ, quæ dona feretis?
D. Haud procul a templo muſcoſo in gramine rivi
Lilia candeſcunt, niveo depicta colore.
Sæpe fluens tenues allambit rivus arenas,
Sæpe tepens Zephyrus vitreas crepitante ſuſurro
Sollicitans lymphas perfuſis nectare pennis
Oſcula lacteolæ delibat dulcia frondi;
His ego Virgineæ contexam ſerta Puellæ,
Et meritos niveo ornabo diademate crines.
L. Tytire, tu vero Dominam quo munere donas?
Siquid habes, prius o nobis cognoſcere detur.
T. Eſt mihi Mæoniis olim compacta cicurtis
Fiſtula, quæ vario conſperſa colore ſuperbit,
Namque caput candet, nunquam ſic lilia vidi
In pratis candere meis: quot fulgida gemmis
Alvus cæruleo mittit ſplendore ſerenum
Aera, quot faculas diverſa in luce micantes
Pandit, purpureo veſtitur murice tergum,
Præſtanos oſtro vincit, me judice, flores.
Hæc mea coccinea circundata fiſtula veſte
Virginis ante aras pendebit pignus amoris,
Ut ſtudiis faveas, & cedro ſcribere digna
Te duce, Virgo, queam, rerumque invadere fibras.
L. Quam mihi veſtra ſedent pueri munuſcula amoris?
Illa placent Divæ; ſed ego ſuperaddere munus
Audeo, quod primos Matris mereatur amores.
Cor cera fictum quondam mihi pulcher Amintas
Præbuit; oh quam dulce opus! oh quam erat arte politum!
Exterior facies minio ſuffuſa rubenti
Purpurat, & patrio rubicunda corallia vincit
Murice, tela fibras per mutua fœdera nexo

Vul-

Vulnere transfigunt, ſuprema in parte coruſco
Parvula flamma natat radio, tetigiſſe timeres:
Ergo meum Dominæ ſupplex in imagine ſiſtam
Cor, quod habet magnæ quamplurima pondera vocis;
Annuat ut tandem votis, & pellere noſtra
Mente velit nocuas denſæ caliginis umbras.
T. At ut chara magis ſint illa, feremus amanti
Ocyus, hæc Matri quantum properata placebunt.
D. Cerea dona feret Licidas, tu Tytire, avenam.
T. Lilia vimineo Daphnis portenta Caniſtro.
D. Ergo agite ad Templum properemus; L. Eamus:
(T. Eamus.

Virgini eloquentiæ Magiſtræ. Rhetorum preces.

POli ſuprema lux, Parenſque Numinis,
Faventium inter undequaque cælitum
Choros beata linque Regna ſiderum,
Et huc nitente nube vecta protinus
Veni: puſilla qua manus ſodalium
Tibi dicata, ſervat integerrimam
Fidem, libenſque ſervitute comprobat
Amoris illa conſtituta fœdera;
Pudica ne repelle vota ſupplicum,
Decora Virgo, ab axe lapſa patrio.
Velis ſubire, quæſo, noſtra limina,
Tuis opemque ferre prompta filiis;
Iter vorare quiſquis eloquentiæ
Anhelus optat; at pia hæc in irritum
Cadent repente vota, ſi repudies
Suave lactis educare nectare
Novos in arte, parvuloſque Rhetores.
Videtis! anne me decora Virginis

Im-

Imago ludit? en per aſtra cælitum
Superba feſta cerno! jam faventium
Bibo jocoſa pronus aure carmina,
Sonantiumque murmur omne curruum.
Videte caſtra deſtributa circulis
Choros, & arte temperare per vagos
Pedes, viaſque mille in orbe texere,
Novis ſtatimque curſibus retexere.
Rubro nitore, jam ſerena nubila
Ubique lucis evibrare ſpicula,
Superna regna perſonare cantibus.
Vago ſuſurrat inquieta carmine
Fides, novoſque concitata fiſtula
Sonos loquace ſemper ore murmurat,
Tubiſque fiſtra copulata dimicant.
Propinquat ecce Mater; ecce currulo
Micantis igne gemmæ ubique ſplendido
Sedet; coruſca quæ corolla Regium
Caput ſuperbit unione cingere!
Potente quæ ſuperba ſceptra dextera
Gerit! nitore palla quo refulgurat!
Decora quæ renidet ore gratia!
Io, triumphe, ter ſuprema ſidera
Ter omnis æther edidere flammulas;
Io, triumphe, per ſerena nubila
Fremit ter Echo, concinitque Parthenim.
Amore pectus æſtuat, laboribus
Benigna Præſes adſtat, ite, mollibus
Roſis parate pulcra ſerta, Rhetores,
Preceſque Virgini integrate proximæ.

In Virginem ſine labe Conceptam Pſittacorum Certamen.

TU quoque dux volucrum domini facunda Voluptas
Parthenidis facilem, Pſittace, noſcis opem.
Noſcis opem, duri dum te certamina Martis
In ſocium cogunt bella ciere tuum.
Fac modo Parthenidem primo ſine crimine diſcas,
Et licet incerto neſcius ore canas,
Parthenis e cælo ſeſe ſine crimine, morte
Inſtanti dum te ſubtrahit, ipſa probat.
Expertem maculæ communis credidit alter
Parthenidem, atque alter credidit eſſe ream.
Latus uterque fuit de Mauris Pſittatus oris,
Ut foret ingentis gloria magna domus.
Pſittacus e ſummis verboſus uterque feneſtris
Turbarat plebis prætereuntis iter.
Ingenium volucris Dominus trahit, ambo volucri
Senſa animi fidunt religioſa ſui.
Hic volucrem docet uſque ſuum: Rea, dicere, Virgo eſt,
Dicere at hic docuit: Crimine Virgo caret.
Nec mora: ſuſpenſæ oppoſita regione viarum
Facundæ volucres quod didicere canunt.
Miratur populus diſcordes carmine Muſas
Vicinas adeo diſſociaſſe domos:
Aſt animum pandit facilis diſcordia linguæ,
Et Dominæ ſordes hic probat, ille negat.
Lux ſubit interea ſummæ tibi ſacra Parenti,
Conceptus celebrat qui ſine labe tuos.
Virgineum ſimulacrum e ſacra tollitur æde,
Innumeræ circum pegmata celſa faces.
Incedunt bini Tyrio cum ſyrmate Patres

Et

Et ſocio calcant compita longa pedes.
Regia purpureis dependent vela feneſtris,
Spectatrix illic fæmina multa ſedet.
Intonuere ſacros cantus, & turribus altis
Æra repercuſſis intonuere cavis.
Pſittacus interea ſeſe disrumpit uterque,
Et ſolitum pleno carmen ab ore ſonat.
Crimine Virgo caret; Contra, rea crimine Virgo eſt,
Virgo rea eſt; contra, Crimine Virgo caret.
Jamque adeo ad pectus vocis deſcenderat ira,
Et vinclum roſtris utraque rumpit avis.
Jamque ungues acuunt, acuunt ad vulnera roſtrum,
Jam crebra infligunt verbera, crebra ferunt.
Virginis interea fulvo ſimulacra metallo
Adventant nitidi luminis inter opes.
Ante pedes Dominæ laceratus ab unguibus hoſtis
Hanc potuit ſontem qui ceciniſſe, cadit.
Alter at ingenti repetit ſua tecta volatu,
Victor & ingeminat, Crimine Virgo caret.
I, felix volucris; ſiquid mea carmina poſſunt,
Semper erit factis fama ſuperba tuis.

In Virginem ſine labe Conceptam. Epigramma

ATtollunt cælo candentia lilia faſtus,
Quæque hæc circundat lædere ſpina nequit.
Quin etiam ſpinas inter mitiſſima candent,
Spina arcet nocuas officioſa manus:
Tu quoque candentes pulcherrima Partheni cælo
Attollis pompas, nec tibi ſpina nocet.
Noſtra hæc conditio tulit has triſtiſſima ſpinas,
Purior has inter, candidiorque nites.
Læſiſſet reliquos niſi ſpina hæc improba flores,
Partheni, flos eſſes nobilitate minor.

Nec

Nec ſuprema Parens Divini Numinis eſſes,
Nec noſtra immunis conditione fores.

In Beatiſſimam Virginem ſine labe Conceptam.
CARMEN.

VIderat e ſummo rerum moderator Olympo
Inſultantem hoſtem vectare in Tartara prædas,
Quas cælo dignas mira formaverat arte
Providus, atque hominum impatiens tolerare labores,
Conceptumque nefas, culpa delere nocentes
Aggreditur, longoque optatum imponere finem
Conſilio, lapſamque Orbis reparare ſalutem.
Principium ergo operis tanti de Matre trahendum
Virginea voluit, Mariamque inducere terris
Jam parat, & ſterilem fœcundat Virgine Matrem,
Inque tuo ſubit, Anna, ſinu mortalibus ægris
Prima ſalus, ſubeuntque ſpei primordia noſtræ.
Artificem inde operis, Divæ qui Matris in alvo
Partheniæ ſedem aptam animæ componat, Amorem
De cælo Deus ipſe ciet, nihil ipſe moratur;
Occupat arcano caſtæ præcordia Matris
Illapſu, ac tacito prætentans pectora pulſu
Sanguinis elicuit puri ſine vulnere partem,
Hic adeo ſibi Virgo parat pulcherrima molli
Tingere membra manu; primam ſibi poſtulat ædem:
Tuque, inquit, me digna olim lux hoſpite ſedes,
Divini tu primus amor, tu primus Amoris
Eſto labor, noſtraſque prius nunc excipe curas.
Jamque ardens operi inſtabat, dextraque potenti
Exagitat lymphas, & formam verſat in omnem
Sanguineos latices; donec concreſcat in unum
Firmior, ac ſolidam valeat retinere figuram.
Totus ineſt in corde ſuo, ſibi namque laborat;

Ip-

Ipſe ſibi ſua tecta parat, thalamoſque pudicos.
Multiplici juvat ergo manu mutare recentem
Qua ſeſe inſinuat, formam, crebroque nitorem
Addere contactu, donec micet undique Virgo
In ſpeculi morem, ſupra tum vertice prono
Incubuit Divinus Amor: bis, terque nitenti
Corde ſuam expertus formam, lætuſque capillos,
Ora, genas, vultus, ſpeciem ſibi reddidit omnem.
Arripit hinc rutilans aurata cuſpide ferrum
Aſperius fieri gaudens, & vulnera ſeptem
Heu! cutis infligit ſupremo in vertice, jam tum
Vulnera venturi gladii, totidemque doloris
Stygmata protendens, quæ pectore Virginis olim
Maternis ſculpſit venis maturior ætas.
Nec modicum eſt operis pretium, nam quantus ab illis
Emicat, hinc ortus quantum capit omen Amoris
Virginei Divinus Amor! fideique futuræ;
Quæ ſemel inſculptam ſit ſervatura Tonantis
Effigiem, tot ſparſa ſimul cæleſtia fundit
Gaudia concepto finem allatura dolori.
Tu quoque Divini cerebum pars magna laboris
Non minus interea authoris te cura fatigat.
Hinc reliquos æque metitur Corporis artus,
Expedit & teneras venas, tacitoſque meatus
Subvehit, ac certas circumdedit ordine coſtas,
Adduxitque cutem membris, teneroſque lacertos,
Atque manus, facileſque loco dat flectere nervos.
Ergo ubi venturo ſit Regia digna Tonanti,
Candida Partheniis Amor admovet ora labellis,
Et ſimul æthereas inſpirat faucibus auras,
Nec bibit exiguum corpus niſi flamen Amoris.
Jamque intus flagrans per fervida viſcera ſerpit
Spiritus, exanimeſque artus invadit, & imas
Explorans latebras, cæleſtibus omnia complet
Igni-

Ignibus, interea ferventi ſemine flammæ
Subſtitit, atque alacri miſcetur murmure pectus.
Anxius, invidia plenus, rabieque parabat
Halitibus piceis intacta crepuſcula vitæ
Tartareus violare Draco, ſed ſenſit iniquum
Imperium amiſiſſe, nec ullam in Virgine partem
Obtinuit, prohibet nigris e faucibus omnem
Afflatum, ſontis neque candida Virgo veneni
Quidquam hauſit, primum tulit hunc a Dite triumphum.
Inſtat adhuc, frendetque ferox, & ſquamea criſpat
Terga Draco, at clauſam quo plus contendit anhelus
Prodere ſævitiem, fauces plus impedit atras.
Tum genius procul ire jubet, validoque vomentem
Squamiferas ex ore minas, agit, excutit, inſtat,
Præcipitemque fugat, diverberat enſe ſonantes
Fulmineo ſquamas, rictuſque obſtringit hiantes.
Dumque atri pinguem ſeſe trahit ille veneni
Sanguineis paſſim ſignat veſtigia plantis,
Ingentique graves tractat ſtridore catenas.
Nec potis eſt oculos demens avertere præda,
Oſtentatque putres ab avorum ſanguine dentes,
Aera nequidquam mordens. I perge cruentum
Infelix monſtrum, procul his te te eripe tectis;
Illa tibi (neſcis) avido quam dente petebas,
Illa tibi promiſſa parat jam prælia victrix,
Impavidoque tuas Virgo pede conteret iras.
Pectore jam clauſum Genitrix ſanctiſſima pondus
Senſerat, & ſacrum jam tum cognoſcere pignus
Ditior unde alvus tumuit, Joachimque, ſuamque
Mente prius cupiit, quam ſenſu noſcere ſortem.
Ecce tibi mediæ per opaca ſilentia noctis,
Cum prope confectam Matrem ſopor altus haberet
Irruit immenſus ſubituſque ex æthere lucis
Nimbus; parva domus tam crebro lumine ſulſit,
Ceu foret affinis, cæloque ſimillima ſedes.

Centum adſunt genii, ſummo quos miſit olympo
Rex ſuperum, juſſos maternam viſere ſedem.
Ergo ubi ſopitæ tetigit ſacra limina Matris
Aligerum radiata cohors, circumdedit omnem
Ordine denſa Thorum; nam territus illico ſomnus
Impatienſque diem procul indignatus abibat,
Et raptim ſocias profugus migratur ad umbras.
Stant centum circum genii, radiantibus alis,
Et cupidæ Matri pandunt abſcondita velo
Purpureo, ſuperumque manu depicta Puellæ
Ora ſuæ; micuit facies, & clarior inde
Addita lux luci eſt; ipſi vix lumine certo
Aligerum proceres radiantis fulgura cultus
Excipiunt; Regnat niveæ quæ gratia fronti?
Quæque genis ludunt Charites, proh quantus ocellis
Ardor! & in toto majeſtas ardua vultu!
Qui ſacram referat formam tu crede ſupremi
Artificis dignam effigiem, & cæleſtis amoris.
Proh felix, proh qualis eras, o Diva! nec ulli
Mortali ſimilis ſummoque ſimillima Nato.
Primane laus cedat capiti, quod ſidere multo
Cingitur; an roſeo ſaturatis rore labellis?
Singula quid memorem? per eburnea colla ſolutus
Aureolus volitat crinis, niveoſque fluentes
Cærula palla ſinus puro ſuffibulat auro.
Quin etiam blandos intexti munera veris
Explicat hinc illinc flores, mediumque tacentem
Hos inter Puerum, quo non formoſior alter.
Sed quæ pictus acu Pupus ſpectacula præbet!
Nanque inibi reptans, roſeumque hauſturus odorem
Dum caput heu! denſa fallaci in ſepe tenellum
Inſerit, implicitus ramis, & vepre latenti
Hæret, & ingenuum ſudat cervice cruorem,
Sanguineaſque manu labentes colligit undas.

Ac

Ac ſumo guttas attingens indice, Carmen
Scribit humi, ſortemque ſui deſcribit amoris.
Dum capio capior; quæſitæ victima prædæ
Ut capiam, tamen uſque capi mihi dulce volenti eſt.
Partheniæ hunc clamydi Gabrielis dextra Puellum
Pinxerat in tenera deſignans Virgine, magnæ
Olim evaſuræ Matris præludia; quamque
Ipſe ſalutabit parituram gaudia terris,
Si tantum in ſacros conceptus annuat: Infans
Scilicet invitos quondam, & toto Orbe vagantes
Quæret amans homines heu multo crimine ſeptos;
Ille a vepre roſas inſperſo ſanguine ſolvet.
Talibus effulget veſtis variata figuris.
At Virgo lunæ famulo ſupereminet orbi,
Et pedibus calcat luctantis colla Draconis,
Circundant nitida aſtra Deam; duodena coronam
Efficiunt, quæ luce tamen majore renident.
Sol quoque, qui dederat proprio de lumine veſti
Materiam, quæ fœce caret, modo reſcit in ipſo
Qua ratione Deus ſedem poſuiſſe feratur.
Parte alia ſtat dius Amor, faculaſque nitentes
Mittit, & exiguis cæleſtia gaudia membris
Spargit ovans, ſed ſeptem enſes oſtendere viſas
Quas miro arcano meliora ad tempora ſervat.
Nec minus oſtendit (Pictoris tanta reſulget
Dexteritas) ventorum iras, pelagique furores,
Inſidias hominum, tum peſtem, & fulmina, & ipſam
Morborum illuvie mortem, rabiemque ferarum
Omnia ſubmitti parvæ ſubjecta Puellæ.
Quin etiam mortale genus ſibi quærere Matrem,
Arma notat, galeaſque, & laurea ſerta, triumphos,
Atque oratorum calamos, gemmataque vatum
Plectra, atque inſculptum laudis genus omne futurum.
Fortunata Parens hac gaudet imagine formæ,

Gauderetque omnes trahere inter ſomnia noctes;
At ſopor in celeres evanuit irritus auras
Gaudia cuncta ferens; namque excita Mater obortas
Haud tenuit lacrimas, & cælo brachia tendens,
O Joachin, dixit, Joachin, quæ ſomnia neſcis,
Quam mihi, quam lætam fecerunt ſomnia noctem!
Heu memini! Sed & uſque piget meminiſſe fugaces
Illecebras; Pennata cohors ex æthere lapſam
Attulit in ſomnis, & multa luce micantem
Effigiem hoc clauſæ felici in carcere prolis.
Quid memorem fulgentem auro, radiiſque puellam;
Certanteſque roſis malas, atque ora liguſtris!
Heu cur non aderas; biſſeno ſidere cinctum
Vidiſſes, apteque humeris demittere pallam
Cæruleam, pictamque manu, textamque pyropis;
Et premere immanis rutilans capita alta Draconis.
Quin tecum hæc reputes, & quæ Deus otia nobis,
Deliciaſque paret venturæ in Virginis ortu.
Lætus ad hæc Joachin tendens ad ſydera palmas,
Quam juvat o conjux veteres meminiſſe labores,
Atque orbi dudum thalami ſuſpiria, poſtquam
Excipit & viduas curas, & tædia largus
E cælo tua fœcundat qui viſcera nimbus.
Summis o nunquam ſuperis diffidere, nunquam
Parcere fas precibus! ſunt hæc data munera votis,
Longævæque ſpei; da tantum lumen, ut ortum
His oculis videam pignus; da bina labellis
Oſcula duntaxat figam moriturus, abeſſe
Tu quoque cum jubeas, abero, nil fata morabor,
Sponte ſequar, cæloque lubens hæc lumina claudam.

In Conceptione Immaculatæ B.M.V. S. Jo: Damaſceuus:
Naturam quodammodo gratia antevertit.

CARMEN THEOLOGICUM.

VAde procul ſerpens, atque ora tumentia verte;
Tempus adeſt, quo non veterem celebrare trium-
Quo non mortiferos poteris infligere morſus; (phum,
Jam redit inſperſum rabioſa in guttura virus.
Sideris ætherei felix Aurora propinquat,
Quam nullæ obſcurant tenebræ; tamen uſque moraris?
Fœmina, ſi neſcis, Mater ventura tonantis
Fœmina victrici rabidas pede conteret iras.
An maculam, primi quam non habuere Parentes,
Quam prima ipſa Parens hominum, cauſa una malorum
Non habuit maculam, ſupremi Mater habebit
Numinis? Hæc ſæclis oritur promiſſa vetuſtis
Allatura Erebo ſtragem, mundoque levamen.
Illam fraude mala tu decepiſſe ſuperbis,
Hæc Regina potens hominum, ſumma arbitra cæli;
Filia Sponſa Parens trino dilecta Tonanti,
Qui mira ratione Deus dignoſcitur unus,
Quid Natæ, Sponſæ, Matri Deus ipſe negabit?
Illa viro tantum manſuris tradita vinclis,
Facta ruina viri, in ſeros tranſmiſſa nepotes,
Hæc domino ſemper ſtudio conjuncta fideli
Conſilio æterno noſtræ ſervata ſaluti.
Materies primam conformatura Parentem
Pura fuit; Matri quis dicat amabile Numen
Impuram ſervaſſe ſuæ? Si plurima quæras,
Accipe quæ timidum renuit deſcribere carmen. (*a*)
Conſilio æterno Numen decreverat olim
Tempora præſcripto ſibi ſuccedentia gyro

Et cælum & propriis implere animantibus orbem,
Quin etiam ut ſummum nobis afferret honorem,
Induere humanos artus, de Virgine naſci,
Quæ non ſubjaceat naturæ legibus una,
Quæ Virgo intemerata foret, fœcundaque Mater;
Quamque etiam inſolitis locupletet gratia donis,
Nam tanti geniti Mater tanta eſſe decebat.
Prævidit lapſurum hominem, ſed ſponte luendum
Morte ſua ſtatuit magno cum fœnore crimen
Sumere, nam noſtro foret indelebile fletu.
Sed quamvis mente æterna ſimul omnia novit,
Nobiliora prius ſecum ſtatuiſſe decebat,
Sequè hominem, Matremque ſuam, duo maxima rerum,
Mente habuit, quando immenſos formaverat orbes,
Æthera firmabat ſurſum, claudebat abyſſum,
Et ſtabili firmas librabat pondere terras.
Cum juga, cum montes, humili cum vertice colles
Surgere, cum planas juſſit ſubſidere valles,
Extendi pelagum, & tremulos erumpere fontes.
Sic prius e pura decrevit origine naſci,
Inde ſui ſimilem concreto ex pulvere formam
Aptavit; divinæ infundens particulam auræ.
Primus homo decus amiſit, labemque nepotes
Contraxere patris; ſed non quæ mente ſuperna
Prima fuit; merita ampla Dei impediere ruinam,
Ne cadat, in reliquis reparant cum fœnore lapſum.
Nam Matri, & ſervis non arte decebat eadem
Præbere auxilium: noſtræ medicina ſalutis
Excutit in reliquis, arcet in Virgine damnum.
Sic omni juvat illa modo, ſic numine digna eſt.
Non etenim medica celebramus in arte peritos,
Qui jam contractum valeant expellere morbum,
Nec reparare tamen prævisa pericula noſcant.
Pura quidem fuerat tellus primæva parentum,
Sed

Sed prius electæ divæ aſſervanda manebat
Purior, infecta quamvis ab origine naſci
Debuit; in primis patribus dignoſcitur omen.
Namque virum ex creta, atque uxorem ex oſſe creavit
Proximiore quidem cordi, mirabile Numen.
Fœmina nobilius mundo ſortita recenti
Principium (ſi magna licet componere parvis)
Te notat, Alma parens, communi ſorde carentem.
In reliquis natura præeſt, donoque ſuperno
Gratia ſubſequitur; ſed in Alma Virgine tantum
Naturam propriis præceſſit gratia donis.
Ergo age, vade procul ſerpens, horrentia verte
Terga fugæ; ſævum imperium rabidique furores
In tenues abiere auras; ſat ſanguinis hauſtum,
Sat tua gorgoneis rabies infecta venenis
Invaſit mortale genus, tua damna parantur;
Jam nova progenies cælo demittitur alto,
Et tibi fatalis ſæclorum naſcitur ordo.
Fœmina ſi miſeros a te decepta nepotes
Subjeciſſe tibi indoluit, reparare ruinam
Quæ valeat, nobis quæ pura exordia monſtrat
Fœmina victrici rabidas pede conteret iras.

(a) *Quia res Theologica & adeo ſublimes vix poſſunt carmine exponi.*

DE OBITU B. V. M.

Pulcherrimum Poema Exc. D. Jo: Gaſtonis Marcolini hoc carmine in Latinum vertimus, quamvis nobile æſtrum, & expreſſionum ſublimitas exprimi nequeat.

EFfera deſolatricem irrequieta rotabat
Mors falcem, prædas ſitiens, nam dira miniſtra

Decreti fatalis erat; loca cuncta cruentis
Luſtrat torva oculis, & ab æthere proſpicit alto
Felices oriente plagas, qua fulminis inſtar
Inſidioſa volat; furiæ comitantur euntem,
Tempus edax, timida anxietas, & conſcia rerum
Syndereſis, furit ante alias ſcelerata cupido
Spargere docta oculis nocuas & corpore fraudes;
Illa bifrons ictum falcis præcedit aduncæ,
Afflictiſque animis triſtes, quos ante monebat,
Exprobat in vetitum niſus; atque ora ſeveri
Judicis aſſumens, quos jam deceperat, audet
Damnare; in numero, menſura & pondere cuncta
Syndereſis ſtudioſa notat, libroque moleſto
Deſcribit; calamo humorem fellugine miſta
Atra dedit bilis, ſic detegit omnia, & omnes
Illaqueans terrore implet; ſortiſque futuræ
Incerta anxietas confuſa in mente pavorem
Aggravat; in gyrum pœnas & præmia jactat.
Cum tenebris lucem, & dubias prope vincla coronas.
Mors fera terrificis accincta ſodalibus auras
Impatiens tranat, cum vaſtam proſpicit urbem
Priſcis extructam ſeclis, lateque potentem
Quam foſſæ in gyrum, turritaque mœnia cingunt.
Hic humili ſecluſa loco latet inclyta virgo
Tam longæva annis, quam clara illuſtribus actis.
Hanc furiæ obſervant, mors falcem extollit, at anceps
Subſtitit menſu; ims veniens a Virgine fulgor
Perſtringit furiarum oculos, & ſuavis ubique
Virtutum diſperſus odor fugientibus auget
Terrorem, niſu agnoſcunt graviore repelli;
Suggerit alma fides queis ſe fortiſſima cingit
Fœmina, fatalem minitantia tela ruinam.
Dum fugiunt, nullum, quo ſe ſubducere poſſint;
Invenere locum; atque oculos per ſingula volvunt

At-

Attonitæ; miroque vident loca cuncta nitore
Impleri, excipias humano in corpore Numen,
Nunquam homines inter ſimilem obſervaſſe notabant
Candorem, poſtquam ſprevit cæleſtia juſſa
Primus homo, & faciles morti permiſit habenas.
Humano mors eſſe putat de ſtipite natam
Quam videt, at placido virtus & gratia vultu
Quæ ſplendet, divinum aliquid ſpirare videtur.
Accedit, refugitque; manu trepidante vacillans
Angitur, ancipitique movet veſtigia greſſu.
Ecce autem nova lux tota diffunditur aura;
Convenere ſimul lætis Pax aurea ſignis
Quæ videt inconcuſſa fides arcana Tonantis;
Spes oculos defixa polo; qui pectora flammis
Æthereis incendit Amor; mirata ſodales
Inſolitos, timidam avertit mors territa frontem;
Se meminit paſſam extremas in monte ruinas
Cum ſimili (furiis in Tartara nigra fugatis)
Cincta ſodalilio juſtum temeraria læſit.
Nempe illud vulnus vitam mortalibus ægris
Attulit, & regno mortis ſubtraxit amaræ,
Tunc etiam e nigris revocavit in aſtra ſepulchris
Corpora mille virum Numen de morte triumphans.
Mors doluit poſthac non poſſe inferre timorem,
Namque eadem portenta videt; noſcitque Parentem
Numinis, inſano quam nunc petit inſcia niſu.
Noſcit & authorem vitæ genuiſſe, ſalutis
Authorem, qui cuncta regit, qui cuncta creavit.
Arripuiſſe fugam tentans, incerta futuri
Nunc ſe, nunc falcem, nunc Virginis ora tuetur.
Tum qui virtutum fons eſt, & terminus ore
Divus Amor, mirum effulgens, & voce fugacem
Territat, eque manu falcem extrahit; igne ſuperno
Candentem reddit, ſine vi ſine vulneris ictu

Dexte-

Dexteritate notat mira, corque extrahit; & dum
Ceu ſpeculum nitidum obſervat, ſe noſcit in illo.
Gaudet ovans quod adhuc jaculetur in æthera flammas;
Attamen humana ſiquid de fæce ſuperſit
Expurgat, totum & radiis cæleſtibus implet.
Qua data porta fluit divina luce renitens
Pulchra anima, oſtendit corpus paulo ante relictum
Divus Amor, non quale fuit; ſine pondere, velox;
Immortale nitens; redeunti optabile donum
Efficitur, quod carcer erat, nexuque fideli
Jungitur, & conſors volat ad confinia ſummi
Numinis; en ſolio ſplendet Regina ſupremo;
Atque humilis ſedem, qua cæca ſuperbia pulſa eſt;
Obtinet, & fidos placido beat ore miniſtros.
Mater amans, & amata ſimul, dum gaudia cælo
Diffundit, veniam miſeris mortalibus orat;
Illa quidem nobis pacem obtinet, illa ſalutem.
Vita Mare eſt, res plena metu, res plena tumultu.
Illa tamen, ceu ſtella maris, qua tramite recto
Navis eat, monſtretque viam, ſedetque procellas.
Quo nos expectat, Zephyro ſpirante vehamur,
Dulcia felici nobis ſolatia portu
Nullo unquam peritura ævo, ſedeſque beatas
Præparet, ah tetros morti precor exue vultus,
Quæque aliis terror mors eſt, mihi dulcis Imago
Sit ſomni, traquilla quies, & amabile nomen.

AD BEATISSIMAM VIRGINEM.

Diuturni ſilentii veniam precatur Vates.

ELEGIA.

O Virgo, o Dii pulcherrima Mater Amoris,
O ſpes, o generis vita, ſaluſque tui.

Cu-

Cujus amor pueros etiam facit eſſe Poetas,
Cogit & in laudes nominis ire tui.
Quam ſonat inter oves ſaxi de vertice Paſtor;
Quam miles lituos inter, & arma canit.
Carcere nec clauſus, nec vinctus compede foſſor;
Aut ancilla tacet, dum data penſa trahit.
Tene ego, qui primis Infans tibi votus ab annis,
Tutellæ creſco munus, opuſque tuæ;
Tene ego præteream merita ſine laude relictam!
Et patiar ſine te totus ut annus eat!
Qua ſine nulla dies, ſine qua non fectilis horæ
Pars ulla ex annis itque, reditque meis.
Hic amor, hi memores mihi ſunt ſub pectore ſenſus;
O labes muſæ non abolenda meæ.
Sæpe, nec immerito, quod jam duo ſæcula complent
Jeſuadæ, in laudes ivit; eatque precor.
Hei mihi; ſæpe leves in luſus, ſæpe ſolutos
In riſus abiit non memor ipſa tui.
Utque ſibi populi plauſum captaret inanem
Prima velut ſocias inter habenda Deas,
Hæſit hians libris, pluteoque immota reſedit
Ultro; majus opus viribus auſa ſuis.
Te ſiluit; rerum ſpes, & tutela mearum,
Te ſiluit Præſes, Dux, Cynoſura, Parens.
Et tamen hoc primum celebrari nomine gaudes,
Et tamen officium nominis hujus amas.
Eſſe quid hoc dicam? quod de tot millibus unam,
Te ſilet, in numeris nec ſinit eſſe ſuis?
An quia non ſubeunt, nec ſunt in Carmine vires?
An quia quæ ſubeunt, non placitura putat?
Quin placitura putet, ſiquidem tibi Diva laborat;
Carmina noſtra tibi qualiacunque placent.
Aſpera ſint quamvis, duroque rigentia ferro,
Sint quamvis meritis inferiora tuis;

Sim-

Simplicitas tibi chara facit, candorque canentis,
Quique ſub ingenuo pectore ſenſus ineſt.
Forte pios vates, & de te digna locutos
Nulla manent ſtudii præmia, nullus honor?
Oh quoties dicto pro carmine reddita vita eſt,
Cum prope Lætheis merſa nataret aquis!
Oh quoties ipſi ſunt addita commoda vitæ,
Et fugiens ſtructos nomen, honorque rogos!
Cui non Canuti, cui non laudata Rapini
Carmina? nil, illis fama quod addat, habet.
Carmina Beccani quiſquis leget, eſſe putabit
Digna tuæ ſobolis, nomine digna tuo.
Sit licet ingenio nimium juveniliter uſus,
Carminibus turpes miſcueritque jocos;
At tibi de partu quod Sanazarius olim
Scripſit opus, toto nomen ab orbe tulit.
Qua primum nitidus cecinit te parte Ruæus,
Hac illum priſcis vatibus æquat honos.
Quæ viridi ſcripſit tibi ſacra Petavius ævo,
Æternum vivent, notaque ſemper erunt.
Quid Ravaſinum memorem, Vidamque diſertum?
Et tot carminibus nomina clara ſuis?
Dum tibi fert laudes, dum te canit Hoſchius unam,
A tota meruit poſteritate legi.
Æger erat, certæ nec ſpes erat ulla ſalutis,
Nil poterant docta pocula miſta manu.
Nil, medici lectæque herbæ, ſuccique potentes,
Illud erat quavis fortius arte malum.
Fer, bona Mater, opem, dixit; ſi carmine quondam
Te cecini, numeris inſeruique meis.
Aſpicis ut miſeros febris depaſcitur artus?
Occupat & vultus mortis imago meos?
Nec ſunt, quæ quondam fuerant in corpore vires,
Non eſt in venis, qui fuit ante, tenor.

En

En age, jam tantos cælo miſerata labores
Affer opem, vatis, ſi tibi cura tui.
Num tua ceſſavit pietas? num ſurda precanti
Optatam ſubito ferre negavit opem?
Ipſe diu vivax vulgavit carmine, ſeſe
Protinus auxiliis convaluiſſe tuis.
Me quoque, me quanvis tua tot benefacta ſilentem,
Ad laudes cogunt tot benefacta tuas.
Maxima cum tellus inter tot millia rerum,
Nil ferme ingrato pectore pejus habet.
Sole licet mage clara negem, renuamque fateri,
Non poſſum munus diſſimulare tuum.
Quod loquor, & ſpiro, quod cæli ſidera cerno,
Hoc etiam, poſſum quod memor eſſe, tuum eſt.
Quid fuit ergo; duo memores teſtantia ſenſus
Carmina, diſparibus dicere cuncta modis?
Num mihi nocturnis ideo impalleſcere chartis?
Num fas materiem quærere laudis erat?
Num mihi materiem tua tot pia facta negabant?
Et pius eſt Matris facta referre labor.
Quod niſi cuncta mea poteram celebrare Camœna,
Pars mihi de multis una canenda fuit.
Me miſerum! potui, niſi mens mihi læva fuiſſet,
Dimidia ſtudii parte placere tibi.
Meque probare pium: cur non tibi dicere laudes?
Curve meus non te verſus amare docet?
An gravis eſſe tuo labor eſt in amore Magiſtrum?
Quæ mihi præ cunctis tam quod ameris habes?
An mihi cauſa deeſt? an qui ſatis excitet ardor?
Accedat donis cum mea vita tuis?
At fecere alii cauſa leviore Poetæ,
Atque elegos animi ſigna dedere ſui.
Quid niſi cepiſſem tot aperti ſigna favoris,
Pluraque, cum caperem plurima, pacta fores?

Quod

Quod niſi ferre dares mihi nomen amabile nati,
Præſentiſque pio Matris amore frui.
Cunctane ſunt tenues cum pulvere jacta per auras?
Cunctane cum numeris ſub Stige merſa meis?
Sit mihi mens melior: quid proderit eſſe Poetam?
Quid ſocios inter nomen habere meos?
Et lauro cinxiſſe ſacros hederaque capillos,
Doctaque Pieriis ora rigare vadis?
Te niſi, Diva, canem, mihi demerearque canendo;
Non cinget cineres fama, decuſque meos.
Non dabit ad ſuperas meus ut volet altior oras
Spiritus; Angelici pars ſit & una chori.
Dic ubi nunc Naſo, blandique Propertius oris,
Cumque ſua lectus ſæpe Catullus ave?
Quique ſua vivens preſſus fuit arte Tibullus,
Quique diu, populi Gallus in ore fuit,
Et Ticida, & Mimus; Mimoque procacior Anſer,
Cinnaque, cujus habet multa jocoſa liber?
Atque Cato, atque alii, neque carmine proſequar omnes
Æternis ardent ſub Phlegotante rogis.
Idque, quod ingenio male ſint feliciter uſi;
Pluraque carminibus damna tulere ſuis.
Quæ ſi ſacra forent, quid erat diviniùs illis?
Nil erat in toto dignius orbe legi.
At non ipſe fui tenerorum luſor amorum,
Nemo meo lecto carmine, læſus abit.
Nec cecini demens feralia ſacra, neque aras,
Nec falſa colui Relligione Deos.
Non adeo miſero mentem malus abſtulit error,
Non adeo noſtro fugit ab ore pudor.
Quid culpam attenuo? non excuſabilis illa eſt;
Alloquar infelix dedecus ipſe meum.
Cultius hi vanos mendacia, ſomnia Divos,
Cultius illorum turpia facta canunt.

Quam

Quam te, Mater, ego; cur non tua detonat ultrix
Ingratum auxiliis plectat ut ira tuis?
O ego, cur non ſum, quem me tamen eſſe decebat;
O ego, cur nati nomen inane gero?
Si ſermo, ſi lingua animi bene creditur index,
Hei mihi, quinam in te, Partheni, qualis erit?
Mitius eſt iſto trucum genus omne ferarum,
Mitior eſt tigris, cumque leone lupus.
Ergo ego Diva tui tam longa ſilentia feci,
Cui potuit primos lingua tenere ſonos.
O utinam nullos nucibus prius illa dediſſet,
Non ageret merito me modo, ſeque ream.
Nec toties illam pacti violator amoris
Dicerer, & meriti non memor eſſe tui.
At te Diva canam ſenior gravioribus annis,
Tunc vis, tunc fandi copia major erit.
Tunc vigiles matura ferens Prudentia curas,
Tunc ars volvendis ſæpe paranda libris.
Ah male, ſi quivis in ſeros diſtulit annos
A primis memori quam decet ore loqui.
Utilis interea, meliorque elabitur ætas,
Deficit ingenii, qui fuit ante, vigor.
Ah quid agam? quo vota miſer, quo carbaſa vertam?
Mens variat motus, nec capit ægra ſuos.
Ne ſine, Diva precor, mea me ſpes irrita fallat;
Inque leves auras verba precantis eant.
Ipſa mihi poſthac verſu cantabere noſtro,
Ipſa mihi vires, ingeniumque dabis.
Te repetam triſtis; blandæ dulcedine vocis
Effluet ex animo cura, dolorque meo.
Te moriens lingua jam deficiente vocabo;
Ipſa mihi in pœnis grande levamen eris.
Per juga, per valles, reſonis te vocibus Echo,
Garrulaque arguto carmine reddet avis.

Cum

Cum nemore, & ſilva mons ibit, ſiſtet & amnis,
Oblitus notas, ut prius ire, vias.
Nec mea vox patriis tantum reſonabit in oris,
Non auſa e regnis longius ire ſuis.
Trans mare, trans Indos, trans uſtos audiar Affros;
Per loca mortali non adeunda pede.
Ergo ego, Diva, tuas complectar carmine laudes?
Ergo ego pars populi te celebrantis ero?
Ite procul lauri; nihil eſt quod poſcimus ultra.
Præmia Pierides jam retulere meæ.
Quod ſupereſt mihi, Diva, tuas provolvar ad aras,
Et ſupplex veniam voce tremente petam.
Parce Parens, veniamque mihi concede precanti,
Nec dura voces aure repelle meas.
Parce Parens, fuerim quod nominis immemor hujus,
Peccatum pœna vindice plecte meum.
Per, qui Virgineum lac fugit ab ubere, Natum,
Inque tuo tutus dormit, agitque ſinu,
Qui tibi me natum, mihi te dedit eſſe Parentem,
Et communis, ait, ſit tibi Matris amor.
Sic tibi cui nomen cum corde dedere ſodales,
Te laudent ſuperi pars velut una chori.
Sic Te ſæpe vocent charo Tibi nomine Matris,
Innectantque tuis florea ſerta comis.
Sic tua votivis cumulent altaria donis,
Suſpendantque tuis pendula vota tholis,
Suſpendantque faces, quarum ſi copia deſit,
Ardentes veluti ſint pia verba faces.
Utque tibi placeant, puram ſine labe juventam
Innocui ſervent, diſſimilemque meæ,
Intendantque animum ſtudiis, ludumque frequentent;
Et ſuperent ſcriptis vota, fidemque ſuis.
Nec tuus hic primos tantum ſibi vendicet annos;
Major at in ſeros, quam modo cultus, eat.

D. JO-

D. JOSEPHI LAUDES

INſignis pietate Heros addenda ſecundo
Gloria Jeſuadum ſæclo contraxerat uſum
Dulcis amicitiæ Joſeph, nocteſque, dieſque
Officiis coluiſſe ferunt; cui ſæpe locutus
Audiit alternas, quamvis ab imagine, voces.
Effigies ſupereſt; illam ara domeſtica ſervat;
Eductam tamen inde brevem pietatis ad uſum
Conſtituam ante oculos, laudis quæ ſuggeret amplam
Materiem: Heroo vulganda poemate Joſeph
Gloria, quam noſtro ſcriptis auxere per orbem
Jeſuadæ ſæclo; nunc plectra, & pectora ſiſtunt
Rhetores, ac plauſus recitanda Panegyris addet.
Ergo agite; hanc Joſeph laudem, Muſæque laborem
Nobilitet quo veſtra magis præſentia, doctum
Craſtina Rhetorices Academia convocat agmen.

JESUADUM META OBSEQUIIS, CURA UNICA JOSEPH.

FAC veniam orandi, primus qui Rector Athenas
Elboreas æqua moderaris lance, viroſque
Palladios regis imperio, gravioribus olim
Intentum ſtudiis te ſuſpexere Magiſtrum
Queis docilem allexit Divina ſcientia mentem.
Hinc tua dexteritas fauſte plæluſit, habenas
Cum ſubjecta tuis commiſit Brachara juſſis.
Nec tantum Elboreas moderabere Rector Athenas,
Sed te noſtra quidem ſors ad majora reſervat.
Tu quoque Palladiæ Dux inconcuſſe cohortis

Cæruleo quondam insignis diademate, canos
Candida deinde tuos decorarunt fila capillos.
Namque Magisterii primos sortitus honores
Primus Divinæ docuisti Palladis artes.
Nec tantum Elboreas moderabere Præses Athenas,
Sed tibi te dignos tua Sors præsagit honores.
Gymnisiarcha vigil, quo nostra Academia jactat
Se modo felicem, quæ te conspexit amicas
Huc olim Pindi traxisse a culmine Musas;
Dignior hanc sedem subiisti, atque inde severis
Artibus incumbens (taceo digniſſima laudis
Plurima) Aristotelem quondam, & mirata Platonem
Elbora te doctis jam tum prædixit asyllum.
Vos quibus exultat felix Academia, gentis
Gloria Palladiæ, vos nobilitate docori,
Insignes pietate viri, ornatissima laude
Gens late omnigena, ter & amplius inclita felix.

Jesuadum meta obsequiis, cura unica Joseph,
Cui modo Rhetorices dignos Academia plausus
Consecrat, & plectro vectigal solvit amoris,
Sit mihi, sit nostris dignus labor, ire per omnem
(Sic amor est) heroa velim; sed maxima laudis
Orta seges vatem jam primo a limine turbat,
Nec meritis æquare valet, quos pendit honores.
Non ego te, Joseph, summis heroibus æquem,
Omnibus anteferam potius; quod solus avorum,
Sæcula felici partu quos prisca tulere,
Egregiam vincis seriem; supera agmina Cælo
Te circum obsequiosa vides, sublimis eodem
Quo Divina Parens solio, quo fulgurat auro
Præcinctum tibi, Dive, caput, quæ gemmea sceptra
Dextra gerit, quæ texta novo tibi purpura Sole!
Qui vultus decor augusti! quæ gratia frontis!

Tu,

Tu, toto quodcumque oculis ſpectabile Cælo
Occurrit, late exſuperas: Te Natus in uno
Divinus, Natique Parens, eademque jugali
Fœdere juncta tibi Virgo, cui protinus hæres,
Omnia deproperant cæleſtia cogere dona.
Afflatus propiore Deo lætiſſima regna
Ore beas, plenuſque ipſo Deus ipſe videris.
Agmina mille tibi ſuperum famulantia nutu
Pendent prona tuo, majeſtatemque verentur.
Undique feſtivo plaudunt tibi carmine Divum
Mille chori, totoque tuum ſonat æthere Nomen.
Tu qui primus ades; Joſeph ſuper aſtra repone
Cælicolas inter, quos lumine ſolis ad inſtar
Vincit, & obnubunt victos ſupera aſtra nitores.
Materies tibi laudis erunt clariſſima Joſeph
Facta, quod aligeræ laudem peperere cohortis.
Hinc depinge metro ſolium, quo maximus Heros
Excipit a ſuperis meritos ſublimis honores.

Academicus Primus.

ISacidum decus eximium, qui ſolus avorum
Auguſtam vincis ſeriem, lætiſſima quondam
Ad terras revehis meliori ſtructa metallo
Sæcula, nec tantum quæ tot diviſa beatos
Effecere viros, natos melioribus annis
Juncta tenes, quovis major, par omnibus unus;
Sed prope divino circum radiante coruſcas
Lumine, & immenſo ſol ſole micantior ipſo,
Terrarum, Cælique plagas effundere in omnes
Auguſtale decus, majeſtatemque ſerenam,
Unus & in toto regnare videris Olympo,
Joſeph, cælicolum toto mirante ſenatu.
Haud ſecus aurato cum ſol aſſurgit Eoo,

Quæ prius in varias Cælo digeſta cohortes
Ardebant noctu Phœbeis æmula flammis
Sydera, mox confuſa latent, ſplendore renato
Solis, & æthereum ſub cærula convocat agmen
Phoſphorus; incluſos ſimul ipſe reconditus ignes
Inſequitur; propior ſupero dum fulget in axe
Sol unus ſplendere polo, Cælique tenere
Dignior imperium, regnis dare jura profundis,
Ac magnum oſtentare jubar, procul aſtra triumphum
Mirantur, tenuesque timent producere tædas.
Phœbus ut aſtrorum radios premit igne minores,
Sic Joſeph Diæ ſpecies gratiſſima formæ
Sydereos inter proceres, nullique ſecundus
Mille jacis circum rutilantis fulgura vultus,
Cujus ad aſpectum Cælum ſtupet omne, choruſque
Aligerum primus pennis trepidantibus, ora
Abdit nec tantum potis eſt ſpectare nitorem.
O nimium dilecte Deo! cui plenior hauſtus
Numinis illabens ſatiat ſecreta profundæ
Mentis, & obtutu divinum lumen acuto
Explorare licet, cui genua labantia terræ
Ponit adorandi ſtudio, & perſolvit honores
Prima acies cæli, famulumque ſuprema Tonantis.
Tene illum aſpicio quem quondam Nazara vidit
Paupere ſub tecto duram traducere vitam,
Languida & aſſiduo membra exercere labore?
Siccine mutata rerum forma, ætheris inter
Excellis proceres nutu venerabilis ipſo?
Proh qua luce nites! quibus ad tua jura volentes
Stant acies promptæ obſequiis! quò te excitus ambit
Concentu ſuperum numerus! quibus omnis olympus
Ardeſcit ſtudiis, dum multa in luce reſulgens
Inſides ſolio late ſpectandus ab alto.
Artis opus Divæ, nullique imitabile dextræ,

Pul-

Pulchrius in toto poterat nil æthere fingi.
Nempe nec aurato moles pretioſa metallo,
Argentoque micat; temnit mortalia Cælum,
Et pudet æthereo gemmas ſervire decori.
Æmula quo faſtu tellus tumet; inclita ſedes
Materia meliore nitet; nec dicere poſſis
Quale decus, miri qualis ſit forma nitoris;

PRÆSES.

QUI ſequeris, ſuperum cantus, quos Numen adurget
Imperio, noſtras modulans nunc defer in aures.

ACADEMICUS SECUNDUS.

CUM ſubito erumpunt voces, & carmine læto
Ætherei Juvenes circum plaudentibus alis
Confundunt reſonis modulamina dulcia nervis.
Pars animat lituos, pars fila loquacia plectro
Solicitat tacito, digitiſque micantibus urget
Mille per errores reſonantis murmura buxi.
Per varios feſtina modos applaudere pompæ
Certat concordi tremuli diſcrimine cantus
Aligerum pennata cohors, nec dulce remittens
Deſidium vocum, modulatur carmine pugnam.
Præſidet ipſe choris, animumque canentibus addit,
Inque tuos ſeſe effundens gaviſus honores
Omnipotens Genitor, ſolio ſic fatur ab alto:
Eja agite, unanimes certatim attollite cantus,
Et fidibus celebrate novis hic quotquot adeſtis
Cælicolæ, in terris noſtras quem juſſimus olim
Exercere vices, Dominæque aſſidere veſtræ
Connubio junctum ſtabili; digniſſimus unus
Ille fuit noſtro leges imponere Nato,

Et magnæ æterna ſociari lege Parenti.
Æqua ferant patriæ ſibi debita præmia curæ;
Multorum & ſeries non intermiſſa laborum.
Obſequiis certate omnes, nec plauſibus ullus
Sit modus, inſolito nec ſit modus ullus honori.
Vocibus his velox properat parere jubenti
Quiſq. Deo, ingeminantq. novos circum undiq. plauſus;
Et capiti nova ſerta parant, nova præmia dextræ.
Ipſa etiam Divina Parens, Divinus & ipſe
Natus adurget opus, cæleſtiaque agmina gaudens
Prona videt magno ſe ſiſtere Numine coram
Dive tuo, Numen recto vix ſuſtinet ore
Circumfuſa acies tanto devicta nitore.
Interea lætos dum concelebrare triumphos
Ardeſcit Joſeph, Joſeph ſonat omnibus unus
Cælicolum linguis, unum alta per atria nomen,
Dum fervet cantus, fidibuſque ſonantibus inſtat,
Ora replet, totidem reſponſat cantibus æther
Diſſultans clamore novo, loquiturque receptis
Vocibus, atque Dei ſummo gratata Parenti
Sydera dant ſonitum lætis rutilantia flammis:
Tantus honos Joſeph, & tanta gloria pompæ!

P R Æ S E S.

QUO feror! oblitus taceam primordia vitæ,
Nec memorem quibus inſignis virtutibus ibas
Attonitos rapiens oculos ſuperumque, hominumque
Tranſiliens ultra humanæ confinia ſortis!
Te Pater Omnipotens Divino amplexus amore
Ante mare, & terras, & quod tegit omnia Cælum
Humanæ ex ſerie gentis delegerat unum,
Cui pura in terris oriturum ex Virgine Numen
Crederet ipſe ſuum quondam cum Virgine Matre,
Suffi-

Sufficias ut tanto oneri, ſummoque Parenti
Succedas, ortus divina afflaris ab aura
Ante tuos, quæ communis veſtigia culpæ
Auferat, ingenitiſque animum virtutibus ornet.
Divinæ circum charites, dum naſceris, omnes
Lætæ adſunt, dat quæque ſuis dulciſſima labris
Oſcula, teque ſuis felix complectitur ulnis.
Virtutum chorus omnis adeſt, & lilia plenis
Dat manibus, nectitque comis, & flore coronas.
Par tibi, teque ipſo major venientibus annis
Poſt vitæ tam magna tuæ primordia creſcis
Divinæ columen ſobolis, cuſtoſque futurus.
Tertius hanc laudem Joſeph modulare Camœnis.

Academicus Tertius.

Esto; nec ipſe oculis mortalibus invia tentem;
Nam te degentem in terris meminiſſe juvabit.
Sed proh quantus eras! quondam dum vita manebat,
Quantus eras! Joſeph, quanto ſuccenſus amore
Aſtra penetrabas? ſcelerum nec labe retentus,
Et mortalis adhuc, quoties ſupera atria Cæli
Intraſti, totumque hauſiſti pectore Numen?
Quale renidenti ſpeculum fulgore coruſcum
Quod neque ſedatæ ſœdavit anhelitus auræ,
Nec levis innocua tetigit pulviſculus umbra,
Sed purum referens, defœcatumque nitorem,
Vidit ut oppoſiti rutilantia lumina ſolis
Phœbeas bibit ore faces, cæloque revellit
E patrio ſolem, qui ſeſe infundit in orbem,
Et ſubito in viſos faciem transformat amores.
Quantus eras! tibi tot ſeſe explicuer merenti
Divitiæ ſuperum, quidquid rectique, probique
Divina de mente fluit, puriſſima quidquid

Ad terras veniens ſummo Sapientia Cælo
Fert ſecum, & plenis exundans gratia rivis.
Cum læti fulſere dies mortalibus ægris,
Qucis Deus æterno genitor decreverat ævo
Ut ſua Divinæ proles pulcherrima mentis
Virginis in purum tandem deſcenderet alvum,
Humanumque genus concepta ſorde piaret.
Quem ſimul & Mariæ ſponſum, Natoque Parentem
Traderet, e ſummo quærebat providus axe
Dignum conjugio Heroem, qui rebus in arctis
Eſſet præſidium ſponſæ, & tutela Puelli.
Dignum conjugio Heroem, qui ſumma teneret
Ipſo dives opum contemptu, dives honorum
Fortunam æquaſſet Regum privatus; & unam
Virtutem exquirens faſtum abjuraſſet inanem.
Cui conjuratæ concordi fœdere Virtus,
Religio, Candor, Pietas, Æquumque, Fideſque
Afflaſſent animos ſtudia in meliora paratos,
Conjugii ut caperet promiſſos dignus honores,
Tu legeris; tantoſque viros, quos priſca tulere
Sæcula, ſeu ventura ferent, virtutibus unus
Exſuperas, longe ante alios illuſtrior omnes.
Tunc & ſolis equos, tunc exultaſſe choreis
Aſtra ferunt, liquidi tunc dulcia flumina mellis
Prorupiſſe ſolo, niveo tunc picta colore
Lilia virgineæ veracia ſymbola mentis
Arentem baculum, quo feſſa reponere membra
Mos erat, ornarunt fragrantibus undique gemmis.
Virginis ut ſponſum te inter tot millia ſtirpis
Davidicæ canerent, inconcuſſumque labantis
Præſidium mundi: Proavum immortale Joſephum
Et decus, & columen, dignum cui pignora parvi
Numinis & rerum commendarentur habenæ.

PRÆ-

PRÆSES.

TUM Pater Omnipotens cæleſtem mittere Civem
Deſtinat in terras, qui feliciſſima portet
Nuntia, qui Joſeph ſummos portendat honores.
Quartus ad hæc lectum ſuperæ deſcribe cohortis
Aligerum, Tyrio fucatam murice veſtem
Quam properis celeres anteiret curſibus auras.
Exprime, quos Joſeph, poſtquam penetralia tecti
Nuntius aggreditur, ſenſit ſub pectore motus.

ACADEMICUS QUARTUS.

PRotinus e patrio miſſus delabitur axe
Nuntius, æthereis qui formoſiſſimus oris
Pennatos vincit Proceres radiantibus alis
It nimbo in medio, & radiis ſuccinctus utrinque,
Intorquet rutilum cirris flaventibus aurum
Diffuſas errore comas, Zephyroque volanti
Tortilis alludit per eburnea colla capillus.
Pictaque purpureo pretioſi muricis oſtro
Sydere texta Clamys; gemmis, auroque coruſcos
Allambit limbo circum fulgente cothurnos.
Undantemque ſinum curſuque, auroque tumentem
Aurea gemmato caſtigat fibula morſu.
Venerat ad ſacras cæleſtis conjugis ædes
Æthereus Juvenis, taciturna noctis in umbra,
Tempore quo Joſeph propiori Numinis igne
Ardeſcens, genibus flexis, manibuſque ſupinis
Supplicis os, animumque gerens; ipſe unus agebat
Numine cum ſolo, liquefactaque corda reſolvens
In lacrimas ſacros rorabat pectoris ignes.
Cum volitans circum repetito verbere pennæ

Dol-

Dulcia diſſovit felici ſomnia Divo
Nuntius æthereæ ſedis, dein talia fatur:
Salve, Magne Parens, Jeſſeæ gloria ſtirpis,
Regia virtutum ſedes, lux debita terris,
Æthere jam toto notum jubar, inclyte Joſeph,
Salve; confeſtim ſtupuit deterritus Heros,
Demiſitque oculos, totoque expalluit ore.
Qualis Æritreum lambit quando aura quietum,
Gemmatos pandit per aprica ſilentia noctis
Concha ſinus, lacrymas lente exceptura fluentis
Ætheris, at magno ventum ſi murmure fluctus
Sollicitare videt, rorantia pectora claudit,
Atque timens trepidas ſe condit in æquoris undas.
Tum rutilus Cæli civis, cui lactea ſandi
Copia, mellitæque fluunt e pectore voces:
Exue, Dive, metus; veni tibi miſſus ab axe
Numinis imperio, ut felicia nuntia portem;
Te Pater Omnipotens ſociali fœdere junxit
Virgine cum pura: quæ circumcludet in alvo
Ætheream ſobolem, ſperatum in ſæcula Numen.
Quem lacrymis exoraſti, precibuſque tot annis,
Unica quem toties feſſis ſolatia rebus
Vota diu petiere, polo demiſſus ab alto eſt.
Hoc puero veniente, venit pax aurea Cælo,
Et pacem comitata quies, ac neſcia fraudis
Simplicitas, & cana fides, & caſta voluptas,
Ac ſincerus amor populi, non ille pharetra
Terribilis, minitanſque faces & ſpicula torquens.
Sed qui diſcordes læſo cum Numine gentes
Junget, qui miſeras ſolvat formidine terras.
Ergo age; nam puero cæleſtis Regia Patrem
Poſcit, tu curis ultro ſuccede Paternis.
Tu rege Divinam ſobolem, tu pignora ſolus
Tanta fove, paryumque amplexu protege Numen.

Per

Per decus æternum Cæli, mundique ſalutem
Indue mente Patrem, cæleſtem dilige Natum
Ut Pater, ut cuſtos: furiis ſi fræna reſolvens
Innocuas puro conſpergere ſanguine cunas
Herodes tentet, factum vitabit acerbum
Parvulus, oppoſito Joſeph; nec plura loquutus
Remigio alarum placida ſe librat in aura,
Nubivagoſque celer molitur ad æthera greſſus. 70

P R Æ S E S.

HÆC tua laus major, Joſeph, tu conjuge tantum
Dive minor, Cælo poſtquam dotanda, Deoque
Virgo Deum paritura, tibi Cælo auſpice nupſit.
Quo te, Virgo parens, quo Numine cælicus Infans
Afflavit! quæ dona tulit! quas fundit uterque
In te largus opes, quæ connubialis amoris
Pignora nupta dedit! teneri quæ Natus amoris?
Tu primus Puerum Betheles ſub rupe gementem
Excipis & dulci lachrymarum aſpergeris imbre.
Tu modo quem dextro quinta excipit ordine ſedes, 10
Alloquere exultantem animo, & ventura cientem
Numina ſollicitis ardenti e pectore votis;
Quo deſiderio Joſeph pia corda flagraſſent
Videndi tandem Pueri, quam lætus in ulnas
Excepit natum, & cæleſtia gaudia prome,
Prome quibus ſignis Puer huic reſpondet amori.

ACADEMICUS QUINTUS.

QUod tibi tunc ſtudium, Joſeph? quantuſq: videndi
Ardor erat Pueri formam? quæ caſta voluptas
Cor ſubiit, quanto flagrabant pectora voto?
Hoc unum exoptabat amor, cunabula Nati 20

Obſer-

Obſervare oculis, primoque in limine vitæ
Excipere; atque imo penitus ſub corde fovere.
Eheu! quam ſegni prolabi tempora curſu.
Quam longæ torpere dies! menſeſque perennes
Stare videbantur, currum nec volvere Phœbe.
Augebat ſpes ægra moras, & corde profundos
Edebat gemitus, recolens quonam uſque morando
Torqueret ſua vota Deus, quo lucis in auras
Prodere differret Conceptum Virgine Numen?
O nimium felix, cæleſti accenſus amore
Heu dixit lacrimans, Cæleſtia ſtringere colla
Si valeam, o ſacris ſi figere dulcia labris
Oſcula, & optatum geminas extollere in ulnas
Pignus dulce mihi, mihi pignus amabile detur!
Infans æthereus Joſeph pia vota precantis
Audiit, ac novies cum formoſiſſima Phœbe
Candida jam patrio reparaſſet cornua cælo,
Sumeret ut noſtros artus, infirmaque membra
Omnibus ignotus materna in virginis alvo
Amplius hæc miſeris arcana recondere terris
Non tulit, & gelido convexæ rupis in antro
Infans una Deum ſoboles, pulcherrimus Infans
Hauſit vitales teneris vagitibus auras.
Conceſſum Joſeph vix munere cernit Olympi
Divinum Puerum, magnum ſub mole puſilla
Numen faſciolis vinctum, ſolemque latentem
Virginis in gremio & roſea ſub nube refractum
Currit in amplexus celer, ardeſcenſque ſeniles
Urget amor greſſus; JESUM da Mater, in ulnas
Has mihi delicias, inquit, mea gaudia transfer,
Da ſpem, Virgo, meam: ſtrictoque in brachia Nato
Delibat venerans tremebundis mollia labris
Oſcula, demulcetque manu, blandiſque vocatum
Nominibus quæ fingit amor, ſcitatur amantem

An

An redamet; tenerumque libens Patris æquet amorem?
Ille tuis, Joſeph, dum pendet amabilis ulnis
Chara per ora manus ducit, grata oſcula figit,
Et ſæpe oblatis petit oſcula mutua labris.
Hinc circum ludens candentia colla tenellis
Brachiolis, dulces paulatim reddere voces
Incipit & nomen Patris enodare labellis.
Ille tibi blande inflexis arridet ocellis,
Atque tuo (licet Aligerum ſibi tendat apertas
Læta Cohors ſuperis veniens de ſedibus ulnas)
Neſcit abeſſe ſinu, teneriſque amplexibus hærens
Arctius uſque premit, teneroſque inſpirat amores.
Non cupit in veſtras Joſeph nunc tendere ſedes,
Cælicolæ magni, quamvis nitidiſſimus ambit
Sol, & inextinctis illuſtrant ſidera flammis.
Jam ſatis eſt felix, Divinum cernere Numen
Dum meruit; cælum quid enim majora reſervat?
Hoc levat aſpectu curas, felicia paſcit
Lumina, quo ſe cumque ferat, comitatur euntem,
Nec dulces ullo poſt tempore linquit amores.
Semper adeſt curis lenimen ubique paratum
Cæleſtis Pueri; violenti juſſa tyranni
Nocturno illudens ad inhoſpita regna Canopi
Effugio immitis, cum cæca licentia ferri
Mille per innocuas JESUM proſternere cædes
Quæſiit, utque paret Divino alimenta Puello
(Pauca licet) ſudore libens exhauſtus acerbo
Tædia continui gaudet ſuperare laboris.

PRÆSES

ULtimius eximium Joſeph celebrabit honorem (ptus
Quo Deus ipſe homini famulatur, & omnia prom-
Exequitur Puer; ah quantum! maturior annis

Ple-

Plenum operæ juxta chari documenta Parentis
Exercebat opus! tenera fabrilia tractans
Arma manu; cui cælicolum domus aurea paret,
Cujus ad imperium fundit ſua munera tellus,
Nec ſibi præſcriptos fines mare tranſilit ultra
Hæc merito attonitam rapiant ſpectacula Muſam.

Academicus Sextus

ERgo ubi firmarat recto veſtigia greſſu,
Et plaudente polo primos exegerat annos
JESULUS, ac teneri confinia liquerat ævi,
Nazarei privata inter penetralia tecti
Mollia pervigili duravit membra labore;
Fiſſile & in varias lignum componere formas
Æthereum docuit Puerum, & perſæpe dolare
Artifici ferro dorſum exæquabile trunci.
Soliciti Patris immoto jam lumine JESUS
Dextram fabrili ſpectabat in arte magiſtram.
Roboris ut duri reſcindens pondus inâne
Nobiliore modo disjunctas necteret omnes
Inter ſe partes; ſinuoſo in carcere buxi
Clauderet ut ferrum, vitia ut rugoſa rigentis
Corticis extempto mordaci dente domaret.
Viribus inde novis durum explorare laborem
Pertentat; manibuſque dolabra utrinque prehenſa
Aſpera, quæ turgent, æquare politius orno,
Erroreſque trabis docta exercere bipenni
Conatur chari juxta præcepta Magiſtri.
Nunc hos, nunc illos intenta mente labores
Haurit, nunc clavos repetitis ictibus alte
Figens, nunc ferri ſtridentis dente recurvo
Senſim nodoſi corrodit viſcera ligni.
Heu ſtupor! heu totis portenta incognita terris!

Sy-

Sydera, quæ claro radiant pulcherrima Olympo,
Mirentur, ſuperi miretur regia Cæli.
Vos celeres ventorum animæ, vos neſcia fræno
Flabra coerceri jam ſiſtite, & omnis ab alto
Aligerum ſtupefacta acies, gens chara Tonanti
Audiat; ille opifex rerum, quem magna potentis
Dextra Patris gaudet quondam genuiſſe, ſed æqua
Majeſtate parem, cui rerum militat ordo,
Omnia cui parent, quo præſide volvitur axis,
Quem mare, quem terræ, quem lucida ſydera, quem ſol,
Quem populi umbrarum, quem tartara nigra tremiſcunt,
Cui late humanum ſervit genus, omnia ſolus
Quique regit, Deus ille Deus, rerumque creator,
Qui verbo, nutuque immenſum condidit orbem,
Sic facilis pendet Joſephi ex ore jubentis!
Subditus atque homini præcepta capeſſat, Olympo
In ſummo reſidens Cherubim qui terga premebat.

ACADEMICUS PRIMUS

FOrtunate Parens, tibi paret ſubditus ille,
Ille Puer, magni ſoboles æquæva Parentis!
Et Deus Omnipotens late regnator Olympi
Nutu ſponte tuo pendet, feſſumque labore
Te levat, in partem veniens, Pater alme, laboris.
Qui poſt hæc meritis tua nomina laudibus æquet!
Divinæ Conjux o fortunate Parentis!
Divinæ Cuſtos fortunatiſſime Prolis!

ACADEMICUS SECUNDUS

TE penes imperium, penes eſt ſuprema poteſtas,
Qua Dominus patrias cælo moderaris habenas,
Auguſtæ cui ſubmittunt diademata frontis

Ma-

Magnanimi Reges, & vectigalia pendunt.

ACADEMICUS TERTIUS

FElix; oh nimium felix, tibi gloria ſoli
Contigit, exactos nunquam memorata per annos
Subjecto dare jura Deo, ſuper æthera honores
Tu primus referes, toto & celebrabere mundo;
Ac tibi tercentum ſolido de marmore templa
Exurgent, ſacroque altaria thure calebunt.

ACADEMICUS QUARTUS

FElix; oh nimium felix, cui maxima nupſit
Cælituum Regina, Deumque altura Puellum!
Curam opere in tanto tecum partitur habendam.

ACADEMICUS QUINTUS

FOrtunate Parens, decus immortale tuorum,
Gloria Cælicolum, generis nova gloria noſtri.

ACADEMICUS SEXTUS

TU Numen retinere, ulniſque fovere rigentem
Bethlea ſub rupe Deum, mediiſque periclis
Subductus tacito potuiſti illudere mortem
Effugio, ac Puerum Pharia in Regione locare.
Præſidium ſimul ipſe Dei, Matriſque levamen
Proſpera ſeu fluerent, ſeu nubila fata, ſuiſti.
Divinæ conjux o fortunate Parentis!
Divinæ cuſtos fortunatiſſime Prolis!

PRÆ-

P R Æ S E S.

VOs quoque, Jeſuadæ, Joſeph queis maxima ſemper
Cura fuit, paribus ventura in ſæcla priorum
Æmula, certate obſequiis, vos ipſe benigno
Aſpectu beat, & felices ſoſpitat annos.
Vivite ad invidiam fati, nam veſtra perennant
Gaudia, Divinuſque Parens, Conjuxque Parentis
Divinæ, merito vobis inclinat uterque
Pronus in auxilium ſua Numina, quos ſibi legit
In ſocios, proprioque ornavit nomine JESUS.
Vivite, Jeſuadæ, quos nomen amabile JESU
Nobilitat, notum Joſeph tibi nomen, Amoris
Cura tui, meta obſequiis, & dulce levamen.
Vivite, Jeſuadæ, clarum genus, utque Parentem
Eximio JESUS quondam eſt veneratus honore,
Vos etiam pariter JESU referatis amantes
Nomen, & officium; pietas ut creſcat, imago
En veſtros patet ante oculos, quam plurima nuper
Addicto præbere ferunt alimenta clienti.
Nec minus & veſtro vigeat ſub pectore Joſeph
Dulcis amor, quos eximios ſibi jactat alumnos
Pallas, & excoluit melior ſapientia mentem.
Atque tot Heroum veſtigia nota ſequantur
Palladii juvenes; nunquam de pectore Joſeph,
Ex animo nunquam, nunquam de voce recedat.

Ad hoſpites humaniſſimos.

QUod ſupereſt, dignas mens eſt perſolvere grates,
Nam me quiſquis adeſt ſummo dignatur honore,
Cujus in æternum peramanti in pectore vivit,
Quæ bene apud memores veteris ſtat gratia facti.
Omnes. Ergo valete omnes, doctiſſima turba, Valete.
Præſes. Gloria ſit nobis imitari nomine Divum.
Omnes. Omnibus eſt nomen, quotquot recitamus, Joſeph.
Ergo valete omnes, doctiſſima turba, Valete

OFFICIA,

QUÆ D. JOSEPHO PRÆSTAMUS B. V. GRATISSIMA

UT tibi Divinæ mereare Parentis amorem,
Et multa referas munera,
Illum ſollicito ſapiens venerabere cultu,
Divina cui nupſit Parens;
Illum amat ante alios Virgo, cui legibus uni
Sociata nuptialibus
Conjugis ipſa ſui blando beat ore clientes,
Opibuſque ditat maximis.
Ipſa etiam læta placidiſſima voce, referre
Audita ſæpe gratias.
Connubialis amor, quotquot fert alter honores
Utrique communes facit.
Nocte mihi media quondam Divina videndam
Se Mater in ſomnis dedit;
Vidi ego, nec fallor, radianti in nube ſedentem,
Stelliſque redimitam comas,
Divinoſque oculos in me defixa ſereno
Has ore voces edidit.
Charior uſque mihi fieri ſi charior optas,
Doniſque cumulari meis,
Quem Deus æterno mihi fœdere junxit, amantem
Venerare ſupplex conjugem.
Illius ante Sacras videam te ſæpius aras
Prono advolutum poplite
Certius ipſe tui dederis mihi pignus amoris,
Utrumque ſi felix ames.
Sim rebus ſpes ipſa tuis, tamen altera rebus
Spes ille ſit ſemper tuis.

D. JO-

D. JOSEPH.

Morientium patronus.

O Cui Divino nupſit Virgo inclita partu,
Ex ſuperis ſola conjuge, Dive, minor,
Sis tu, dum moriar, pars vitæ extrema, ſibique
Præſens auxilium ſentiat illa tuum.
Præſide te ſuperem caſus interritus omnes,
Soſpes, & ex terris atria ad alta ferar.
Eheu quot ſubeunda mihi diſcrimina rerum!
Suprema ut vitæ venerit hora meæ.
Maxima ad extremum dum cauſa oranda tribunal,
Et non placandi judicis ira prece.
Humani tenebroſa magis penetralia cordis
Omnia divina diſcutienda face.
Heu ſemel amiſſum non eſt reparabile Cælum,
Æternique ignes, & ſine fine dolor.
Et ſtygis in tenebris cruciat quoſcunque nocentes:
Supplicium vita deficiente ſubit.
Dira adſunt ſcelerum furialibus agmina tædis,
Quæ moveant animum, ſollicitentque reum.
Ipſe etiam tum ſævus adeſt regnator Averni,
Miſſaque de Stygio plurima monſtra ſpecu.
Quis miſeras fugiat clades, quas ille minatur?
Lurida quis ſtygia conterat arma manu?
Heu quid agam, cum ſumma animam in diſcrimina mit-
Quæret & exitium, qua licet, arte meum? (tet
Quod fuit, eſt, & erit qua tum ſub imagine fallax,
Obiicit, & quanto corda dolore premit!
Ipſe etiam curaſque gravat, vimque hoſtibus addit:
Corpora lethalis qui quatit ægra dolor.

Hinc mihi quis timor! heu quantus ſuperingruit horror!
Mortis ut occurrit triſtis imago meæ.
At caſus nulli, me nulla pericula terrent,
Auſpiciis aderis ſi mihi, Dive, tuis.
Me non in tanto diſcrimine deſere rerum,
Ut poſſim qua tu, ſic ego morte mori.
O mihi mors vita longe felicior omni,
Si morti ſimilis venerit illa tuæ!
Si coram liceat divinam cernere Matrem,
Cumque ſua Puerum cernere Matre Deum.
Languentemque animum Natique, & Patris amicos
Mittere in amplexus, inque utriuſque ſinus!
Ah felix fuit iſta tuæ ſors debita vitæ,
Et mors tot meritis hæc fuit æqua tuis.
Proh tibi quis vultus! quæ mentis gaudia, præſens
Dum divina Parens, dum tibi Natus erat?
Hinc divina tuos facies rapiebat amores,
Illinc alterna Virginis ora vice:
Adſtantem thalamo morientia lumina utrumque
Voce videbantur deficiente loqui.
Ut tamen extremos licuit depromere ſenſus,
Divino hæc Nato dulcia verba dabas.
Nate Deo nomen quamvis commune Parentis
Feceris ipſe mihi, Parthenidique ſimul:
Siquid ſi noſtri tecum meruere labores,
Siquid ſolliciti grande potentis opus
Unum oro; magis uſque tui ſuccendar amore;
Atque meum penitus cor tuus urat amor.
Da precibus veniam, veniam da fletibus, oro,
Te niſi amem, quantum ſemper amare velim.
Inde oculos volvens iterum ſic ora reſolvis
Cæleſti nuptæ captus amore tuæ.
Poſſem utinam ſupereſſe tuo, Virgo alma, dolori,
Et luctus aliqua ex parte levare tuos,

Heu

Heu pudet in tanto vitæ diſcrimine ſolam;
Heu pudet in tantis deſeruiſſe malis?
Jam morior: miſero, Virgo inclita, parce roganti;
Si quando officiis defuit ille tuis.
Hinc modo Parthenidem, nunc te mi Jeſule, cernit;
Inque vices veniam ſupplice voce rogat.
Inque vices dulci ſolatur uterque dolentem
Alloquio, & ſolitam fert ſitibundus opem.
Interea divinus amor celer adſtitit alis;
Et penetrare alto vulnere corda parat.
Jamque educta ſuis cæleſtia tela pharetris
Conſpiciens, vitam ſuſtulit ille tuam.
Hæc procul adſpectat mors indignata, tibique
Parcere, tam dura lege coacta dolet:
Tempore jam ex illo tibi ſubdita ceſſit, & arma
Projicit ante tuos non nocitura pedes.

Inter fragmenta litteraria invenio partim a me, partim a diſcipulis meis ſcripta de gratiis ab Angelo Tutelari ſuis clientibus conceſſis. Ea ſubjungam, & deinde addam Elegiam S. Angelo Raphaeli a me nuper exaratam, & in S. Caſſiani templo Piſauri diſtributam, ubi erga ipſum maxima viget devotio.

P. Gonzalus de Medeiros ſæpe ſub nocturnæ avis ſpecie laceſſitus a Dæmone, ut de ſalute animæ pene deſperaret, Angelum prope ſe conſpexit a quo ſemel, atque iterum audivit hæc verba: *confide, Fili, tu enim ſalvus eris*: Anxium, ac mœrentem inducam Angeli Cuſtodis auxilium implorantem.

O Luce, o vita mihi clarior Ales, eodem
Paupere qui mecum ſub lare ſemper agis,

Et vigil aſſiduus nitidas hîc contrahis alas;
Cumque ſedente ſedes, cumque gemente gemis.
Nec pudet, (o pietas) patrio procul æthere, vitam
Degere, mortalis nec pudet eſſe Ducem.
Accipe me, trepidumque tuis precor adde ſub alis,
Ne ferus infeſto milvius ungue petat.
Innocuas, ut & ipſe vides, petit ille columbas;
Heu mihi! ne ſævus me quoque prædo ferat!
Captivumve trahat ſecum, laceretve per auras;
In caput illabi jam puto, jamque meum.
Inſonat heu pennis, omnique e parte laceſſit,
Nec locus, aut tutæ ſpes datur ulla fugæ.
Unguibus armatis, & acuti cuſpide roſtri
Rem gerit, & prædæ viſcera quærit avis.
Roſtrum ingens, uncoſque pedes, oculoſque minaces
Omnia triſtis avis fata minantis habet.
Heu cruor, heu vulſæ labuntur ab æthere pennæ,
Ante oculos prædæ pars lacerata cadit.
Ah quid inermis agam? quid luctor viribus impar?
Cujus opem poſcam miles ad arma rudis?
Fruſtra aliquis vi vim pugnans opponit; & ictus
Ictibus; humana ſeque tuetur ope.
Saucius & laceras perfuſus ſanguine plumas
Acrior ad pugnam rurſus ad arma ruit.
Doctus ego, tenues, miſerandaque præda, volucres,
Terreor, a veſtris erudiorque malis.
Vos nido incautæ fiducia prima juventæ
Miſit, & æthereas ſuaſit inire vias;
Ah cave debilibus (moneo) cave fidere pennis,
Tendis in exitium, credula turba, tuum.
Non bene ceratis ad ſydera nitimur alis,
Noſque vel in nido mille pericla gravant.
Vix iter arripuit, primoſque per æthera gyros
Duxit ovans, omni turba ſoluta metu,

Ecce

Eccè aſper trepidis ſupra caput aſtitit hoſtis,
Diſcerptoſque dedit ferre per alta Notis.
Heu mihi, ne rabido renovet mecum aſpera roſtro
Prælia, mens magno palpitat ægra metu.

Omitto, quæ multa de Patre Audomina perlegiſſe memini; non enim brevi poemate includi ſatis queunt. Quippe vidit aliquando per quietem Jeſuitarum ſudantium vultus ab Angelo abſtergi; & offerri Deo ſudaria illo ſudore madentia; ſudariis delectari Deus ipſe videbatur, pro ſingulis coronas dare; ſeque ſenſit ab Angelo ſuo tutelari invitari, Chriſto ſiſti, Chriſtum annuere, mortemque ſibi in Oriente ſubeundam promitti: cum tamen hæc lentius exarari debuerint, Martyrium, cujus ardentiſſimo flagrabat deſiderio, ab Angelo tutelari precantem inducemus.

O Mihi, qui dextrum cingis latus, alter Achates
Aliger, ætherææ duxque, comeſque viæ.
Qui, ſeu templa petam, Latiæ ſeu caſtra Minervæ,
Sive domo egrediar, ſive revertar, ades.
Qui ducis vigiles ſtrati ad cubitalia noctes,
Dum claudit placidus lumina feſſa ſopor.
Qui mea Divinis incendis pectora flammis,
Altius humanis & mea vota trahis.
Nec, tibi ſit quamvis pluſquam mortalis origo,
Inferius curis reris id eſſe tuis.
Per, licet imeritum, quo me dignaris, amorem,
Per, mihi quam præſtas obſequioſus, opem.
Sic tibi, ſic aliis, homines queis cura regendi,
Debitus Aligeris exhibeatur honos;
Sic vos mane memor, ſic veſpere quiſque ſalutet,
Et grates reddat, pactaque vota ferat,

Præbeat & faciles monitis cæleſtibus aures;
Pareat & dictis, quoque jubetur, eat.
I celer, a noſtro te lucida transfer in aſtra
Limine, ſupremo fer mea vota Deo.
Pronus & in faciem venerabile Numen adora,
Atque meis ſupplex gratibus adde tuas.
I precor, o caſti ſed te comitentur amores,
Quos regis haud dure legibus ipſe tuis.
Hinc amor, hinc pietas, dulces & utrinque dolores,
Et dubio incedens ſpeſque metuſque gradu.
Eſt opis Angelicæ, quod te precor, atque laboris;
Vota nec officiis ſunt aliena tuis.
Non te pœnituit patrio valedicere cælo,
Inferior quo nil pulchrius orbis habet.
Ergo redux celeres præcor indue concitus alas,
Et carpe æthereas ad mea vota vias.
Carpe vias, & pro me iterum loca ſacra reviſe,
Contingam certe, qua licet, illa pede.
Forſitan expectes Domino quæ dicta reportes
Nuntius, aut animi quæ monumenta mei.
Vivere me dices, hilarem tamen eſſe negabis,
Quod mihi tam pulchro non licet ore frui.
Noctes, atque dies me jungere fletibus addes,
Inviſamque oculis heu male ferre diem.
O utinam pretio noſtri venale cruoris
Sit cælum, & ſuperis victima grata cadam!
Tunc ego præſenti lætabor imagine JESU:
Dum moror, hæc JESU ſer mea vota meo:
Scis bene JESUADUM ſuperis placuiſſe labores,
Vita mihi ſummo plena labore placet.
Sed tu pelle moras, pulchram per vulnera mortem
Accelera, & properas in mea fata manus.
Quam multa (invideo ſane) fortiſſima novi
Pectora, quæ vitæ prodiga fecit amor,

Annue

Annue nunc votis, ut quos ego ſemper amavi,
Nunc. ſimili evectus lucida ad aſtra ſequar.

Tenera plane, ac multis colloquiis aucta fuit Patris Georgii Ferro erga Angelum Cuſtodem pietas; iter facienti non ſemel adfuit, atque viam, & pericula indicavit. Nos modo ejus perſonam agentes plurima in Angelum ſuum tutelarem obſequia hoc brevi poemate referemus.

TE ne ego ſuſtineam dextra diſcedere, cuſtos
Aliger, atque mea longius ire domo?
Te ne ego, qui cuſtos, qui dux es, & arbitrer idem
Atque Pater; titulum nominis hujus amans.
Auſpice quo, tutus tellus dedit invia calles;
Quo duce, ſecuras præbuit unda vias:
Quid miſero in terris ſine te mihi denique reſtat?
Quid? niſi ut aſſiduis fletibus ora rigem.
Non erit oranti, non qui mihi docta legenti
Carmina, præſenti proſit, & adſit ope.
Non poſſum avelli; ſimul hinc, ſimul ibimus ambo;
Aut hoc immoti ſtabimus ambo loco.
Eſt mihi, ſitque precor, modico brevis ara paratu,
Hic animi primas do mea dona preces,
Hic multas inter faculas tua dulcis imago
Stabit in excelſo conſpicienda loco.
Hic pia thura feram, ſacra hic tibi carmina dicam;
Hic flores fundam, ſertaque texta roſis.
Si longa conſumpta mora fax cerea deſit,
Majus ab Angelico Numine lumen erit.
Eſt quoque ſacra nitens auro mihi veſtis, & oſtro;
Pendula, quæ longo ſyrmate verrit humum.
Annulus eſt fulgens digitis, rubrumque biretum,
Quæque ſacras obeat gemmea mytra comas,

Sæpe

Sæpe humeris ſimulacra geram referentia Divos;
Atque podum dextra pontificale manu.
Hic feſta tibi luce canam ſolemnia ſacra,
Atque traham ſocios ad mea ſacra meos.
Hos ego per noſtras accingam ſedulus ædes,
Gaudebit partes quiſque ſubire ſuas.
Denique perfixo ſtatuam tibi tempore pompam,
Atque oculos capiet ſplendor, & ordo tuos.
Aligerum ſacer ante chorus fulgentibus alis
Ibit; & arreptis ignibus, agmen aget.
Tu breve (quidquid id eſt) non aſpernabere munus;
Auctoris gratum quod tibi fecit amor.

P. Joannes Carletus vidit P. Joannem Baptiſtam Mocchum, qui Angelum Cuſtodem ad Cubiculnm ut prior incederet, invitabat. Urbana contenſione alter alteri cedere nitebatur; quod mihi epigrammatis materiam ſuppeditat.

VIX ubi pervenit prope limina nota Joannes,
Angelus accedit duxque comeſque viæ.
Pone ſecuturus primas huic ſponte Joannes
Cedit; at huic cuſtos pone ſequemur, ait.
Hæret pugna anceps, hic pugnat, & ille repugnat;
Ille præire negat, cedit & ille locum.
Hic rogat, ille rogat; monet, imperat, urget; & addit
Urbanas, prono vertice, quiſque preces.
Cur ita ſe genius ſubmiſſit cælicus? illum
Fecerat humanæ conditionis amor.

P. Igna-

B. Ignatius Martins docendæ doctrinæ pueros chriſtianæ toto vitæ decurſu addictus Ulyſſipone, moriturus rogavit cum canna, qua per calles pueros convocabat, ſepeliri. Poſt plures annos aperto ſepulchro canna & manus incorrupta & intacta omnium admiratione inventa eſt; pia etiam carmina tradebat pueris, ut minus caſta amandarent. Cum SS. Roſarii Myſteria carminibus explicaret, hanc ſtrophem ſcripſerat.

Del Angel Gabriel Quedaſtes prennada
Fuiſte Annunciada, Del Higo de Dios.
Y hablando con el

Diſplicebat pio Vati illa vox: Prennada, *neque alia decentior, quæ mentem ſuam exprimeret, occurrebat; dum anxius cogitabat, apparuit in cubiculo Puer hilari vultu, dicens*: Pater Ignati: Quedaſtes morada, Quedaſtes morada. *Subito diſparuit, & Pater Angelo ſuo cuſtodi gratias egit, lætus quod hoc ſpeciali favore cognoverit ſtudia ſua SS. Virgini grata eſſe.*

EPIGRAMMA.

CArmina dum pangis vulgo recitanda puellis,
Virginis in laudes officioſus abis.
Oh felix (culta occurrant ſi carmina) vates!
Si non occurrant, tunc meliora facis.
Eſt aliquid magnum in terris habuiſſe magiſtrum,
Sed tuus æthereo miſſus ab axe venit.

P. Joan-

P. Joannes Carrera adeo familiarem cum Angelo ſui Cuſtode amicitiam contraxerat, ut ab eo mane ad orandum excitaretur quotidie, illoque conſultore in rebus dubiis uteretur. Lyrica ſua, quæ Horatianam concinnitatem feliciſſime æmulantur, Angelo approbante, ac dirigente, ſcripſit; plurimaque in grati animi, atque amoris ſignum ipſius laudibus conſecravit.

DUlcis amicitiæ mecum quia contrahis uſum,
Obſequiis gratus cogor adeſſe tuis.
Cogor, & optatam poſcunt dum membra quietem;
Cogor & aſſueti dum venit hora cibi.
Occupat hæc vigilem media inter fercula mentem;
Excitat & ſomnos hæc quoque cura meos;
Hæc facit, ut poſitæ veniant oblivia menſæ,
Lætor, ut e gracili corpore ſomnus abit,
Sæpe rigente manu calamum, pigraſque tabellas
Arripui, victo ſuſtinuique gelu.
Sæpe etiam fletus ſunt me ſcribente profuſi,
Et multa eſt fletu facta litura meo.
Dum mecum admirans tua tot pia facta recordor,
Quamque tibi ingratus ſim, fuerimque ſubit.
Sæpe etiam cecini, flaret cum frigidus aer,
Clauderet & rauco rheumate vocis iter.
Nam ſine te noſtris quæ ſint ſolatia rebus,
Aut quid jucundum te ſine tempus agam?
Te, veniente die, te diſcedente, ſaluto,
Supliciterque tuum Numen, opemque peto.
Sæpe aliquod quæſo verbum, nomenque, locumque,
Nec, qui, quod quæro, dicere poſſit, adeſt.
Tunc mihi Tu præſens illud clam dicis in aurem,
Orantis vanas nec ſinis eſſe preces.

Hic

Hic labor, hoc ſtudium multis furor eſſe videtur.
Qui ratione carent, nec ſapienter amant.
Sæpe aliquis dixit: ſtudium quid inutile quæris?
Imminuet vires impetus ille tuas.
Imminuet vitæ pariter cum viribus annos,
Exitus ingeniis pluribus iſte fuit.
Sed non ingenuas vertunt in tædia muſas,
Aut animum tangunt talia verba meum.
Tu mihi præſentes præbes in carmina vires,
Tu venæ cauſam, materiemque meæ.
Non hæc ingenio, non hæc componimus arte,
Materia eſt meritis ingenioſa tuis.
Non ceſſabo tuas per carmina dicere laudes,
Spiritus hic membris exeat ante meis;
Verbaque deficiant animi teſtantia ſenſus,
Quam ceſſem in laudes nominis ire tui.
Sic mihi ſis poſthac facilis, veniaſque rogatus;
Nec noxis pietas ſit tua laſſa meis.
Sic memor obſequium præſtem tibi, meque clientem
Moribus agnoſcat quilibet eſſe tuum.
Si foret eloquium, facundaque vena canenti,
Si ſatis in titulos lingua diſerta tuos
Quid tibi deberem, toto ſcirctur in orbe,
Inſcia nec meriti pars foret ulla tui.
Te præſens tempus noſcet, te ſerior ætas,
Scripti eſſet ſine te pagina nulla mei.
O ſpes, o fulgens rerum tutella mearum,
Quem lateri comitem non pudet eſſe meo.
Nam mihi cum primis cultus ſis ſemper ab annis,
Sic tuus ex illo tempore crevit amor.
Noſtra tibi primum lactens infantia (Cuſtos)
Vagiit, & riſus, lacrymulaſque dedit.
Parvula tu pannis foviſti membra, manuſque,
Juviſti cunas ire, redire meas.

Tu

Tu gemitus lenire meos, tu flentis ocellos
Tergere, tu ſtrictas ſolvere faſciolas,
Amplexuſque inter ſolantia dicere verba
Dignatus rubeis oſcula ferre genis,
Et junctis manibus feſtas agitare choreas,
Et mihi jucundis lætus adeſſe jocis.
Ah quoties puerum tenuit tua dextra cadentem,
Aut tacta incolumem ſurgere fecit humo!
Ah quoties certumque ſui, ignarumque pericli
Tranſtulit auxiliis in meliora ſuis!
Ah quoties febri, ſæviſque doloribus ægrum
Sanaſti medicæ ſedulus artis ope.
Scilicet exemplum veri Comes Ales amoris,
Ut fieres, medicum te quoque fecit amor.
Atque, ut habenda tibi major ſit gratia, fecit
Accedat donis ut mea vita tuis.
Hanc Deus ipſe dedit, Tu quam dedit ille, tueris;
Et facis accepto munere poſſe frui.
Addita præterea vitæ quoque multa tuendæ
Munera; ob authorem pluris habenda ſuum.
Nunquam pigra fuit noſtris tua gratia rebus,
Vim tuus ex ipſo crimine ſumpſit amor.
Sæpe tuis meritis injuria reddita merces;
Promptus in officiis non minus ipſe manes.
Quod ſi quando patris frons eſt tibi ſumpta ſeveri,
Mollior eſt culpam pœna ſecuta meam.
Sæpe dolos Erebi evaſi, furiaſque minaces,
Angelica (o Cuſtos) eripiente manu.
Sæpe feras, ſtygiaſque magas, fureſque viator,
Sæpe necaturas per mare vectus aquas.
Mille modis (quid enim nunc proſequar omnia fandos?)
Auxilium vitæ ferſque, referſque meæ.
Hic amor, hæc pietas reliquum tibi duret in ævum,
Hoc oro; votis ſumma ſit iſta mei.

In

Inque tuum fluat obſequium gratiſſimus orbis;
Hæc veniunt votis proxima vota meis.

Poeticam facultatem cæleſtis Genius Patrem Carreram edocuit, non diſſimili magiſtero uſus eſt Fr. Lodovicus Toreredux; cum enim in examine Philoſophico reſpondendi facilitate ſeipſum vinceret, interrogatus poſtea a Superiore, unde ſibi tam inuſitata facilitas? reſpondit audiſſe ad aurem Angeli cuſtodis vocem diſtincte ad ſingula reſponſum ſuggerentis. Breve epigramma in medium proferam, ut poemmatis tui longitudinem brevitate mea compenſem.

DOctus ab Angelico Sophiam, Lodoice, Magiſtro,
Ipſe vel in Sophia Doctor es Angelicus.

CLEMENTISSIMO CÆLESTIS AULÆ PRINCIPI AC VIATORUM PROTECTORI S. RAPHAELI ARCHANGELO.

E L E G I A.

SI quis amat dubiæ vitare pericula ſortis,
Metitur patria dum procul Urbe viam;
En Raphael Juvenem per Regna incognita ducit,
Et gaudet lateri fidus adeſſe Comes.
Seu cupis intactam morbis ſervare ſalutem,
Sive petis medicam languidus æger opem;
En Raphael ignota aliis medicamina monſtrat,
Queis aperit cæci lumina clauſa ſenis.
Hunc ergo, ſeu lecto æger, ſeu rure viator,
Sedulus obſequiis demereare tuis.
Utque viatores, ſic queis committitur horum
Cura, patrocinio dirigit Ille ſuo.

Ut-

Utque ægri, ſic qui medica exercentur in arte,
Scire artem, aut artis dulce levamen habent.
Si timeas Erebi inſidias, vireſque nocentis,
Auſpice felici cauſa timoris abeſt.
Effugit, audito Raphaelis nomine, Dæmon,
Quo meminit vinctum ſe jacuiſſe diu.
Jungere ſi forſan ſocialia vincula quæris,
Ut dulcem appellet turba tenella Patrem:
Quid Charites, quid Hymen, Venus aurea, & augur
Tot numerare Deum nomina falſa pudet. (Apollo?
Ille tibi caſto ſuccendet pectus Amore:
Optima, quam RAPHAEL ſuggeret, Uxor erit.
Et jucunda tibi ſocius Convivia reddit,
Et facit, ut ſummo ſint placitura Deo.
Deliciæ Patrum Proles, tanto Auſpice, ſurgent,
Urbis honos, Gentis gloria, chara Polo.
Proſpera ſuccedent quæcumque negotia tractas,
Si mentem, & greſſus, ut regat Ipſe, petis.
Si tibi divitiæ proſunt, ſi proderit aurum,
Omnia mirificis comparat Ille modis.
Aſpice quot fluvii de fonte oriantur eodem!
Aſpice quot fructus Arbor amica creat!
Hoc Duce, felices producere longius annos,
Hoc Duce, tranquilla vivere pace potes.
Vive diu, utque Illi placeas, imitare Tobiam,
Virtutis capies præmia certa tuæ.
Funde preces: humili fovet Ille incendia corde,
Inde preces offert Numinis ante Thronum.
Solare afflictos, diſcordibus ingere Pacem,
Oblatæ nudo ſuffice veſtis opem.
Te donante cibos, vires aquirat egenus,
Te donante undam, ſublevet unda ſitim.
Sive quis ægrotat, minuat tua cura dolorem,
Si moritur, cura tradere corpus humo:

Geſ-

Geſſerat hæc olim ſancta de Stirpe Tobias;
Obtulerat RAPHAEL hæc pia geſta Deo.
Offeret Ille etiam quidquid laudabile præſtas;
Civibus Æthereis tum quoque notus eris.
Ergo age, ſume animos, toto celebrabere Cælo,
Si quid, quod de te dicere poſſit, habet.
Hic merita expendit, tibi præmia quærit, & affert,
Et felix, a te poſcit, ut eſſe velis.
Cur ingratus eris? Cur non redamabis amantem?
Qui tibi, ſi ſapias, tot bona ferre cupit.

Sanguis B. Pauli in lac converſus

MAris per alta floſculi coralia
Roſæquæ picta per vireta gemmulæ,
Quid immerente pulcra membra murice
Reconditis? Venuſta forma corporis
Male renidet involuta purpuris.
Procul rubore tincta palla flammeo,
Procul ſit, aſtra cum ſuperba reſpuens
Tuus repente, Paule, ſanguis exuit.
Colore lactis undequaque pingitur;
Ut amne liberale nectar efluunt
Reciſſa colla! eburneiſque fluctibus
Coinquinata ut ora terra perluit!
Ut unda rivulis ſtrepit nivalibus,
Liquentibuſque ſpargit unionibus
Et hæc, & illa delicata gramina,
Superſedetque floſculis tenerrimis!
Cito ergo conſonis venite plauſibus
Per alma quotquot ætheris roſalia
Apes luguſtra fugitis tenellula;
Venite candidis replete gemmulis
Odora labra, rore nempe lacteo

Suaviora mella comparabitis.
At ecce conſitis ruit volatibus
Poli per alta nuntius celerimus,
Strepentibuſque fulgurum fragoribus
Humi repente provolutus occidit,
Eburneaque, gemmeaque pyxide
Recepit uſque guttulas amabiles
Liquoris, inde per ſuprema nubila
Triumphat; ipſe qua vagatur aliger,
Polo nova aſtra viſa primum in arduo,
Viamque novimus micare lacteam

Cum de Puero Jesu, & SS. Angelis aliqua ex diſcipulis meis inſeruiſſem, placet quatuor poemata ſatis brevia hic adjungere, dulciſſimi Amici olim diſcipuli Jo: Vignier, quæ nuper Ferrariam pertranſiens innocenti furto furripui.

Illuſtriſſimo Dom. Noſtro Clementi PP. XIII., quod primus Rom. Pontificum. Sacroſancto JESU Cordi Divinos honores publice habendos decreuerit. Gratiarum actio.

PLaudite Cælicolæ, quibus optatiſſima tellus
Gaudia largiri, atque immenſam adjungere molem
Lætitiæ potuit; voſque oh gratiſſima cælo
Bis duodema ſenum turba, inclinate ſupremi
Numinis ad ſolium caput, auratasque coronas
Projicite, argutæque novo modulamine voces,
Atque novi exhilarent æterna palatia cantus.
Nempe quod emeritos tandem potiatur honores
Romulei Patris ad nutum mortalibus æque,
Ac ſuperis Jesu cor amabile, totus ut orbis
Lætitia exultat, parili ſic mente beatas

In

In plauſus decet ire domos: majoribus illic
Ambitur votis, quem nunc præſtamus honorem.
Nos tamen interea, cæli quibus aurea ſedes
Non patet, atque oculos fugiunt ea gaudia Divum;
Corpora dum patimur, dum ſpiritus hos regit artus,
Quod ſupereſt te, Romanæ Pater Urbis, & orbis
Arbiter, ad terram proni veneramus, & quas
Sola voce licet, grates referemus: amavit
Te dudum tellus, & nunc Dominumque, Patremque
Plus amat, auguſto namque excipit ore loquentem,
(Ore, homines quo ſæpe Deum docuiſſe fatendum eſt)
Divinoque novos cultus inducere Cordi.
Ipſe preces demum, & populi dilata fidelis
Vota ſecundaſti primus, dignoque poteſtas
Numinis obſequio ſervire vicaria gaudet.
Ille igitur terrena pios per compita ſenſus
Intulerat Deus; ille tibi, Pater optime, mentem
Hanc dedit, & primum proferre oracula juſſit
Digna Deo; mortale genus volventibus annis
Solemnem ſciat eſſe diem, qua dulcis Jesus
Cor Sacrum colere, & meritas perſolvere laudes
Sanctum erit: æterni ſic quæ violaverat olim
Jura, novo cultu tandem compenſet Amoris.
Ah! tibi Divino quænam ſit debita cordi
Gloria, perſpicuum eſt; quales hinc explicet ignes
Orbis in auxilium, quantis hinc Gratia rivis
Effluat, expertus noſti: tua fonte perenni
Inde oritur pietas, & cor fluit inde benignum.
Sed cum ſæpe tuis ſubjectum obſtrinxeris orbem
Muneribus, nullum miſeris fore gratius unquam
Utiliuſve putes: bacchantem Numinis iram
Acceptus placabit honos, miteſque redibit
Cor ſacrum in flammas, & Amoris diffluet igne.
Hinc terras complexa manu, vultuque ſereno

Subridens, quantis cumulabit Gratia donis!
Lataque depreſſis ſuccedere tempora rebus
Annuet actutum; noſtras quoque, maxime Clemens,
Audiet illa preces; noſtris blandiſſima votis
Subſcribet, tibi felices ut Neſtoris annos
Ire diu jubeat, donec potiore corona
Donatus, patrio accedas novus hoſpes Olympo. I.V.

Sacroſanctum Chriſti Cor, Divini amoris Officina, ubi vel dulciſſima hominum Corda renovari, recudique poſſunt. Hominum Corda ad hanc Officinam invitantur Ode Sapphica.

ECquis humanam (pudet heu! fateri)
Arte Circæa medicatus humor
Inficit formam, & ſilicis proterva
Indole durat?
An Meduſæum Caput, & colubris
Horridi tantum nocuere vultus,
Inde ſaxoſus rigor occupavit
Pectoris arcem?
Scilicet duras imitata rupes
Veſtra, Mortales, riguere corda,
Ignea nunquam face, non amoris
Victa ſagittis.
Ecquid hoc monſtri eſt? homini ſupremus
Molle cor primum Faber expolivit;
Durius ferro ſed opus probavit
Sæpius Author.
Durius ferro dolet: at miſertus
Priſtinam tentat renovare formam,
Rurſus admotis liquidam peritus
Reddere flammis.
Inde, quod tantum ſupereſſe novit,
Igneam pandi jubet officinam,

Quam

Quam ſub ardenti Pietas Jesu
Pectore ſervat;
Ergo feſtini properate; Amoris
Corda, mortales, medios in ignes
Mittite, & pura penitus recudi ex-
Poſcite flamma.
Non Crucis pondus grave, non acutæ
Terreant ſpinæ: Nihil iſta lædent;
Has ſibi tantum Cor amantis infert
Nobile pœnas.
Cæteris nunquam nocuere vepres;
Neve crudeli ſpecie vocatos
Arceant, ſubtus patulum recludit
Oſtia vulnus;
Intus hac ducet via tuta: felix
Siquis ardentes amet experiri
Vortices, ſiquem rogus æſtuoſi
Cordis adurat!
Qualis injecti rigidas Metalli.
Permeat venas, luteiſque demum
Fæcibus purgat, fluidaſque reddit
Ignea fornax;
Sic per humani ſpatiata cordis
Terreas quanquam prius illa fibras
Senſerit, victix tamen hæc amoris
Flamma liquabit.
Hinc velut mollem ſibi nacta ceram
Intimas tandem ſubiget medullas,
Apta ne poſtha credeunte deſint
Pabula ſaxo;
Ergo feſtini properate; Amoris
Corda, mortales, medios in ignes
Mittite, & pura penitus recudi ex-
Poſcite flamma. IV.

AD SACROSANCTUM JESU COR

EPIGRAMMA.

COR, Deus alme, tuum vulnus transverberat, urit
Flamma, seges vallat spinea, cruxque gravat.
Sic oculos, mentemque doces mira arte magister,
Tot fera quo deceat nos mala corde pati.
Solus, quem jaculum ferit, & flamma urit Amoris
Sponte feret spinas, & feret ille cruces. I.V.

Religiosus Societatis Sacro Epiphaniæ die, dum in conspectu recens nati JESU tria renovat consueta vota, ita precatur.

ODE SAPPHICA.

GEntis Eoæ juvat æmulari
Fervidum pectus, Puer alme: cunas
Ad tuas volvor, paribusque sisto
Munera votis.
Illa te pubes oriente quanquam
Nata sub Phœbo, studiosa quærit,
Creditur quando specus hæc tenelli
Regia solis.
En coronati diadema triplex
Vertices ponunt, fideique ductu
Oculi regum didicere parvo
Corpore Regem.
Dona præmittunt; sibi nam tenelli
Numinis certam alliciunt clientes
Gratiam: hoc dicunt fidei, hoc amoris
Nobile pignus.

Pri-

Primus hic Regi grave pondus auri,
Inde mortali vovit ille myrrham;
Libat hic rerum Domino Sabæi
Thuris honorem.
Me tuos, credam, Puer alme, factis
Edocent cultus: ego quid morabor
Deſes, ignarus, piger, atque ad ipſum
Frigidus ignem?
Intimum jam jam meliore flamma
Pectus ebullit: mora nulla, triplex
Inde prolatum Pueri dicabo
Munus ad aras.
Noſtra plus illi placitura credam
Dona: plus auro placet affluenti
Chara Paupertas, comes illa ſacrum
Circuit antrum.
Caſtitas myrrham ſuperat: remota
Labe corrumpi vetat illa mentem,
Quin ab inflictis nova fœneratur
Robora pœnis.
Thure plus tandem redolet Sabæo,
Quæ velut devota ſacras ad aras
Victima, ad nutum trahitur jubentis
Prona voluntas.
Hoc triplex ergo, mea vota, munus,
Gloria humanæ, illiciumque gentis,
Excipe, & dextra ſimul, & benigno
Annue vultu.
Utque promiſſis violata nunquam
Stet fides, quidquid peracerbus hoſtis
Infremat, vincam; tua me potentem
Gratia reddet.
Sic erit: plenis fluet illa rivis
Matris ad nutum; quid enim roganti

Abnues Matri, Puer? hæc tenellum
Ubere paſcit.
Nitor haud vana prece: ſpes utrumque
Numen exorat; cor utrique noſtrum
Servit: & Nati famulum, & Parentis
Norit Olympus. I.V.

S. FRANCISCUS SALESIUS

Cum ab eo centum ſcutata mutuo quidam peteret, reſpondet:

Amice donemus uterque alteri quinquaginta. Tibi ea dono; tu mihi dona illa alia quinquaginta, quæ non reſtitueres: quia pecunia mutua odium parit.

GEntibus o dilecte ſacris, dilecte prophanis,
Omnibus, o Franciſce, omnia factus eras.
Tu dulcem inſtillas animo pietatis amorem,
Tu gratum humanis moribus eſſe doces.
Ipſe aliquem memini centum a te poſcere nummos,
Ut pactas certo tempore reddat opes.
Tu mihi dimidium dones, ſuaviſſimus inquis,
Dimidium donem non minus ipſe tibi.
Mutua nempe odium parit ipſa pecunia, & inde
(Crede mihi) domino non reditura perit.
Quiſque alium fugit, hic petere, & timet ille negare,
Firmior at dono creſcet amor duplici.
Quinque vices decies numerat tua dextera nummos,
Atque tegis lepido grandia facta joco.
Dicite vos larga miſeris ſuccurrere dextra,
Quærere ſit vobis vilia lucra pudor.
Quiſque ſuos diſcat ſapiens diſponere ſumptus;
Non hæc Franciſci munera ſemper erunt.

AD

AD DIVI XAVERII PRECES MARIS UNDA DULCESCIT.

LOngum navis iter ventis emenſa ſecundis
Conſtitit in medis pigra repente vadis.
Languida vela cadunt nullo turgentia vento,
Ut ſcitico torpent æquora vincta gelu,
Undique tuta quies, ſed turbine ſævior omni;
Atque procelloſo plus metuenda mari.
Hæc inter dulces latices ex fluctibus hauſtos,
Explendæ queritur quiſque deeſſe ſiti.
Areſcunt ſiccis inhiantia faucibus ora,
Et fervent ima viſcera aduſta face.
Ipſe ſuis ſævit flammis, & torridus æſtu
Auget anhelantem ſol propiore ſitim.
In te quiſque oculos defigit, Xavier, uno;
Et ſubitam fletu ſupplice poſcit opem,
Nec fruſtra: ex puppi, ſuperis in vota vocatis,
Te videt indomito ponere jura mari.
Imperiis quod mite tuis dulceſcit, ut ægram
Soletur multo nauta liquore ſitim.
Ut ſummis tetigit labris nova pocula, fontes
Miratur medio proſiluiſſe ſalo.
At dulces poſtquam libavit certior undas,
Proluitur toto gens ſitibunda mari.
Certatimque Deo memor, & tibi Dive propinat;
Qui dignus tanti muneris auctor ades.
Felices undæ, totum queis invidet æquor,
Felix & tanto merſa liquore ſitis.
Non mihi Pegaſeus ſupereſt jam gurgitis æſtus;
Si ſemel hoc poſſim fonte levare ſitim.

INVICTISSIMO MARTYRI SACRAMENTALIS SILENTII

Illuſtri Canonicorum, Sacerdotum, Concionatorum, omnium fidelium ad Sacrum Tribunal accedentium Patrono, Famæ cuſtodi Vigilantiſſimo

DIVO JOANNI NEPOMUCENO

ELEGIA.

(Diſtributa Piſauri in templo Paroch. S. Cantiani, in quo magno fidelium concurſu, & devotione ejus feſtum celebratur).

QUem colis, exemplar propone, & nobile calcar;
Utilitas cultu ſic erit ampla tuo.
Devinces Heroa tibi pietatis amore,
Certa patrocinii ſic tibi ſigna dabit.
Te verbo, & facto docuit, tunc verba docentis
Dulcius oblectant, & grave pondus habent.
Te docuit, nunc te ſupero juvat axe: JOANNES
Omnia, cui fidas, quo docearis, habet.
Fide: quod ut meruit ſedes habitare beatas,
Officiis meruit poſſe juvare ſuis.
Egregios imitare actus, ſi diligis illum;
Invenit aut ſimiles, aut amor eſſe facit.
Ille placere Deo ſtuduit, placuiſſe potitur;
Utque Deo pariter nos placeamus, amat.
Ergo age, ſume animos; tutam, ne devius erres;
Arripe ſollicitus, qua præit ille, viam.
Influit in noſtros nunc Sidus amabile mores,
Qui Lux, dum quondam vita manebat, erat.

Aſpice

Aſpice ſplendorum radios, qua naſcitur Infans,
  Quæque locum immerſi corporis aſtra notent.
Crede mihi: morum Doctor ſeu Stella refulſit,
  Ne pigeat monitis plaudere, geſta ſequi.
Diſce juventutis curas, hoc diſce Magiſtro,
  Ducere felices, & ſine labe dies.
Quo ſtudio pietas Regum ſervatur in aula,
  Cum vili interdum degere plebe docet.
Annulus ut digito, ſic crinibus infula pectus
  Allicit, at tantum reſpuit ille decus.
Non tamen, immenſa populi ſpectante corona,
  Ædibus in ſacris, conſpicuoque loco
Reſpuit inſtillare animis documenta ſalutis,
  Doctrina Paulus, Tullius eloquio.
Sæpius incertas movit diſcordia lites,
  Arbitrer unanimes reddidit ille viros.
Multa libens patitur, reliquos ut ſublevet Heros,
  Non ſibi, ſed reliquis vivere ſolus amat.
Tu ſi forte reus meruiſti Numinis iras,
  Non renuas vindex corporis eſſe tui.
Ille ſuum corpus, quamvis ſine crimine vitæ,
  Artibus his domuit præcoce conſilio.
Non petit ut vincla, & flammas patiaris, & enſes,
  Utque ſepulchrales experiaris aquas.
Conjurata ſuis elementa doloribus optat,
  Ut mage ſit Domino Victima grata ſuo.
Felix ſi ſimilem poſſes acquirere ſortem,
  Aſt aliquid ſaltem te monet ille pati.
Si forte ingrederis venerandus Templa Sacerdos,
  Atque ſacro Laudes Numinis ore canis.
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat,
  Ut ſervus Dominum ſiſtitur ante ſuum.
Primus adeſt, poſtremus abit, qui totu in alto
  Officio, plenum Numine pectus habet.

Volve

Volve animo, Sacras humilis dum pergit ad Aras;
Corda Deo plenus, lumina fixus humi,
Qualia flammato ſpirent incendia vultu!
Quam dulcis madidas irriget unda genas!
Quam gravis informet totum reverentia corpus!
Verbaque cum geſtu quam bene conveniant!
Maxima Divinæ renovans miracula Cœnæ,
Exercere altum diſce miniſterium.
Si bibulas præbes commiſſa fatentibus aures,
Et pro Divino Judice munus agis;
Noverat ille quidem quantum eſt in munere pondus;
Tu quoque, ſi noſcas, hoc Duce, tutus eris.
Nam quinque expreſſit proprio de Sanguine fontes
Numen, ut ablueret ſordida corda hominum:
Elegitque Viros, qui ſola voce fluenta
Dirigere, & poſſent omne lavare ſcelus.
Aſpice quanta homines decoret tranſmiſſa poteſtas!
Quanta Dei in miſeros eniteat pietas!
Dat cælum reſerare, & claudere Tartara Numen,
Judicio claves dirigis ipſe tuo.
Seu reus accedas, ſeu Judicis ora reſolvas,
Ut bene utrumque geras, cura Joannis erit.
Nonne vides, quam mœſta venit, quam læta recedit
Turba frequens Domino reddita chara ſuo?
Hanc ſancte inſtituit monitis Venerabilis Heros,
Hi fructus vocis corda moventis erant.
Nec timuit famæ jacturam; ut munus obiret
Excelſum, Vitæ prodigus ipſe ſuæ.
Carceris horrores conſtanti pectore vicit,
Blanditiæ vires depoſuere ſuas.
Ut rupes immota manet bacchantibus undis,
Sic Regis tacito deſpicit ore minas.
Invicta optatam peperere ſilentia mortem;
Mortem, ſed mortis neſcia lingua manet.

In-

Incorrupta notat merita ampla, & præmia, & expers
Vocis adhuc miro prædicat eloquio.
Te monet, ut linguam eventu modereris in omni,
Diſce loqui exemplo, diſce tacere ſuo.
Tempora ſunt fandi, ſunt tempora certa tacendi,
Multa licet fari, plura ſilere juvat.
Si tamen audacis timeas mordacia linguæ
Vulnera, quæ famam dilacerare doles;
Tolle animos, jam certa tibi medicina paratur;
Tolle animos, certam quære medentis opem.
Hoc illi ſummo conceſſum a Numine donum,
Ut poſſit cuſtos nominis eſſe tui.
Heu! ammiſſus honor non eſt reparabile damnum!
Qui damnum reparet, ſi ſapis, unus erit.
Si perdas, reparat; ne perdas, ſervat honorem,
Et facili inſtantes excipit aure preces.
Atque animi morbos cura medicatur amanti,
Gaudet enim noſtris utilis eſſe malis.
Ut tibi tot miſero bona ſint conceſſa, Joannem
Sedulus obſequiis demereare tuis.

Innocentia, & Pœnitentia de aſſerendo ſibi D. Aloyſio diſceptant.

E Geminis facultatibus Poetica, & Oratoria, quibus tamquam partibus Rhetorica conſtat, una eſt Poetica, in qua frequentius ſe Rhetores noſtri exercere ſolent, cum publice ſtudiorum ſuorum ſpecimen exhibere contingit. Quid ergo? Vos ne ſemper lateat quid poſſimus in Arte Oratoria? ex qua præcipue nomen ſuum Rhetor accipit. Minime vero. Adeſte igitur dicentibus nobis: ſtatuimus enim hodierna die non canere, ſed perorare. Argumentum facundæ eloquentiæ ſuppeditat nobis jucundiſſimus

mus Adoleſcens, idemque Patronus lectiſſimus Divus Aloyſius Gonzaga, in quo cum duæ virtutes Innocentia, & Pœnitentia ita emineant, ut utra ſit major, definiri difficile queat, quid afferre pro ſe quæque poſſit, duplici Oratione quaſi in genere judiciali concluſimus. Quod ſi erunt quædam anguſte dicta, id ita accipi a Vobis velimus, non quaſi careamus arte amplificandi, quæ præcipue Rhetorum eſt; ſed quia brevitati in præſenti actione ſtudemus.

Pro Innocentia

IN animo mihi eſt, Judex æquiſſime, non tam cauſam meam defendere, quæ juſtiſſima eſt, quam Adverſarium injuriæ expoſtulare, qui in me litem audeat inferre. Obiit diem ſuum Aloyſius ſingulari laude Sanctitatis inſignis; licet enim inter Aulæ illecebras verſaretur, in nullam vel leviuſculam culpam incidiſſe compertum eſt. O prærogativam ſingularem! O gloriam! O decus! quod pauci, etiam ex iis, quibus cæleſtes conſtituuntur honores, adepti ſunt! Unde invidiam in Adverſarium conjiciendo manifeſta faciam ejus conſilia, quibus Aloyſium inter Pœnitentium Choros adſcribere molitur. Doleo ſane, innocentiſſimo Juveni eam eripi gloriam, qua major nulla poteſt inveniri. Pœnitentia quippe, etſi aliquam meretur laudem, noxam tamen, quam diluit, præſupponit, omni vituperatione digniſſimam. Hinc eſt, quod me vehementer recreet, ac reficiat tua ipſius præſentia, Judex æquiſſime, cujus integritati confido procul dubio ſtatuendam ſententiam meam, Aloyſium ſcilicet candidiſſimis Innocentium Faſtis adſcribendum.

Et ſane quis audeat revocare in dubium, an ille

In-

Innocentibus adnumerandus ſit? Unde enim orietur dubitatio? Ab ortu ne, an a vitæ termino? Ab ortu ne primo, quem Innocentia prævenit ſingulari prope miraculo; neque enim, ut cæteri ſolent paterna lue infecti, ſic ille impurus, ſordiduſque in hanc lucem venit; minime vero, ſed integer, ipſaque nive, & luce integrior vitæ veſtibulum ſalutavit. Nam Sacro Fonte allutus, antequam penitus naſceretur; regeneratus, antequam generatus, gratiam prius hauſit, quam ſpiritum. Ita ne ergo Aloyſius inter Innocentes a morte numerandus non eſt, qui innocens cœpit eſſe ante vitam!

Verum Vitam ipſam aliquo fortaſſe crimine maculavit: quo vero? Cujus tanta fuit innocentia morum, ut ſæpiſſime addubitarint ſacri Pœnitentiæ Miniſtri, an illum rite abſolutum, conceptaque formula conſecratum poſſent dimittere. Ut omnino ridenda Pœnitentia ſit, quæ ſibi Aloyſium tentat adſciſcere, cum ad eam Aloyſius tuto, & ſine aliqua religione poſſet accedere. Quod fuit unquam ejus non dicam flagitium, aut ſcelus, ſed culpa? Quam vero ille culpam agendo, converſandoque ſuſciperet, cujus erat tanta in omnibus Moderatio; qui Senſus enim, aut quæ pars ejus Corporis a recto unquam aberravit? An oculi? quos humi fixos perpetuo habuit, ut ei ne ipſius quidem Mater nota eſſet de vultu. An lingua? quæ vix loquebatur, niſi cum Deo. An aures? tam impatientes ſermonis minime pii, ut ſenem Juvenis reprehendere non dubitarit, quod ille parum caute, neque pro dignitate ſenectutis maturæ loqueretur. Denique quid culpam in Aloyſio fruſtra quærimus, qui vel umbram culpæ tenuiſſimam prudens, modeſtuſque cohorruit; cum enim juberetur joci cauſa Puellam deoſculari in pariete

ad-

adumbratam, ſic ab umbra fœminea indignabundus refugit, quaſi a vero ſcelere.

Hanc vero tam niveam, mirabilemque Innocentiam ad extremum uſque vitæ terminum miro ſtudio coluit, quo quidem tempore vel ſanctiſſimi Viri ſibi timere ſolent, divinique judicis tribunal non ſine quadam animi commotione expectant. Teſtem adduco Hilarionem, qui poſt eximia anteactæ vitæ merita timore plenus expaveſcebat inter vitæ, mortiſque confinium. Teſtes vos omnes Anacoretæ Sanctiſs. qui in Carcere Climaci aſperrimo vitæ genere uſi eſtis. Quam vero commendabilis Aloyſius, cui cum in propinquo mors eſſet, ipſe ſui ſecurus nihil timuit. Inter ſociorum lacrymas unus ipſe ridebat, quod mortem non a vita exitum, ſed ad beatitudinem aditum experiebatur certiſſimum. Numquid eſt, Aloyſi Sanctiſs. numquid eſt, quod tibi anxietate quadam tranquillum animam moleſtes? Ad æternitatis iter accinctus aliquem offendis ſcrupulum? ulla retia illaqueant? alicujus vitæ conſcientia animum inquietat? Nullo vere, nullo tacito cogitationis convitio affectus mortem ipſam laceſſis: ceu columba ſordis neſcia ad patriam Turrim, ſic Aloyſius integer vitæ, ſceleriſque purus mortalitatem exuens in puriſſimum Patris cæleſtis ſinum avolavit.

Quæ cum ita ſint clariſſima, dubitandum certe non eſt, ſuum eſſe in Aloyſio locum Innocentiæ. Si quis enim dubius adhuc pendet, dubitabit ille, credo, an Cælo ſtellæ ſint aſſignandæ, an herbæ pratis, an flores Areolis, an aquæ fontibus, an Eritreo gemmæ? Quæ ſi in dubitationem venire non poſſunt, quid eſt, quod dubitemus, innocentiſſimum Aloyſium inter Innocentes eſſe numerandum?

At enim flagris ſeſe cecidit, lateri ſtimulos admovit,

vit, nuda humo cubavit, ſi fames urgeret, exiguo pane contentus, ſi ſitis, ſimplici aqua recreatus. Totum denique ſe pœnitentiæ ſtudio ita dedidit, ut auſteram, miſeramque vitam exegerit. Quid inde Pœnitens idcirco appellari poteſt? Pœnitens ille eſt, quem male anteactæ vitæ pœnitet; pœnitens ille eſt, qui ſanguine ſuo præteritæ juventutis labes eluit, qui vitiorum ſquallorem nova virtutum luce delet, & diſſipat; qui, quidquid prave amavit, pari contemptu amatum odit; quidquid perverſe odit, nunc jam amat, & ſequitur.

Cujus vero flagitii pœniteret Aloyſium? quod ſeptennis jam ſe totum in Deum converterit; quod puer in angulos Domus remotiſſimos, ſe abdiderit, ut Orationi intentam operam daret; quod Virgini candorem animi ſui mature voverit? Quid eſt, quod corrigeret ſua pœnitentia Aloyſius? Munditias corporis nimias? tritas, laceraſque veſtes amavit ſemper. Lautitiam cœnarum? Erat illi pro magno Convivio Apicii, atque Luculli, fruſtum panis. Inſanum amorem Chorearum? Olim cum tota Domus lætitia, plauſuque reſonaret, ſolus inventus eſt in lignaria cella ſibi vacans, & Deo.

At ejus Corpus riget ſtimulis, manus horret flagellis? etiam roſa munitur vepribus; ergo inter ſpinas numerabitur, non inter Flores? Flagra innocenti manu tractata innocentiam non minuunt, ſed confirmant. Quamobrem Aloyſius inter Innocentes tanto eſt magis numerandus, quanto ipſum erat difficilius ab Innocentibus removere, quod ſe contra Hoſtes armaret.

Et ſane, vide quantum cauſæ meæ confidam! Aſſere tibi tuum, o Pœnitentia, Aloyſium, finge, illum inter Pœnitentes eſſe; vide quam male congruit

loco! Non mœrens vultus, non triſte ſupercilium; non pudore ſuffuſæ genæ, quæ facies Pœnitentium eſt; nullæ lacrymæ amaræ, ac triſtes, nulli gemitus anxii, nulla querula ſuſpiria. Contra frons læta, & ſuaviſſima quadam hilaritate erecta, qualis Innocentium eſſe ſolet: pudici quidem, ſed vivaces oculi; denique in toto vultu ſerenum quid, & apertum, quod eſt Innocentiæ ſeſe prodentis ſignum, & nota. Oh quam ille diſconveniet loco! quam male tuebitur ordinem, in quem committitur! Hunc tu Pœnitentem dices; ipſe vel de vultu ſe proferet Innocentem.

Quæ cum ita ſint, te rogo, obteſtorque, Judex æquiſſime, ut litem, ſi qualis eſſe poteſt, pro tua juſtitia dirimas. Occurrant, oro, menti plurima, quæ mihi illum adjudicant; multo etiam plura, atque graviora, quæ illum avertunt, & ſeparant a Pœnitentium Choro. Mentem ſubeat, Judex optime, quam brevis, atque exigua ſit Turba Innocentium, quam lugenda parcitas; pauci omnino ſunt, qui Innocentiam, qua a te ſub initium vitæ ſunt induti, integram, atque illibatam ad te deferant, quum e vita diſcedunt. Jam vero ſi noſtro ordini accedat, ut addecet, Aloyſius, numeri damnum rependet ſplendore virtutis; ſi vero aufertur, imo & avellitur, quis ille erit, qui velit innocentiam vivendo ſervare, cujus eſt dignitatem amiſſurus a Morte? Decertavi.

Pro Pœnitentia.

ETſi iniqua in ſpeciem videri poſſum, quæ Aloyſium innocentiſſimum Adoleſcentem exopto meo Ordini adſcribere, tamen ſpero, a me tantis momen-

mentis Poſtulationem meam confirmatum iri, ut & ſua laus Innocentiæ conſtet, & mea perquam maxime cumuletur. Ecquis enim dubitet, in illarum quemquam virtutum Choro recenſendum eſſe, quas in vita maxime coluit? Aloyſius vero quamvis innocentia prædituſ ſingulari, pœnitentiæ laudibus præſtare nemo eſt qui ignoret. Ejus ſtudio ſiç exarſit, ut unicam cæteris præferre conteſtaretur. Unde in Quæſtione nequaquam ponendum arbitror quod luce clarius nobis ante oculos exprimitur. Cum tamen ab Adverſario in dubium revocatur quod certum omnibus apparet, cauſam me tueri meam neceſſum eſt, cum hoc Aloyſii gloriam nihil obſcuret, ſed illuſtret magis; ac ut ſummæ laudis eſt pœnitentiam (innocentem licet) perſequi; ita ſummo honori futurum a Pœnitentia (quamvis innocentem) in ſuum eſſe adſcriptum. Demum licet gratioſa ſit Innocentia, ea Judicis incorrupti integritas eſt, ut a recto avocari non poſſit; præcipue in hoc Sapientiſſimorum Hominum Conventu, in hac frequentia ex omnigenæ literaturæ Coriphæis.

Age; quæritur, an Aloyſius inter Pœnitentes adſcribendus ſit? Si quis eſt, qui de hoc dubitet, illius vultum, habitumque aſpiciat; quem alium unquam Ordinem produnt macidæ illæ genæ, attenuatus ille vultus, frons pallida, dejecti oculi, tota denique oris facies ad pœnitentiam compoſita? quæritur, an inter Pœnitentes ſit admittendus, cui pro Corpore, Corporis umbra eſt: tanta fuit jejuniorum frequentia! cui eſt Cutis arida, contuſi artus, exarata vivicitus pellis; omnis denique Corporis compages qua flagris, qua ſtimulis, qua vigiliis, præcipue vero incredibili cibi abſtinentia, ita laxata eſt, & male hærens, ut in maxima Juventute animum

retinere non poſſet. Hic non inter Pœnitentes numeretur?

Ergo inter Pœnitentes numerabitur durus Anacoreta, quod illi brevis eſt Lectulus, parca Menſa; etſi Lectulus ſternatur foliis; etſi Menſa ornetur fructibus? Ille vero excludetur, cujus Corpori delicato ſubſternebantur fruſta lignorum aſpera, atque acuta; cujus ſæpe victus ad menſuram, libramque exactus, ne tantillum quidem unciam excederet? Si pœnitentium eſt removere delicias, quis Aloyſio plures removit? quas illi affatim circumfuderat Paterna domus, naturæ dignitas, benignitas fortunæ adblandientis. Decebant illum molles, ſuperbæque veſtes: removit, contentus laceris; decebant illum lecta, & exquiſita edulia: removit, contentus obviis. Decebant illum ludi, atque ſpectacula: removit, contentus ſolitudine. Si Pœnitentium eſt amplexari injucunda, quid eſt, tam ingratum, tam aſperum, tam injucundum, quod Aloyſius non ſit toto pectore perſecutus? An vigilias? qui noctu per ſummam Hyemem ſurgebat, nudiſque genibus humi affixis, tamdiu orando perſtaret pene nudus, quoad frigoris inſano rigore conrigeret. An flagra? an cilicia? Difficile erat in magnifica domo hæc inſtrumenta piæ impietatis invenire: invenit ingenioſus ad pœnitentiam adoleſcens. Ipſa canum vincula, Equorum ſtimulos in ſe ipſum convertit; his pro ciliciis, illis uſus pro flagellis; quæ tanto erant aptiora ad cruciandum, quanto ad utendum minus apta. De ciborum abſtinentia parco dicere, cum & ſuperius brevi multa indicaverim, & properet oratio mea ad vim retundendam adverſariæ orationis.

Negat igitur Adverſarius, has eſſe Corporis afflictiones, quæ ad nullum ſcelus delendum ſunt inductæ; quid ergo ſunt, ſi pœnitentiæ non ſunt? An

non

non illæ a pœna nomen ſuum ducunt? Delectarunt, credo, Aloyſium flagra, non lacerarunt; foverunt ejus corpus ſtimuli, non pupugerunt; gulam recrearunt jejunia, non afflixerunt. Quod ſi ex priùs inflictis vulneribus rivus ſanguinis exiliit, ſi cruentata ſunt ejus lina, ſi adſperſi parietes, ſi præ jejuniis maceratum corpus expalluit, atque extenuatum eſt, quis neget, has illi fuiſſe pœnas aſperrimas, pœnitentias multo acerbiſſimas?

At Aloyſius nihil unquam ſceleris admiſſit! Verum quidem eſt. At cujus beneficio? Nonne Pœnitentiæ? neque enim eſt una cauſa afflictandi Corporis, peccatum delere; ſed multo etiam maxima, peccatum vitare. Pœnitentia ſepes, & munimentum Innocentiæ eſt: quid ergo renuat Aloyſius inter Pœnitentes venire, qui ſi quid gloriatur de ſervata Innocentia, hoc totum referre debeat Pœnitentiæ, quæ arma præbuit ad Innocentiam ipſam ſervandam, & defendendam. Quoties enimvero medicina ſumitur non ad morbum qui ſit, expellendum; ſed ad præveniendum, ne ſit; quæ tamen medicina eſſe non deſinit.

Vos teſtor, cruenti Aſſeclæ Pœnitentiæ: cum veſtra ipſi Corpora jejuniis frangitis, flagris contunditis, cæteriſque id genus tormentis male habetis; quem ducem ſequimini, quem imitamini? Nonne Chriſtum? Quis vero Aſſertore noſtro amantiſſimo innocentior? Adeo ut Pœnitentiæ dignitatem vix intelligere videatur, qui eam putet nullam eſſe, niſi præcedat ſcelus. Habet illa quidem ut ſcelus vindicet, puniat, terat, ſi invenit: ſed id præcipue facit, ut ne inveniat. Tolle igitur ab Aloyſio Pœnitentiam (audeo dicere), tolle & Innocentiam. Quamquam & ſi Innocentia ſervetur, quid ille magni fecerit ſine externa Corporis af-

ſlictione? Vel Puer, qui a Sacro Fonte moritur, innocens eſt; neque tamen propterea locum meretur inter Heroas ſanctitatis. Cur vero? niſi quia etſi Puer ille niteat pulcherrimo candore Innocentiæ, tamen eſt Parma inglorius alba, ſi cum aliis Sanctiſſimis viris comparetur.

Eſto, tibi indulgeo, Innocentia, quæ tuum, ut ais, Aloyſium tantopere deprædicas. Quæro abs te; quid magni fecerit? Innocens, inquis, fuit continenter ad annos tres ſupra viginti. Egregiam vero laudem: Aloyſius non fuit ſceleſtus. Verum, inquis, pauci omnino ſunt, qui non a recto exorbitent intra paucos annos: eſto; erit hoc illis probrum vel maximum; ſed nulla Gonzagæ præclara laus, quod a ſcelere tantum abſtinuerit. At, inquis, innocentiam magnis virtutibus ornavit; virtutes ſi complecti orando neſcis, numerando recenſe; ſprevit divitias, amavit aſpera, nulla unquam in re genio indulſit; vides ut in Ditionem meam ingrederis, in meſſem meam immittis falcem? Quid hoc aliud eſt, niſi dicere: pœnitentiam amavit? Adeo verum eſt, omnem pompam Sanctitatis ab Aloyſio reſecari, ſi quæ pertinent ad Pœnitentiam reſecentur. Nam, quid aliud in ipſo mirantur magis Hominès, æmulantur Juvenes, prædicant Sacri Oratores, quam aſperam illam ſupellectilem pœnitentiæ, qua Innocentiam partim defendit, partim exornavit? Ergo Aloyſius non inter Pœnitentes cenſeatur, cujus præclariſſima decora, cujus laus melior, atque uberior a ſtudio Pœnitentiæ ducitur?

Sed quid ego pluribus contendo? Non poſſumus inter nos convenire; noſtra diſputatio componi nequit; ad eum remittamur, de quo agitur. Interrogemus ipſum: viſne, Aloyſi Sanctiſs., inter Innocentes cenſeri, an inter Pœnitentes? Vide ut oculos demittat!

tat! Ut genis erubeſcat, ut extremo e pectore trahens ſuſpiria, exclamet: Miſerum me! Satis, ſuperque deliqui, neque ſatis mihi patet, an Sanguinem illum fuderim, qui ad delenda crimina opus erat. Si ſacer ordo Pœnitentium non me indignatur, libens inter ipſos eſſe velim. Hoc ego vivens optavi; hoc etiam moriens; cum teri flagellis Corpus meum inſtiti, quæ ipſe moriens tractare non poteram; cum cineres volui mihi morienti ſubſterni; cum Animum denique in voto, deſiderioque pœnitentiæ afflavi. Audiſtis ejus Vota? jam quid poteſt deſiderari ad meam cauſam apertius, & conducentius?

Vici quidem certe, o Judices, vici; nam ſi his quilibet locus, aut Ordo decet, in quem ſe ipſi ſua ſponte, ſuiſque factis induxerunt; qui nunc conveniat locus Aloyſio, manifeſtum eſt. Optavit ipſe locum inter Pœnitentes, concedatur; neque ſolum optavit, ſed magna rerum aſperrimarum contrectatione ommeruit; negari non poteſt.

Quod ſi mœrore ſepultus jacet Adverſarius, animo præ amoris magnitudine lancinato, quaſi doleat Innocentiæ candorem in Aloyſio nimium obſcurari, animos jam erigat; ita profecto eſſet, ſi nuda eum, ſimplicique voce Pœnitentem vocaremus; rem itamitigamus. Accedat ille ad noſtros, quod maxime voluit, neque tamen prærogativam Innocentiæ amittat. Tum vero dicetur in poſterum Aloyſius Innocens, quem Pœnitentia adoptavit. Refutavi.

Aloysius Sanctissimus Studiosæ Juventutis exemplar.

RHetorices, qui jura petis, vel castra Minervæ
Docta colis; Latio tete exornare cothurno
Quisquis amas; Lodoin jam primo a limine Curis
Exemplar propone tuis, vestigia semper
Insequere, eximiosque feres super astra volatus,
Nec legum ambages, serieſque immensa timorem
Incutient; procul est motus; namque omnia vincent
Cura vigil, mentisque acies, dum vivida fervent
Ingenia, atque animum florentior excitat ætas.
At pietatis amor sit regula prima, nec ullo
Excipias casu; teneros sibi vindicet annos
Hoc studium; non vana tuum prædetur amorem
Gloria, quam Lodoix cursu fugiente reliquit.
Non illum illecebræ, non irrequieta coegit
Ambitio licet ampla Domus, decora alta parentum,
Nobilitatis apex, pompoſa superbia, luxus
Divitiæ, quibus aula animos invitat inertes,
Pectora concussere; at fortior omnia vicit,
Contempsitque breves vitæ fallacis honores.
Degeneres ut curæ abeant e pectore, mentem
Imperio premit; at nulla effrenatior audet
Libertate animus. Cælo studia illa placebant;
Cum genua inflexus, toties ad Sydera palmas
Extulit, in dulceſque abierunt pectora fletus,
Semper ubi Studiis mentem addidit; ac pia semper
Corde imo superas vota ejaculatus in auras
Numinis obsequio mentemque animumque litavit.
Falleris heu nimium, mentem qui distrahis alta
Curarum illuvie, atque humana negotia versas
Conatu assiduo, quo tempus inutile perdis.
Ergo age in Eboreis, quisquis studioſus Athen;

Vl

Vel mentem excolere, aut Muſarum ediſcere leges;
Rhetoriceſve cupis; votis ſupera Aſtra laceſſe,
Ac gemitu Cælum exora: fugere omnia debes,
Quæ Lodoix procul abjecit; mens libera curis
Prima rudimenta, & Cæleſti dogmata noſces
Auxilio, atque animum ſtudia ad graviora parabis.
Si tamen eſt animus virtutum exempla tueri,
Aſpice Aloyſium Sapientibus adſtat aſylum,
Virtutis vera effigies, pietatis imago,
Nobile prototypon, rectique exemplar habetur;

Divi Aloyſii Innocentia crudelitatis rea.

CUr ita dant pœnas, Lodoix, ſine crimine mores?
Supplicium mores, qui meruere ferant.
Crimen erit, teneros cruciare immaniter artus;
Sævius, inſontem plectere, crimen erit.
Hoc tibi crimen ineſt; fera projice tela, refelles;
Nam te dum fingis, te facis ipſe reum.
Pergis, & inde novo nova crimine pœna reſurgit;
Sævitiæ major fit tibi cauſa tuæ.
Attamen ipſe reum ſi te, Puer impie, fingis;
Et reus, & lictor ſic juvat eſſe tui.
Chritolaus juſto, ſe vindice, concidat ictu;
Digna eſt ſupplicio culpa dediſſe manus:
At dum ſæpe novo te Marte fatigat Avernus,
Non ita ſuccumbis, ſed mage victor ades.
Morte luit Nicias, quo victus honore carebat;
At tibi laus victo ſemper ab hoſte venit.
Clelia ne duro teneatur ab hoſte, per undas
Tradidit in dubium penſile corpus iter.
Sed (tua ſi demas) vinclis non comprimet hoſtis
Alter, & in lacrymis mergeris ipſe tuis.
Nec tantum ex oculis duo currere flumina miror,

San-

Sanguineo quoties merſus in imbre natas!
Parcius iſta tuis nec viribus apta nec annis.
Sorde quidem Lodoix, quam lavet unda, cares.
Aſt injuſta licet, pia defluat unda; cruori
(Si lacrymis non vis parcere) parce tuo.
Ut lacrymat gemmas aurora, ut aromata ſudat
Hybla, ſuamque nivem lilia, fletus eat.

Pone precor ſævi ſæva inſtrumenta furoris
Plurima, queis artus cingis utrinque tuos.
Dum male te feriunt, tua me quoque flagra cruentant,
Carnifici nimium flagra rotata manu.
Non tumet ad proprias roſa, cincta ſatellite pœnas,
Provida munimen, quod tueatur, habet.
Nec tuus Idalio maculatur ſanguine candor,
Hinc non ulla tibi cauſſa ruboris adeſt.
Quid tamen heu! vepres in te, roſa candida, vertis?
Candori ſanguis dedecet iſte tuo.
Ite procul tædæ, procul ite Cupidinis arcus;
Non locus inſanis ictibus altus erit.
Quam fruſtra in Lodoin tua dirigis arma, Cupido,
Qui puerum mira riſerat arte puer?
Scilicet ad ludos (ſi ludere dicitur unquam
Cui mens ſemper erat, curaque fixa polo)
Scilicet ad ludos procerum ſtipante corona
Gonzaga urbana lege coactus adeſt,
Victorique Umbræ, qui vincitur, oſcula figet,
Lex eſt judicio non placitura ſuo.
Nobilis e Cœtu vix fœmina vicerat, ulla
Non potis eſt refugos arte tenere pedes.
Atque aliquis: latam quid legem explere recuſas:
Non tibi legis amor, ſed fuga, crimen erit.
Comprime inurbanos, Comes optime, comprime greſſus
Dum rata victrici ſolvere jura fugis.

Vi-

Victricem poteris repetito vincere bello;
  Sors variat dubias, ſæpe benigna, vices,
Utque ſubis ludum, ludi quoque præmia ſerva,
  Tam levis horrori criminis umbra tibi eſt!
Quin etiam & choreas tua grata modeſtia vitat,
  Queis arcem allexit caſta puella tuam.
Quæque licent renuis, licet approbet illa juventus
  Cauta; fugis leges cautior ipſe ſuas.
Eſto, cave; in plano laus eſt timuiſſe ruinam;
  Sed tibi non, quo laus, culpa luenda venit.
Supplicio reprobas, dum ſic furis, inſcia, mores;
  Injuſto laudis digna dolore premis.
Vidi ego perfuſo paſſim madefacta cruore
  Limina ſævitiæ ſigna relicta tuæ.

Nec ſatis eſt tigrin (dum ſic male percutis artus)
  Induere, at vitæ debita jura negas.
Splendida ſi primis tibi menſa placeret ab annis,
  Digna quidem at major crimine pœna foret.
Et refugos latices, & poma fugacia captet
  Tantalus: audaci luſerat arte Deos.
Tu quoque nec placida (poteras tamen) uteris eſca;
  Nec ſatiat, juſto parcior, urna ſitim
Te ſacra innocuum ſi numina ſemper amarunt,
  Cur juvat appoſitis abſtinuiſſe cibis?
Pœnam (ſi pœna eſt nullum eſt ubi crimen) adauges;
  Metiturque breves uncia ſola dapes.
Tempus erit quo luſtra tibi jam quinque miniſtrent
  Robora ſævitiæ commodiora tuæ.
Non ſolet in pulchros hortus gemmaſcere flores
  Ni liquor optatam ſuggerat hauſtus opem;
Ipſa ſuum nectar candentia lilia fugunt,
  Et bibulis undæ dant alimenta roſis.
Floret corpus adhuc; fructus feret; adde vigorem.

Nem-

Nempe coli, ut fructus afferat, arbor amat:
Aſpicis ut queruli creſcant jejunia ventris?
Spiritus (heu!) vita more carentis abit.
Pelle famem; nec tanta quidem Lacedæmone viſa eſt,
Quamque Licurgus amat, non ſinit ipſe queri.
Aſt tibi ſola fames nocuas compeſcere vires
Dimidium palmæ debilis hoſtis erit.
Vince tamen; quis honor? ſi robora ſubtrahis hoſti;
Suffice: laus forti major ab hoſte venit.
Adde quod hoſtiles non ſunt in corpore vires,
Arbitrioque regis ſubdita membra tuo.
Non ita ſupplicium, ſed præmia juſta meretur:
Namque animam exuto corpore, corpus agit.

Cætera quid memorem? tibi ſunt ſine fine dolores.
Et nulla inſonti cauſa doloris adeſt.
Nam tibi mendico ſua munera ſæpe juventus,
Heu! ſua lidibrio munera mixta dabat.
Hæc animi elatos, non te Gonzaga decebant,
Hæc maculæ eximiæ nobilitatis erant.
Sint equidem monitus, calcandaque jura parentis,
Auſus erat greſſus illaqueare tuos;
At faciles mater ventos aſpirat eunti,
Cur genio es matri ſaxeus, ore ferox?
Fœmina, ſit, fateor, tamen aſpice matris amorem;
Virtuti debes fidere plura tuæ;
Quodque magis doleo, tua me quoque pœna fatigat,
Dum mihi difficilis dulcia verba negas.
Siqua tibi pietas, ſiqua mihi parte rogandum,
Sit ſaltem e vinclis lingua ſoluta ſuis.
Nam grave crimen ineſt ubi vincula ſtrictius urgent;
Vincla efrænatis injicienda viris.
Fare age, mi Lodoix, diuturna ſilentia rumpe;
Rumpe, quod in voces dedecet ulla, moras.

Fare

Fare age: non facto natura ſuperfluit ullo;
Eſt homini officio credita lingua ſuo.
Laus eſt ſcire uti, & tantum privarier uſu,
Quam nimius linguæ crimen abuſus erit.
Herculis auratas tibi miror ineſſe catenas,
Qua tua vox animos vinciat arte feros.
Aurea dexteritas, tenor aureus, aurea lima,
Aurea vis, virtus aurea vocis erit.
Fluctuat in mundo, ceu navis in æquore, virtus;
Virtutem ſyren ad pia verba rege.
Univagoſque trahes melior Delphinas Arion,
Orpheus ad voces ſaxea corda trahes.
Aſpicis incultos hominum ſylveſcere mores,
Dulciter eloquio quiquid agreſte coles.
Ipſa quidem fateor, tua te facta inclyta produnt,
Facta ſuum pondus vocis ad inſtar habent.
Pondus in ore ſedet, nec ſunt ſine pondere greſſus,
Pectore fixa manus, lumina fixa ſolo.
Verba (nec exempla ſatis eſt docuiſſe) ſequantur,
Exemplo facies utilióra tuo.
Forte manus aliquis, captivaque brachia credit,
Quodque moves lentos debilitate gradus:
Non ea virtuti, naturæ ducet iniquæ,
Teque oculis credet forte carere tuis.
Quid cupis infirmus, ſi mors tibi ſana, videri?
Sæpe animi vires corpus habere ſolet.

Utere luminibus, Phœbeaque lumina prode,
Prode oculos, vultu ſydera bina tuo.
Anne ſuis renuunt fulgere nitoribus aſtra,
Aut renuis lucem ſpargere, Phœbe, tuam?
Non equidem; velut aſtra orbi tua lumina nitent,
Lumina tu, Lodoix, dirige bina polo.
Vincla (nec inficior) ſua ſint errantibus aſtris,

Er-

Erroris pœnas aſtra decere reor.
Non tua, ut in cælo, ſunt aſtra errantia; diſpar
Hoc unum, Cælos quo ſuperabis, erit.
Adde quod errantem tua lux bene diriget orbem,
Adde quod a propria nomina luce trahis.
Heu Puer Idalius, dum lumina clauſa, videris!
Virtuti ſpecies diſſonat iſta tuæ.
Te comitem Heſperiæ duxit Regina tot annos,
Lumina tunc dominæ clauſa fuere ſuæ.
Non aliquem aſpectu, niſi te, cognoſcere curas;
At vultum Angelicum cernere nemo poteſt:
Lacrymet, atque oculos ſcelleratus ad intima volvat,
Ad ſordes lacrymas dirigat ille ſuas.
Qui tamen in cælo theſaurum, animumque locaſti,
Lumina theſauro fige, refige tuo.
Nos Deus elato cælum jubet ore tueri,
Pronaque non homini, ſed dedit ora feris.
Eſt aliquid moles, quibus eſt mirabile Numen
Spectare, ad laudes hinc ſeges ampla venit.
Ut lacrymas ſequeris, ſequere & ſuſpiria viſu;
Quo gemitus oculi, ceu volat ignis, eant;
Quo deſiderium, quo pectoris intima, tende;
Quo faculæ, accenſus quas jaculatur amor.
Angelus hac fruitur (ſua ſunt habitacula) Sede;
Sit tibi fas illuc, quo licet, ire modo:
At ſubmitte oculos, ſat ſydera mente tueri;
Lyncis enim partes mentis acumen aget.
Quid mirum inductos, temnas, Gonzaga, dolores?
Angelus es: nec erit, quem patiare, dolor.
Nec tibi voce licet, qua non ſolet Angelus, uti:
Nec libeat Matrem Matris habere loco.

Mens tibi nobilior pars eſt; tibi pluris haberi
Debet; at in mentem ſævius ipſe furis?

Mens

Mens potis in gemino peragrare per omnia Mundo;
Quodcumque eſt, gremio mens capit ampla ſuo.
Libera diſcurrit; prohibes diſcurrere; ſola
Ipſe tui mentem cognitione ligas.
Judiciumque capax, quod limite comprimis arcto,
Te bene (dum fingis te nihil eſſe) capit.
Quæ nimis ampla potes de te modo concipe; mentem
Cur ferus intra te deprimis ipſe tuam?
Tu nihil! eximiis proh pœna indebita factis!
Creſcere cum nequeas, te minuiſſe putas!
Libera ſe jactat moderamen habere voluntas,
In te viſa tamen jure carere ſuo eſt.
Quid ſit velle tibi res eſt ignota: voluntas
Eſt hominum factis arbitra ſola tuis.
Cuique voluntatem, ſiqua eſt, ſubmittere gaudes;
Omnibus imperium tranſtulit illa ſui.
At quibus imperium, quibus eſt prudentia, pare;
Cur quibus excellis, ſponte ſubeſſe juvat?
Cui ſua libertas damno eſt, vincire licebit,
Ut luat errores compede vincta ſuos.
At tibi mens recto, recto tibi prona voluntas;
Utraque ſit vinclis libera facta, decet.

Si tamen innocuos amor eſt ita plectere mores,
Nec pœnæ immunis pars manet ulla tui;
Quid fuit ut ſtimulos, Gonzaga, volatibus addas?
Sat tua cura ſuum nobile calcar habet.
Proh dolor! alipedes cohibentia lora Moloſſos
Arripis, atque ferox in tua damna paras.
Non tamen impune eſt, quo te ſine crimine damnas,
Crimen; & eſt pœnis debita pœna tuis.
Dum ſatiare cupis, tua non ſatiabitur ira;
Pœnæ amor in pœnas inſtar hydropis erit.
Membra ferus crucias; quos appetis ipſe, dolorum

Gau-

Gaudia ſunt, Lodoix, ſubſtituenda vice:
Hæc amor inſtillat, qui te bene purpurat oſtro;
Signaque majeſtas, dum cruciaris, habet.
Flagra rotas, accurrit amor, ſeſe ictibus offert;
Vertit & in gemmas, quod cruor eſſet, amor.
Te circum intonſis feriunt texta aſpera ſetis,
Delitiis reddet plena benignus amor.
Non tam blanda forent, quæ ſerica texta recuſas;
Qu æque dolere cupis membra, dolore carent.
Te quoque ſi fugias, velut umbra ſequentur honores;
Laudem averſanti laus tibi major erit.
Ludibrium optaras; orbis caput, Euge triumpha,
Clamitat; & laudis ſunt fora plena tuæ.
Prodigus es vitæ, tamen immortalis ab ipſo
Funere Phænicis more ſuperſtes eris.
Abdere te curas; ſed major in orbe videris;
Dumque odium velles creſcere, creſcet amor.
Dumque voluntatem cura eſt, dum plectere mentem;
Libertatem animo dant pia vincla tuo.
Denique ſi mores (ubi ſunt ſine crimine) punis;
Pœna tibi, pœnas non dare, certa manet.

Quam bene, mi Lodoix, ſapientum exemplar haberis;
Prototypon virtutis ades, pietatis imago,
Palladium tu Numen eris, tu noſter Apollo.
Per te Religio, quidquid rectique, probique
Floret, & æternum noſtris ea ſemper in aulis
Auſpiciis ſervanda tuis; hæc prima juventæ
Inſtilanda animo mirum tanto auſpice creſcent.
Nec minor Eboreis ſapientia floret alumnis.
Corda ſimul menteſque regis; docta agmina claro
Exemplo antevolas; libriſque incumbere cogis.
Ergo tibi plauſus, & non ignobile vates
Obſequium ferimus; reliqui ſua munera ſolvant,

Car-

Carmina ſunt noſtris dignum vectigal amoris.
Dum tua Rhetorices habitabitur aula Poetis
Nota domus, meritos ſacrat tibi muſa labores;
Dum vates, dum carmen erit, dum plectra ſonabunt,
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.

S. Aloyſius prima vice ad SS. Euchariſtiæ Sacramentum accedit.

REM prope Divinam; ſi cui ſpectare voluptas
Adſit, & hac mecum pauliſper in æde decennem
Cernat Aloyſium; ſacram qui ſtratus ad aram
Perfuſus lacrymis, Dioque incenſus amore
Angelicum facibus vultum, quibus æſtuat intra
Pectora, & inſueta captus dulcedine mentem
Lætus ad æthereæ cæleſtia Numina menſæ,
Nunc primum conviva venit. Quæ gratia frontis,
Quæ micat ex oculis nova lux! Reverentia pronum
Volvit humi; totum Divina modeſtia corpus
Fingit, ut uſque oculos hæret defixus in uno?
Unum inhians; tanti quaſi ſentiat hoſpitis ignes.
Tantane tam parvum cohibent incendia pectus?
Illius adſpectu primo ſtupet ipſe Sacerdos,
Magnanimus Carolus, pueri cæleſtia quondam
Plurima miratus dona, & te, Mantua, longe
Felicem ratus, hunc intra tua mœnia Civem
Servantem; ſtupet ipſa Parens, ſtupet ipſe Miniſter,
Et chorus Aligerum jactatis deſuper alis
Proludens, ſacraſque canens pia carmina laudes.
Oh quem te memorem, teneros virtutibus annos
Implentem, exemplar ſenibus, florente juventa.
Non te Regali fulgens clamys ambit amictu,
Non aurum, non gemma micat, ſed pulchrior omni
Ipſe micas gemma; jam quæ mihi vota ſuperſunt

Exemplis me finge tuis; mihi pectoris ignes
Inſpira Puer alme tui; ſenſuſque modeſtos
Dein ſerva, & puram redde omni a labe Juventam:
Sic poterunt Juvenes Ludovicum exemplar habere.

S. Aloyſii in Deum Charitas.

ENceladum eructantem ignes, flammaſque vomentem,
Trinacriæque omnes aſſuetum incendere tractus
Deſinat attonito nimis anxia cernere viſu
Vana ſuperſtitio: novus hic aſſurgit in ignes
Enceladus, ſacraſque eructat pectore flammas.
Aſpicis, ut Lodoix Divino accenſus amore
Evibrat in cælum flagrantior Æthna favillas?
Spiritus æthereis nuper demiſſus ab oris
Hic ille eſt, qui corda rapit, qui pectus adurit;
Ille eſt qui Lodoin primis ſibi legit ab annis.
Ac veluti ſpeciem vicina fluenta propinqui
Littoris accipiunt, viridemque induta colorem
Dulce fluunt, ſervantque fidem, & commercia luco;
Non aliter Lodoix, ſacros, quibus uritur, æſtus
Undique conſpiciens, late circum omnia credit
Æthereis ardere rogis, illum omnia præſens
Numen amare docent; quacumque incedit, amantem
Artificem commendat opus; ſpirabile Numen
Intus agit, creſcuntque parato incendia corde.
Non potis eſt cælo infixam divertere mentem;
Crede mihi, vix tanta homini conceſſa poteſtas,
Sed fuit hic ſacri Ludovico fructus amoris.
A ſuperis revocare animum cum forte jubetur,
Et cupit, & neſcit; cura irrita fallit amorem,
Occurritque locum, præſens ſibi Numen, in omnem.
Unica majorum, quamvis explere laboret
Juſſa, explere nequit Lodoix, velletque parumper

De-

Deliciis caruiſſe ſuis, cumque æſtibus apta
Subtraxiſſe putas alimenta, incendia creſcunt,
Et Numen ſua ſigna dedit, ſua Lumina junxit.
Aſpicis, ut rutilent radiis cæleſtibus ora?
Dum Lodoix clauſo renovat pia vota cubili,
Et cælum alloquitur per amica ſilentia noctis,
Ingeminatque preces, & ſupplex Numen adorat
Pronus humi, genua inflexus, vultuque modeſto?
Quæ cernis ſigna interni ſunt lumina Amoris.

S. Aloyſii Pœnitentia.

TEnella parce, belle Puppe, membrula
Parumper impia ferire dextera;
Quid heu Puer, quid imbre pectus ictuum
Laceſſis! ah tui eſſe ſiſte carnifex.
Rubro cruoris ecce terra flumine
Madeſcit; ipſe ſæviente concitus
Furore pergis; ah tibi cor indue
Benignius; venuſta forma corporis
Male his renidet involuta purpuris.
At heu! rogantis ille verba reſpuens
Ferociente corda lætit impetu;
Ut immerente pulchra membra murice
Rubens Pyropus undequaque veſtiat.
Tenellus ecce Puppulus novo æſtuat
Furoris igne; cernis ut ferociat
Sui obſtinatus author ipſe funeris?
Flagella ponit aſpera, & rudis ſilex
Ferire pectus audet, illa Puppulum
Quatit, flagellat, urget, aſperat, ferit,
Amoris ut favilla corde prodeat,
Ab æſtibus tenella corda temperans.
Regare parco, belle Puppe; ſervias

Furori; acerbus eſto, corda lancina;
Licet cruoris unda largiter ſolo
Fluat, cruore comparabis igneos
Rogos amoris, anxiuſque perpeti
Acuta ſævus adde ligna lectulo;
Locum quietis, & ſalubris otii
Et inde vertis in doloris aream;
Equorum acerba lora, ſtellæ imagines
Utrinque ferreo aſperas acumine,
Canumque vincla; membra quidquid opprimit
Tibi ſeverus undequaque colligis,
Tibique cura ſemper unica eſt pari.

S. Aloyſii Modeſtia.

ERgo ubi Regalem Lodoix conſcenderat aulam,
Quacumque incedit, fidus comitatur Achates
Reginam, quam frontis honos, quam gratia triplex
Interfuſa genis, quam pulchra modeſtia compſit.
Fulgurat ex oculis nitor igneus, atque nivalem
Gratia nativo diſtinguit murice vultum.
Illa ſupercilii majeſtas explicat Irim,
Cæſaries electra refert, & concolor auro
Tortilis unda ſinus, varioſque plicata per orbes
Oſtendit nive conſperſos; vox aurea formæ
Ornamentum addit, madidiſque corallia labris
Exprimit, & niveo criſtallina flumina collo:
Jamque graves auro veſtes, gemmaſque micantes,
Queis Regale caput, queis nobile pectus adornat,
Præteram; tranſmiſſa polo parva aſtra putares,
Et collecta ſimul miris radiare figuris.
Cerne tamen Lodoin; non hæc miracula pectus,
Non oculos rapuere; auguſtaque Principis ora
Suſpiciens nunquam aſpexit, cautiſque negavit

Li-

Libertatem oculis, ne captus imagine formæ
Quod male diſſimulat facies aurata, venenum
Offendat; credas aula incoluiſſe Dianam,
Nympharumque choros, non hic tamen inſcius errat
Actæon; ſed fixa ſolo, ſed tecta modeſto
Lumina præcingit Lodoix velamine; lucet
Majeſtas, lucet gravis ore modeſtia, quamvis
Fulgentes nitida aſtra oculos mira abdat Eclypſis.
Plaudite Regales cœtus, temerarius Idæ
Arbiter exul abeſt, Lodoix dum veſtra frequentat
Limina, non fixo vos lumine pronus adorat
Hypomene, non turba procum mirata decore
Paſcitur, atque oculis ſine lege vagantibus errat.
Nec vos conſociat, qui vos obſervet, Achilles.
Non equidem excelſa plenos dulcedine vultus
Miratur Lodoix; fragilem ſpreviſſe decorem
Cautus amat; majora addam; fidiſſima teſtis
Mater adeſt; quæ nunquam oculos (mirabile dictu)
Vidit Aloyſii; ſimul orta modeſtia crevit
Cum puero, & lateri ſemper comes addita vixit:
Unica cura animi pietas, atque hoſpita virtus
Corde ſedet (cui ſæpe oculis errantibus, inſtant
Prælia, nec raro patitur concuſſa ruinam).
Ille Deum, quem corde tenet, quem mente volutat;
Servat amans; introrſum & cordis ad intima volvit
Lumina, quæ Lodoix curas, mentemque ſequuntur.

S. Aloyſius fructibus abſtinet.

VErnantis arvi cedite munera,
Quæ ſub recurvis pendula brachiis
Emittit arbor; qua recondunt
Neuſtriacos nemora alta montes.
Jucunda terræ cedite germina,
Quæ per latentes abditus irrigat

Humor meatus; perque fibras
Inſinuans alimenta plantis
Irrepit omnes: vos melioribus
Effuſus alto pectore gaudiis
Gonzaga ſpernit; cælitumque
Nectareos bibulo ore ſuccos
Tantum propinat; dilicias amat
Longe petitas; cedite mollia
Jam poma: Gonzagæ palato
Vipereum ſimulata virus.

V. D. JOSEPHUS DE ANCHIETA BRASILIÆ THAUMATURGUS DESCRIBUNTUR ALIQUA ILLIUS GESTA.
V. P. Omnigenum Ferarum domitor.

HEu fuge Sylveſtres, Joſeph, fuge cautior oras,
Te nemorum in tuto, dum licet, abde ſinu.
Armeniæ properant tigres, Libicique leones,
Quæque colunt ſilvas, & juga celſa feræ;
Ah ego ne videam conſpergi ſanguine corpus!
Ne pereas ſubita præda cruenta nece.
Quid tineas! Cum tu domitor, placiduſque ferarum
Arbiter in ſaltus ire, redire potes.
Non fera monſtra times, ſed te fera monſtra timebunt,
Gaudent ad nutus procubuiſſe tuos.
Fallor: cui, Joſeph, poteras inferre timorem?
Nec fera monſtra times, nec fera monſtra timent.
Tam mite ingenium, tam dulce, & amabile prodis,
Ingenita careant ut feritate feræ.
Mitior indomitos ponit fera bellua mores,
Et nova concordis fœdera pacis amat.
Ecce inter medios tener hinnulus emicat urſos,
Ludit cum validis agna tenella lupis.
Non metuit torvas formoſa juvenca Leænas,

Nec

Nec fugit infeſtos territa dama canes.
Læta cohors oblita ſui, te quærit, & ambit,
Nulla quidem patrii ſigna furoris habet.
Curſitat huc, illuc, tibi plaudere ſedula geſtit,
Atque tuos ſupplex procidit ante pedes.
Aſpicis ut facili motu, nutuque loquaci
Aſſiduas ſpargit, quo datur ore, preces!
Poſt teneros mollem cervicem flecti in uſus,
Et blandituro vertice corpus agit.
Pars ſalit ad numeros, choreas pars altera fingit,
Arte putes uti, quamlibet arte caret.
Submittunt trepidi ſurgentia cornua cervi,
Stat Leo diffuſis feſta per ora jubis.
Tangit humum ſupplex demiſſo poplite tigris;
Et Canibus lacrimæ fluminis inſtar eunt.
At niveo pecudi tanta eſt fiducia, ut omnes
Certet in officiis exſuperare feras
Exululat, glocitat, raucat, felit, irrugit, uncat
Urſa, tygris, pardus, cerva, leæna, lupus.
Frendet aper, caurit panthera, & bucula mugit,
Quæque tibi plaudit, qua ſibi voce datur.
Flexilis hydra movet ſinuoſa volumina caudæ,
Et torto varias implicat orbe vias.
Simia multiplicat gyros, motuque jocoſo
Ludit anile movens irrequieta caput.
Ecce greges, armenta, feræ ſimul undique currunt,
Innocuo lambunt quilibet ore manum.
His etenim obſequiis gaudes Anchicta ferarum,
Blandiri geſtu, vocibus, ore, manu.
Sed quantum Joſeph noſtro gaudebis amore,
Si fera blanditiis te capit ipſa ſuis!
Et quantum agreſtes populos manſueſcere coges,
Sponte ſua humanas ſi facis eſſe feras!

Provinciæ Braſilienſis Sociis juſſu V. P. Serpentes non nocent.

EXuit hydra ſuos, procul exuit hydra furores
Queis ſolet incautas furioſa invadere gentes.
Pellite corde metus, vires enervat Joſeph
Anguineas, lethale vomat frigido ore venenum,
Inque orbem ducat facili variabile motu
Corpus, ab innocuo venient fruſtata veneno
Damna, ipſe imprudens quamvis in bella laceſſas.
Exuit hydra ſuos, procul exuit hydra furores.
Forte aliquis placido dum tradit lumina ſomno
Lectum infra dextram applicuit; dextræ obviat ingens
Hydra, ſed ignarus dextrâ tractavit inermi.
Ut tamen agnovit Colubrum tractare malignum
Projicit e manibus formidine plenus acerba.
Ne timeas; poſtquam Joſeph luſtravit agreſtes
Braſiliæ tractus, Socios tutatur JESU,
Monſtrorum crudele genus procul exuit iras,
Exuit hydra ſuos, procul exuit hydra furores!
Vos, o Jeſuadæ, ſilveſtres quærite tractus,
Incultas penetrate plagas, nemora ardua, ſilvas
Fas erit intonſas, atque antra impervia Phœbi
Luſtrare: horrentes angues contemnite, morſus
Vipereos, vim pene ſuam, amiſiſſe venenum
Quis dubitet? quæcunque colit ſtabula alta ferarum
Jeſuadæ aſpectu veluti meminiſſet Joſeph
Exuit hydra ſuos, procul exuit hydra furores.

Aves

Aves juſſu V. P. alarum umbra navigantibus æſtum temperant.

DUm flumen celeri ſecat phaſelo
Joſeph, ut trepidas per alta pennas
Incertoſque choros avem ciere
Suſpexit, volucri innuit, jubetque
Confeſtim ſocios vocare, & umbram
Defeſſis famulam parare nautis.
Cognatam illa gregem per alta Cæli
Sparſum cogere protinus laborat,
Mox notas reſecans vias volantem
Supra naviculam regit cohortem.
Ut pennata cohors flagrare nautas
Phœbea face videt æſtuantes,
His obſequioſa complicatis
Umbram deſuper exhibet ſequacem.
Quæ teſtudine plummea ſagittas
Solis flammivomas ſupra evibratas
Arcebat, trepidaſque pervolantum
Alarum impete concitabat auras.
Joſeph vix comites benigniori
Umbra, & flamine ſublevantur omnes
Non jam promeritas diu volucres
Indulgere gravi ſinens labori
In ſylvas patrias redire juſſit;
Sublataque manu bene his precatur.
Hoc ſigno liquidi ætheris per oras
Ter grato ſimul ambiunt volatu
(Quo Joſeph vehitur) citum phaſelum.
Motu denique concito recedunt,
Hi per littora, proximaſque ſylvas
Vaſto fluminis impete irrigatas;

Hi

Hi qua planitiem jugo ſub alto
Mons late viridi refundit herba
Omnes per fluvium, per arva Joſeph
Quo poſſunt hominis ſonum æmulari
Læto carmine concinunt; propinquus
Collis perſonat, arduæque rupes
Et valles ſimul inſonant profundæ.

V. P. Laudes B. V. in littore Concinantem circundat avicula, ipſique adblanditur.

QUalis dulce ſonans, qua defluit unda ſuſurro
Ad vada Mæandri concinat albus olor,
Quem circum adglomerant dulciſſima turba volucres;
Quas recreant dulces aure bibente ſoni;
Sic tu dum laudes, & facta illuſtra verſas
Parthenis arguto carmine Cygnus eras.
Cygnus eras, Cygnum quæ ſcribis carmina produnt,
Dum tibi ſit baculus penna, papirus humus.
Hinc ambit merito te mobilis incola Cæli,
Et canit indocili gutture dulce melos.
Hic (mihi crede,) fuit, quæ dulce vibriſſat Aedon
Quæ nemoris ſiren Muſa canora loci eſt.
Saltitat huc, illuc; volat huc quoque dulcis Aedon,
Sæpe alternatim fertque, refertque pedes!
Sæpe caput circum modo ludit, & ambit Joſeph,
Lædere ſæpe manus more jocantis amat.
Vellicat ipſa manum, ſed lædere neſcia cuſpis
Pungit, & innocuo vulnere ludit avis.
Sæpe ſinu ſiſtit, gremioque quieſcit amanti,
Hanc cordi Joſeph applicat ipſe ſuo.
Sis Comes oh felix, reſonabilis exprime cantus,
Sis Comes oh nemoris penſilis hoſpes, ait.
Lude benigna libens, qui te modo turbet Aedon

(Quæ

(Quæ noſtri ei requies unica) nullus erit.
Dixit: & illa volans, nunc huc, nunc curſitat illuc,
Sæpe tamen penna remige verrit humum.
Quid mirum o Joſeph, quod amabilis hoſpita ſylvæ
Serviat obſequiis irrequieta tuis?
Cygnus eras. Veneri Cygnus ſacer extitit olim,
Vult ſibi candorem Parthenis ipſa tuum.

V. P. in medio maris refluentis æſtu orat immadidus

ORpheus in ſylvis, inter Delphinas Arion
Braſiliæ Joſeph dicitur eſſe plagis.
Orpheus indomitos dum montibus extrahit Urſos,
Dum monſtra ad voces plurima mulcet erat.
Sic meliore vagi lætantur Arione flctus,
Squammea gens ultro geſtit ad obſequia.
Ah quoties mediis gradientem fluctibus, oras
Vidimus, & ſicco littus adire pede!
Ver erat, & querulis qua leniter effluit undis
Pontus, arenoſos explicuitque ſinus.
Lumina fixus humi, ſed Cælo pectora Joſeph
Fundebat ſummo, vota preceſque Deo
En tacite reptans circumfluit unda, ſinuque
Turgida multiplices fingit utrinque globos.
Aſpiceres niveos hinc inde aſſurgere fluctus,
Semita per medias ſicca patebat aquas.
At Joſeph nec dextra oculos, nec flectere læva
Providus, incœptam pergit ut ante viam.
Officioſa pedes præit unda, & reflua tutum
Sternit iter, lentos lambere viſa pedes.
Jamque iter emenſus deflexo poplite Cælum
Sufpicit, erectas complicat inde manus.
Proh quam purpureus placido rubor innatat ore!

In-

Indicium flammæ corda cremantis erat.
Hinc merito tegitur muralibus abditus undis,
Scilicet in mediis vivat ut ignis aquis.
Illum vix longo grex ſequamifer æquore ſenſit,
Turmatim ad plauſus, qua licet arte, venit.
Multiplices ſinuat nunc penſilis incola giros,
Nunc veluti tentet ludere, verrit aquas.
Piſcibus emotum fervet mare, & hoſpite tanto
Conſcia lætitiæ ſigna dedere ſuæ.
Dum voce alloquitur ſuperos, præſentia tantum
Sufficit ut piſces, ut fera monſtra vocet.

De mortua Simia.

INtulerat greſſum nemora inter agreſtia Joſeph,
Qua paſſim Sylvarum umbræ, qua luſtra ferarum
Terrorem incutiunt; tenui vix tramite lucus
Servat iter, denſoque nigreſcit ſylva receſſu.
Simia forte viam tenet obvia; quaſſat anile
Huc, illuc feſtiva caput, motuque jocoſo
Apta petit Joſeph, petit irrequieta ſodales,
Jamque repente fugit, redit inde ſimillima vento,
Mobilitatis amans jam ſaltitat æquore toto
Dextrorſum volvi facilis, faciliſque revolvi,
Mima ſiniſtrorſum, & variare induſtria gyros.
Cum ſubito medios turbavit funere plauſus
Neſcio quis, flexoque intorſit ſpicula cornu.
Siſte quid inſontem lædis manus impia? ſiſte;
Non bene lætitiæ reſpondent triſtia ſignis
Funera, at humanos doceat te bellua mores.
Sic ſocium, urbana qua præditus indole Joſeph,

Vidit

Vidit ut inflictæ morituram cuſpidis ictu
Procubuiſſe feram, increpuit, vitæque potenti
Redderet imperio, factum miſeratus acerbum.
Sed placuit ludum ſociis dare: Currite, dixit,
Huc ſociæ, quæcunque colit vaga ſimia lucum;
Huc celeri properate gradu, componite funus,
Et quævis ſociæ, ſibi qua licet arte, parentet.
Dixerat: en ſubito properat dæmunculus omni
Plurimus ex luco, mœſtoque ad funera venit
Simius ore parens, fratreſque, & ſimia mater,
Venit avus, venitque atavus, vetulique, novique,
Et conſanguinei quotquot de prole ſuperſtant.
Nec mora; prima tenent vetuli ſubſellia, luctus
Ridiculi de jure duces, ſummique jocoſæ
Magnates pompæ; ſequitur tum cætera pubes,
Quam licet in Campum ſua deferat ocyus ætas,
Sedem ſponte ſua primam ſenioribus offert.
Dat gemitum (humanam credas effingere vocem)
Simius in medio qui præſidet; at ſimul omnes
Extollunt cantus pariter, roncantque, ululantque.
Hinc triſtes queſtus, & triſtia ſigna doloris
Exhibuit jam prima acies, latus inde ſecundum
Quæ tenuit, duplicique alternant ordine queſtus.
Flebilis ex acie geminus concurrit utraque
Simius, & propius cinguntque, moventque cadaver;
Tum, facta in medio cavea, committere tentant
Corpus humo, vacuumque replent tellure ſepulchrum.
Cætera confuſo venit ordine turba, retortis
Unguibus, ora modis feriunt lacrymantia miris;
Jamque inclinata pendent cervice, ſupremum
Dantque vale, modicoque aſpergunt pulvere corpus.
Hinc Joſeph primum proceres, minor inde juventus
Inflexo capite & ſonitu, geſtuque ſalutat
Urbano, ac reduces ſibi nota habitacula quærunt.

D. P.

V. P. furentes Barbarorum impetus non ſemel voce comprimit.

O Quid furenti percitus impetu
Moliris audax? quid fera bellua
Tingis venenatas cruento
Sanguine in exitium ſagittas?
Ah viperino felle nocentius
Depone pectus, quid rabidus furor,
Quid bilis, ultrices quid iræ,
Aut rabies inimica pacis
Atrox movetur? Cernis ut aurea
Joſeph loquella nectare dulcius
Meſos benigno mittit ore
Mellifluoque ſono furentes
Enervat iras? Ecce animis virum
Anchieta ſævis imperat arbiter,
Minæque deſervent, & ultro
Depoſitis viduatur armis
Quæ ſæva quondam barbaries jugis
Ritu ferarum vixerat inviis;
Cui luſtra, & inculto receſſu
Hoſpitium nemora alta præbent.
Ignara cuiquam parcere, belluis
Commune fœdus facta iniit comes
Frequenter humanis rapinis
Paſcitur inſidioſa pubes,
Sed jam furores exuit: indoles
Humana gentes reddita molliit;
Se corda ſubmittunt jubenti
Qua libeat moderanda Joſeph.

Ave

Braſilus pluſquam Centenarius accepto a V. P. baptiſmate ſtatim moritur.

QUos in receſſus aut nemora horridis
Referta dumis invehor? inclytum
Cerno Anchietam, qua profundis
Braſiliæ nova regna ſylvis
Late recurrunt: hic ſenio gravem
Luſtralis undæ flumine perluit
Indum, ſenilis cujus ætas
Neſtoreos ſuperabat annos.
Hinc ad ſupremas Numinis ocyus
Tranavit oras, dum cecidit ſacris
Submerſus undis, ſic merentis
Innocuam ſine labe vitam
Numen rependit; quem pietas polo
Efferre ſolers innocuos Viros
Traducit in cælum volantem
Præpetibus per inane pennis.
I, perge victor; Tartareum pede
Calca Draconem, Mox cape dextera
Victrice palmam, Ancheta plaude
Egregium fidei triumphum.

BIBLIOTECA N.Z. ROMA VITTORIO EMANUELE

V. P. Nicolaus Lanciſius adeo ſe divinæ voluntati conformavit, cum ſcripta ſua amiſit, ut ſpeciali Dei beneficio quidquid quæreret in libris, primo intuitu reperiret.

EPIGRAMMA.

Sæpe aliis doctos opus eſt evolvere libros;
Nam tibi; vix aperis, diſcere cuncta potes.

Idem

Idem anxius de æterna ſalute a SS. Crucifixo certior factus eſt illico poſt mortem in cælum volaturum.

EPIGRAMMA

Incipis æterna felix jam ſorte potiri;
Sorte quidem potior, quæ mihi certa venit.

Gretzeri Triumphus. Ode.

IBis faventi Cælituum Choro
Sol alter ipſo ſole micantior,
Gretzere, profligator Orci
Auſtriacæ decora ampla gentis.
Ibis nitenti nube ſedens ſuper
Per vaſta Cæli, ſub pedibus notos
Terraſque contemnens relictas
Attonitæ novus hoſpes auræ,
Inter micantis fulgura gloriæ
Disjecta linguæ fulmine vindicis
Tot orbe Ditis monſtra pelles
Conſpicua comitante pompa.
Stipata centum fraudibus Hæreſis
Diſciſſa crines unguibus horridis
Duras remordebit catenas,
Et rabido vomet ore flammas.
Tractus ſonanti compede pulverem
Livor dolebit lambere concitum,
Furet retuſis ira telis,
Impietas ſine voce ringet.
Captiva demum clauſerit agmina
Docto flagello cæſa, ſcientiæ
Deformis ignorantia, Orci
Quæ rabidis peragrabat umbris.
Juxta Miniſtra Religio manu
Tuam Coruſco lumine veſtiet

Fron-

Frontem ad venuſtam ſtupentis
Invidiam, opprobriumque ſolis.
Conſperſa gemmis undique fulgidis
Doctrina ſtringet magna volumina,
Nexaſque palmas, & verendum
Laurigeri diadema ſerti.
Gretzere, clamat, quam tua multiplex
In orbe vulgat jam ſapientia;
Cui laurus æternos honores
Hæreſeos peperit triumpho.
Gretzere, dignas cui modo gratias
Tutata ſolvit Jeſuadum manus;
Gretzere, victor, clamat Echo,
Et repetunt cava ſaxa, victor.
Tum vero multis plauſus honoribus
Stipatus auras præpete concitet
Penna, triumphos undequaque
Cæruleum per inane jactet.
Immenſus æther plaudere cantibus,
Nimbumque certat volvere luminis
Errare pulchris aſtra gyris,
Et liquidæ crepitare flammæ.
At tu refuſis nubibus altior
Contingis ipſum jam propius cælum
Sedemque ſupremam Tonantis,
Et nitidum penetrale cernis,
Qua tot paterni ſidera lucida
Cæli renident; illa micantibus
Ornare flammis jam laborant,
Et viridi redimire ſerto.
Io triumpha Jeſuadum decus
Io triumpha; Vive; per hæreſim
Aſcende calcatam; Triumpha
Victor io. Didace, euge victor.

FILIUS MATRI SALUTEM.

P. Balthaſar Mendes de Loyola ex Principe hæreditario Imperii Marrochenſis cum ad Sepulchrum Mahometis inviſendum pergeret a Melitenſi equite captus eſt cum ſexaginta Magnatibus ſuæ Nationis. Puellus nomen JESU & MARIÆ invocavit, neſciens quid diceret; Capilli ſupra pectus perfectam Crucis ſpeciem efformabant; B. V. Maria illi in ſomnis apparuerat, & dixerat; ducam te in locum quo me coles. Tamen adeo tenax erat ſectæ Mahometanæ, ut nec verbum Italicum diſcere voluiſſet, & ſexaginta opuſcula ſcripſerat ad ſocios in Mahometis fide confirmandos, reliqua ad litteram ex Epiſtola patent, ad fidem converſus, quam Matri ſuæ ſcribit.

SIqua tibi juſtos movet anxia cura timores,
Tolle animos; juſti cauſa timoris abeſt.
Exul eram, noſtro doluiſti conſcia fato;
Officium Matris te doluiſſe fuit.
Utque tuo ſemper noſtrum es comitata dolorem,
Nunc precor aſſocia gaudia noſtra tuis.
Forſitam expectes tibi jam prope tempus adeſſe,
Quo genitum poſſis cernere læta tuum.
Forſitan accurrent duplices mea Viſcera natæ,
Quid referat de me littera miſſa, rogent:
An tibi læta ferat, ſeu triſtia nuntia conjux
Inquiret, dubiam ſpeſque, timor premet.
Perlege. quid dulci maculatur epiſtola fletu?
Debuerat plauſu littera noſtra legi.
Si pia nil aliud, quam me dolet exule conjux,
Exilium felix contigit eſſe meum.

Exi-

Exilium fuerat mihi patria, gaudia luctus,
Sceptra veneficium, regia carcer erat.
Dum Pater & conjux, & me pia Mater amabas,
Quod mirere magis, quilibet hoſtis erat.
Optabas longos me vivere Neſtoris annos,
Optabas mortem tunc tamen ipſa meam.
Mens erat, heu demens! Mahometica buſta vereri,
Diſpare, ſed recta ſors dedit ire via.
Nam bene me duxit, qui me malus abſtulit error,
Flectere in Heſperias vela coegit aquas.
Indolui, ignarus quo me mea fata trahebant,
Et caſu comites indoluere meo.
Proditor eſt cordis vultus, manifeſta latentis
Pectoris exterius prodere ſigna ſolet.
Nullus in ore meum legit tamen indice pectus;
In ſociis animi janua vultus erat.
Clarius enituit, quo plus ſimulata latebat
Nobilitas dura neſcia ſorte premi.
Non ego Chriſtiadum, quæ dogmata falſa putavi
Diſcere, ne ſenſim fallerer, auſus eram.
Odimus Auſonias audire, & reddere voces,
Tradita ne Chriſti dogmata voce ferent.
Et nimium cautus mihi noxia cuncta verebar,
Propoſitique tenax in mea damna fui.
Ut colerent ſocii Maurorum Numina ritu,
Cura mihi in tantis hæc erat una malis.
Scripſimus heu! falſæ ter quinque volumina legis,
Pars ea de noſtro quarta labore fuit.
Verba (nec exemplo ſatis eſt docuiſſe) monebant,
Exemplo fuerant utiliora meo.
Rebus in adverſis animuſque, fideſque probatur;
Sat meus adverſa ſorte probatus amor.
Neſcius ah quoties ſeduxi pectora verbis!
Quanta fuit monitu facta ruina meo!

Forte aliquis Chriſti grata dulcedine captus
Diceret, æternum, Maurica turba, vale.
Ipſe revocabam ficta pietate ruentem,
Præſentique aderam, ceu vigil Argus, ope.
Hos etenim exemplum, reverentia moverat illos,
Et falſæ viguit me duce legis amor.
Me tamen invitum mutarunt Numina, dudum
In me cæleſtis perdidit arma favor.
Heu quoties ſurdas obduxi vocibus aures!
Quam ſero heu noſtri cognita cauſa mali!
Quatuor, Heu! (totidem poſt luſtra) peregimus annos!
Viximus heu! ſi ſic vivere vita fuit.
Ah memini ingratas conantem avertere curas
Me Chriſti ad leges, & ſacra jura rapi.
Quod ſemper renui noviſſe, ignarus amabam,
Præſcia venturi mens mihi ſæpe fuit.
Cælicolis quam pulchra ſolet, quam grata videri,
Virgo Parens inter ſomnia viſa mihi
Cæſaries velut electrum, ſeu concolor auro,
Cæleſtes oculi ſideris inſtar erant;
Lilia mixta roſis referentia vidimus ora,
Et roſeo dulces ore referre ſonos
At quamvis (nimium ne credulus ipſe viderer)
Somnia conjeci vana carere fide,
Viſa ſemel nunquam de pectore ceſſit imago
Viſa ſemel pectus digna movere meum.
Somnia quid referam quæ me repetita monebant
Romanum pulſo crimine dogma ſequi.
Attamen in ſomnis nil ponderis eſſe putavi,
Erubui ſomnis quod foret ulla fides.
Oh ſi præteritos revocarem attentius annos;
Quanta fides ſomnis nunc adhibenda foret!
Oh ſi præteritæ revocarem exordia vitæ,
Jam tuus ante libens aſſecla, Chriſte, forem!

Hoc

Hoc natura Crucis ſignavit imagine pectus,
Crux, ubi cor ſedes regnat amoris, ineſt.
Quod caſu eveniſſe olim te ſæpe recordor
Dicere, at hæc Cæli ſigna vocantis erant.
Et tuus Alma Parens, tuus aſſecla, dulcis JESU
E cælo aſpicerem ſi data ſigna, forem.
Scilicet ignarus certas componere voces,
Cum vitæ in primo limine curſus erat.
Tunc ego tunc Mariæ, tunc nomen amabile JESU
Protuleram, a Superis more rogantis opem.
Teſtis eras mirata; dolens quod parvulus infans
Non ante auditos proderet ore ſonos.
Quæ te, Belle, inquis, quæ te dementia cœpit,
Talia quis puerum verba docere poteſt,
Semper ades, jamque amplexus, jamque oſcula libas;
Semper ades gremio ſarcina grata meo.
Nec ſine me poteras nomen didiciſſe nefandum,
Nec paterer tales te didiciſſe ſonos.
Teque prius paterer vocis privarier uſu,
Ingratis uti quam male nominibus.
Hæc tu: noſtra tamen (ſi mens non læva fuiſſet)
Verba inter plauſus excipienda forent.
Debueras clarum venerari in vocibus omen,
Nempe magiſterium Numinis illud erat.
Numen enim primis me ſæpe vocavit ab annis;
Meque vocante tamen Numine, ſurdus eram.
Oh Italas puerum ſi me quis ferret in oras,
Deditus a puero jam tibi Chriſte forem!
Cur ego, cur miſeris jacui tumulatus in umbris;
Heu miſer æterna nocte premendus eram.
Nec ſatis Auſoniæ portus intrare ſalubres,
Hic ego naufragii ſtultus amator eram.
Sola quidem ad charam mihi cura redire parentem;
Cernere me reducem cura Parentis erat;

Ut genito amiſſo ſua damna reſarciat, aurum
Obtulit, officio pondus inane ſuo.
Summa fuit pluſquam vellet ſcelerata cupido,
Sed libertati nil valitura meæ.
Dura quidem ſenſit forſan mea pectora Numen,
Conſilium voluit diſſimulare ſuum.
Aſpice ut in præſens ſua diſtulit omnia tempus,
Me pretio ut reparet ſanguinis ipſe ſui.
Crede: meum pretio nunquam reparabile damnum,
Ni daret in pretium ſe mihi Numen, erat.
Credideram infelix mihi fata adverſa, quod ipſi
Fortuna in patriam læva negaret iter.
Quævis ſumma aliis ſed non mihi profuit ulla,
Pauperior reliquis quod mage dives eram.
Fallitur heu! nimium nocituro credulus auro,
Non bene divitiis eſt adhibenda fides.
Non tamen hæc fuerat ſolertia cauta, nec illæ
Humanæ fraudes ambitionis erant.
Filius ipſe Dei mortali corpore natus
Jam pridem voluit me numerare ſuis.
Et mihi ni duro mens marmore durior eſſet,
Mens tibi jam pridem dedita, Chriſte, foret.
Numinis illa fuit ſolertia cauta, mederi
Ut poſſet morbo tam mora lenta meo.
Ecce negat ſolitos anni penuria fructus,
Auſonias tabes inficit atra plagas.
Jam tabes, ſed tabe fames violentior inſtat:
Utraque ſoliciti cauſa timoris erat.
Præſtabo Auſoniis alimenta ſalubria, dixi,
Quæ vehet e patrio navis onuſta penu;
Scis bene, quam ſtabili ſanximus fœdera pacto;
Quam libertatis largus amore fui.
Et ſcio, quam vigili rata fœdera ſolvis amore,
Quam cito fert pactas plurima navis opes.

Cum-

Cumque fame tabes Latiis procul exulat oris;
Et fuerat pretium publica vita meum.
Expectata dies, qua non mihi clarior ulla
Illuxit, votis unica meta meis.
Charta mihi ſubſcripta manu, ſignata ſigillo;
E portu liber qua licet ire, datur;
Subſcriptum chartæ nomen vidiſſe recordor,
Miratus comptas judicis eſſe notas.
Dum celer accedens ſociiſque, ratique propinquo,
Plurima lætitiæ ſigna dedere ſuæ.
Pars euge exclamat repetitoque euge ſalutat,
Victorio, reſonant æquora victorio.
Lintea per tremulas pars candida ventilat auras,
Pars digitis crepitat, pars movet arte pedes.
Sed tu chara parens (merito ſi credis amori,)
Lætitiæ extiteras maxima cauſa meæ.
Inque animo veſtrum (mea dulcia pignora, dulcis
Et Pater, & conjux) gaudia movit amor.
At (dixiſſe pudet) tot egent mea pectora monſtris,
Vix ea cor poſſunt flectere monſtra meum.
Me chartæ indicio jam littoris arbiter ultro
Amplexus ſummum datque, rogatque vale.
At latuere oculis, quæ nomina vidimus ante
Nomina ſeu chartæ ſigna datura fidem.
Credere quis poſſet? vaga lumina volvimus: albet
Quo nuper fuerant nomina ſcripta, locus.
Vocibus adde fidem, nuper vidiſſe recordor
Nomina, clamavi, vocibus adde fidem.
Nuper ego vidi nomen, chartamque notavi;
Si qua fides oculis eſt adhibenda meis.
Si tamen ulla fides oculis adhibenda, fatebor,
Quæ nuper vidi nomina ſcripta, latent.
Quis poterit motus animi, triſteſque procellas
Promere, non verbis promitur ille dolor.

Indolui vixiſſe; prius mihi cognita nunquam
Ad ſtygios chartam devovet ira lacus.
Inducto volui transfigere pectora ferro,
Advolvi in rapidas ceu moriturus aquas;
Neſcius inde mei peregrina in tecta revertor;
Nomina tum rurſus quæ, latuere, patent.
At jam clauſus erat, via navibus unica, portus,
Expectatanda pigro lux reditura gradu.
At quam mœſta mihi, quam nox æterna! dolores
Conjice de noſtro Mater amore meos.
Lumina compoſui ſeros captantia ſomnos,
Siqua meum potuit pectus habere quies.
Prodigioſa quies, & tempeſtiva medellam
Sola quidem morbo contulit illa meo.
Vidimus oceanum circum minitantibus undis,
Nec niſi commoti ſigna furoris erant.
Hic ego luctatus cum gurgite littora quæro,
Sævius at ſævo gurgite littus erat.
Undique littus habet metuenda incendia: flammis
Seu periturus eram, ſive ſepultus aquis.
Conjurata meæ cernens elementa ruinæ
Omnigena dolui funditus arte premi.
Ludibrium pelagi jam ſponte vehebar ad ignes,
Nunc flammam effugiens præda vehebar aquis.
Vivere mors repetita mihi, moriamur oportet,
Hæc eſt ſola quidem tot medicina malis.
Ecce repente Senex læto venerabilis ore,
Opportunus opem (dum loquor iſta) tulit.
Eripit ad tutas mediis e fluctibus oras;
Exulat ex animo, qui fuit ante timor.
Quis foret, expoſco: quo nomine notus, & ortu;
Ille mihi tales edidit ore ſonos.
Te velut oceanus Mahometica jura volutant,
Littus, quo miſere volveris, orcus erit.

Janua

Janua ſum fidei; quot ego luſtralibus undis
Abluo, ſecurum monſtro ſalutis iter.
Hos de ſubſidio fructus tibi collige noſtro,
Hos tibi de noſtra collige doctus ope
Dixerat; excuſſo redeunt in pectora ſomno,
Curarum monſtris excita turba novis.
Quid moror: & ſuperis ſurduſque, tenaxque repugno?
Tot jam prodigiis cedere tempus adeſt.
Tempus adeſt tandem infandæ maledicere legi,
Chriſtiadumque ſequi dogmata tempus adeſt.
Voce incompoſita ſic me tota urbe vagari
Cogit amor, vitæ præteritæque dolor.
Me furias agitare putant, ſociiſque laborant
Reddere; fit variis clamor utrinque minis.
Cor ferro petiere truces, cum ſeria noſcunt
Senſa animi, oderunt quem reverenter amant.
Subtrahor, & ſociis doleo caruiſſe relictis,
Mecum infelici ut ſorte libenter erant.
Hæc tu, ni mentem gravis occupet ira, probabis,
Cauſa ſub arbitrio traditur iſta tuo.
Et cupias nos forte ſequi, vaſtumque procellis
Effugere oceanum caſibus uſa meis.
Effuge, dumque viam qua ſit tibi Mater eundum
Mente agitas, cœptis annue blanda piis.
Nec mirere vetus genitum obliveſcere nomen,
Et duplici Hiſpanos voce referre viros;
Alter in immota victor me claſſe recepit,
Quem volui exemplar moribus, alter erit.
Miles ut ille fuit, cœlo quod militet agmen
Collegit, miris inſtituitque modis.
Et me ſpero equidem videas ſua caſtra ſequutum
Mille per infidas ferre trophæa plagas.
Plurima dum meditor tibi ſcribere lentius, iſta
Excipe; quoque ſoles mater amore, lege.

Igna-

Ignatius Carriga S. Stanislai Koſtkæ Effigies.

IGnatium Koſtkæ effigiem, matura Puelli
Tempora, ſurgentis jam primo a limine vitæ,
Obluctante Erebo, claris aſſueta triumphis
Miramur; da Koska tuos in carmine mores
Exprimere, ut gratam referat tibi muſa figuram.
Non eadem tamen Ignatius ſibi tela parari
Senſit, at inſidias parili virtute fefellit.
Non fratris durum imperium, ſævique furores
Pectora concuſſere, Atavis non regibus orta
Nobilitas, vitæque breves fallacis honores
Allexere animum, aut veterum decora alta Parentum.
Nec ſylvarum aditus, & tædia longa viarum
Ignatio ſuperanda, aut ſeſe plena minarum
Objecere oculis fera monſtra; hæc vicerat olim
Koska; novas artes, nova pectore rector averni
Conſilia evolvit; nova mente pericula verſat.
Mille nocendi artes, & funera mille parantur
Ignatio, ſed mille artes, & funera mille
Contemnet, ſpretoque evadet victor ab hoſte.
Viderat inferna dirus regnator ab aula
Ignibus ardentem æthereis, & præcoce flamma
Corde rogos, Ætnamque imis ſpirare medullis
Ignatium, teneræ videt orſa ingentia vitæ
Primitias magnorum operum; ſpem creſcere meſſis
Virtuti, & cladis præſagia certa futuræ
Prætimuit, jamque invidia ſtimulatus, & ira
Hæc ſecum; tantas ne ſinam increbeſcere flammas,
Atque alimenta moram trahere? exitiale tot inter
Non mihi ſuſpectum eſt flamma adoleſcere fulmen
In noſtrum exitium, & totum quod perdat Avernum?
Ulterius patiar noſtram ſuccreſcere cladem

Im-

Impune? At dudum divina exorſa notavi
Majoreſque ætate animos: fatalia nobis
Non niſi magnum aliquod promittunt ſigna; notavi
Ultra ipſos pietatem animos, ſortemque Puelli.
Servavi lacrimas, quæ pectoris ignibus actæ
Portendunt Erebo cladem, certamque ruinam.
Ah timeo Ignatium, non immemor ipſe ruinæ
Antiquæ; mihi neſcio quid fatale minarum
Nomen habet; timeo flammas vel voce ferentem.
Flamma extinguatur potius, noſtrumque timorem
Suffocet in cunis ignem mea cura; peribit
Dum tenerum eſt, damnum; nec vires ſumet eundo.
Sic fatus mortem, & Parcarum Numina Pluto
Ad ſeſe jubet acciri; dehinc talia fatur.

Eia agite o nimium noſtris intenta ſororum
Turba miniſteriis; venturum ſigna videmus
Exitium latura Erebo; mihi noxius olim
Vir latet in Puero; naſcentem excerpere florem
Maturos quondam fructus ne proferat orbi.
Tempus adeſt, Puero unanimes abrumpite Parcæ
Stamina, ne certo vinci patiamur ab hoſte.
Ipſa tuam, mors, confer opem, quod rector Averni
Commendat; facinus (ſiquid mea juſſa capeſſis;)
Sancitum exequere; & primæva abſcinde juventa
Infamem juvenem, ſaltem hoc certamine victus
Et noſtrum imperium, atque ultrices perferat iras.
Dixerat horrendum ſtridens, juſſuque ſuperbo
Annuit; & totum nutu tremefecit avernum.

Nec mora, nec requies; ternæ peragenda ſorores
Conſenſu unanimi commendant funera morti;
Illa operi ſeſe accingit, jam falce recurva,
Et notis inſtructa armis, accedit ad urbem
Qua forte Ignatius dubiis male creditus undis
Remorum auxilio, ventiſque ferentibus uſus

Vela

Vela dabat; celeri ſpatiatus flumine pinu.
Tum ventorum acies viſo mors læta Puello
Concitat; atra dies imitantia pallia noctem
Induit, ac moto bacchantur gurgite fluctus.
Tum ſeſe in medio mors turbinis ingerit æſtu,
Et rapit infantem, raptumque ad flumina trudit.
Sed Puer excipitur placidis reverenter ab undis,
Namque obdurantur fluctus, & pontis ad inſtar
Conſiſtunt; firmo ſumma levis innatat unda
Inceſſu, celeres nec tangit in æquore plantas,
Inde redux, tutuſque optatæ inſedit arenæ.
Erubuit vitaſſe aſtus & neſcia falli
Conſilia Ignatium, Puero vincemur ab uno?
Tacta dolore gravi mors dira in corde volutat:
Sunt equidem tentanda mihi, quæ plurima reſtant
Inſtrumenta necis; graviora pericula quæram.
Vix ea: forte Puer ſummæ ad faſtigia turris
Viſcendi excitus ſtudio conſcenderat: ecce
Confuſam eripuit mentem, ſubitoque pavore
Turbatam dedit in præceps mors impia, duras
Caſuro latebras, præruptaque viſcera ſaxi
Straverat in thalamum; tamen ecce ingentia ſaxa
Duritiem poſuere, & ſævum oblita rigorem
Molleſcunt, blanda excipiunt ceu ſtrata ruentem:
Deſperata ſuas quidquam tentare per artes
Mors campo exceſſit; caſſo indignata furore
Coccyti ſtagna alta petit, timidoque rubore
Plutonis fugit aſpectum: quod prælia tentet
Irrita, quod vires nequeat ſuperare Puelli.
Quin etiam infernis parat exitioſa maniplis
Prælia Jeſuadumque adſcribit nomina caſtris
Ignatius; capit inde novas in pectore vires
Exitium venturum Erebo, clademque minantes.
Non tulit hæc Pluto, ſummaſque accenſus in iras
In-

Infremuit: ceu quando ducem ad certamina Princeps
Miſit, hic invitos tela irrita geſſit in hoſtes,
Tum Libitina modum, & ſecum deliberat artes
Perdendi tandem Pueri: dudumque volutat
Anxia; ſollicitæ ſuccurrunt plurima menti
Conſilia; hæc inter placuit magis omnibus unum:
Nil noſtræ valuere artes, tela irrita ſumpſi;
Quæ Puer irridet; modo commutemus amore
Tela, inquit, cedat Garriga libenter amori.
Qua lenis volitat per aprica Favonius arva,
Ver ubi perpetuum, cæloque afflata ſecundo
Germina vernanti ſemper florentia cultu;
Hic florum ſtudioſus amor per prata jocatur,
Lunatoſque arcus, & ſpicula floribus ornat,
Spicula dant gratos, dat florida cuſpis odores.
Sæpe etiam, violas ubi mollis amaracus ambit,
Procumbit, ſomno indulgens; clauduntur ocelli,
Halitus ore venit roſeo; ſtant lilia circum;
Alba liguſtra pluunt Zephyri; qui dulce fluentes
Demulcent tepido puerilia membra ſuſurro,
Huc veniens Libitina, videt qua plurima frondis
Umbra coit, ſalices inter, radiantia amoris
Tela; moræ impatiens pedetentim accedit ad umbram;
Spiculaque ætherei vix ſuffuratur amoris,
Læta abiit furto, atque aſſuetum his vincier armis
Uſa dolo, Ignatium tumulo ſpeculatur ab alto:
Ut vidit ſacro ſuccenſum pectus amore,
Cur inquit mea tela fugis? Quid ſpicula rides
Noſtra ſagax? huc verte gradus, huc dirige greſſum;
Huc, periture, veni; potuiſti illudere mortem
Sæpe; ſed has poteris, moriture, evadere vires?
Dixit, & aurata volucrem furibunda ſagittam
Deprompſit pharetra, cornuque infenſa tetendit,
Et duxit longe, donec lunatus in orbem

Ar-

Arcus utrinque coit; telum præſentit amoris
Victima, non ignara doli: jam prodiga lucis
Sponte cadit, vitamque optato in vulnere ponit.
Audiit hæc ſacratus Amor, miratus adepta
Palma exultantem Libitinam, ac vana tumentem
Subridens, fruſtra tibi, mors, adſcribere tentas
Prædam, inquit; non illa tuis, ſed debita telis
Jure meis: ſolum his potuit cecidiſſe ſub armis.
Nec mora: Garrigæ effigiem, qua regia primos
Explicat ingreſſus, ſtatuit depingere; primum
Tentamentum operi deſignat; & arte tabellam
Expolit: ecce tamen dum ſacram animare laborat
Tyronis ſpeciem, veroſque in imagine vultus
Exprimere, haud deluſa manus ſub imagine Koskam
Extulerat; dubiamque refert pictura figuram.
Ter conatus erat Juvenis depingere vultus
Ter Koskam pinxere manus; abſiſtit, & hæret
Incœpto miratus amor; nec fallere dextram
Agnoſcit grato deceptam errore, ſed illum
Felici augurio tribuendum; ut ſingula Koskam
Sæcla ſuum plauſu, lætoque celeuſmate jactent.
Ambo pares, ambo primævæ in flore juventæ
Formidandi Erebo, patriis virtutibus ambo
Inſtructi, ſupra ætatem bella aſpera turmis
Tartareis, fruſtra Dite obluctante, minantur.
Quilibet ætherei telis cadit hoſtia amoris
Jeſuadum adſcriptus caſtris; hæc ſcilicet una
Deerat adhuc Garrigæ, & deerat gloria Koskæ.
Ergo tolle animos, ſemper tibi certa perennat
Gloria, Jeſuadum manus inclyta; non tibi lethum
Abripit Heroas; moriente renaſcitur uno
Alter, ab interitu ſurgit Phænicis ad inſtar
Heroum ſeries, ſæclis renovata duobus;
Atque alios alii ventura in ſæcla ſequentur.

At

At tibi, Dius amor, decorabit plurimus aras,
Koſtka, tuas; non effigiem duplicabis; at ipſa
Multiplici titulo Koſtkæ exornetur imago.

Epiſtola V. P. Spinola in Japponia. Ex Carcere.

Laudimur, o Socii, felici Carceris umbra;
Sed non ad ſuperas eſt via clauſa plagas.
Mille manus vinclis potuit vincire ſatelles,
Attamen hic animus vincula nulla timet.
In nos tota ruit rabies furibunda Tyranni,
In nos pœnarum tota procella ruit.
Arma furorque fremunt; in nos armatur Erimnis,
In nos armatur ſævior ira ſtygis.
Hæc, & plura feram, ſed nunquam pronus ad aras
Incendam falſis thurea dona Diis.
Ante precor ruptæ nos terræ condat hiatus,
Et feriant noſtrum fulmina mille caput,
Quam violem te, ſacra fides, victuſque timore
Suſtineam Dominum deſeruiſſe meum.
In venis quidquid ſupereſt mihi ſanguinis, hauri,
Lictor, chara mage eſt ſanguine Dia fides.
Eſt tanti mihi poſſe mori, nil dulcius unquam
Aut dedit, aut nobis patria terra dabit.
Parce, Tyranne, minis, quod tu minitaris, amamus:
Mors fuit hæc nobis primus, & unus amor.
Si terrere cupis, vitam minitare, Tyranne,
Hoc ſolum nobis quo timearis habes.
Odiſti, mihi ſi parcis; ſi parcere neſcis,
Hoſtis; ſed nobis hoſtis amicus eris.
Si placet inſolitos igitur minitare dolores,
Suppliciique novos in mea fata modos.
Effundat vires omnes, omnemque furorem
In cladem rabies inſatiata meam.

Ipſa

Ipſa tibi Alecto, ſua commodet arma Megæra;
Vincam, Tartareus quæ dedit arma furor.
Omnia fracta cadent noſtro de pectore tela,
Ut fracta ad ſcopulos æquoris unda cadit.
Dia fides creſcet mediis interrita pœnis,
Humanis quidquam eſt grandius illa malis.
State animis, chari quos ætheris axe ſodales.
Aſpicit aſpectu, quo beat aſtra, Deus.
Aſpicit, & noſtros etiam beat ille labores.
Spectatore Deo, pœna, dolorque placent,
Quin animis addit non expugnabile robur,
Et nos impavidos, dum jubet eſſe, facit.
Exemplo jubet ipſe ſuo nos vincere mortem,
Dat vires, firmat pectora, præſtat opem.
Lictor age, & noſtrum properes haurire liquorem,
Creſcat, ſi poſit creſcere, dira ſitis.
Rumpe moras totus noſtro de pectore ſanguis
Non expugnati teſtis amoris erit.
Quam felix noſtri fiet jactura cruoris,
Quot nobis lauros ſanguinis imber alit!
Tot creſcent palmæ, quot guttæ ſanguinis ibunt;
Venalis pretio eſt ſanguinis ipſe potus.
Quin foret eximius vel guttula ſola triumphus;
Quam felix, largo ſi fluat imbre cruor.
Lictor, age, abrumpas repetito vulnere vitam,
Cum magno vitæ fœnore, funus erit.

Doleo amiſiſſe quæ ad V. P. Ignatium de Azevedo, Joannem de Britto, Franciſcum Suarium, Bobolam & alios forte minus inculta ſpectabant; de quatuor Martyribus & de Cl. viro Card. Cienfuegos mentionem fecimus cum Provincialis ſcholam noſtram invi ſit; tres hujuſmodi recitationes ſubjungo prima anno 1736. cum Ulyſipone prima rudimenta grammatices puellulos docuiſſem, ſecunda ibidem anno 1738. in claſſe Humanita-

tatis, tertia Elboræ anno 1740. *In Rethorices Paleſtra.*

NOM. DUO, DUÆ, DUO. Ex Emman.

Luſitanæ Provinciæ Moderator digniſſimus, Religioſiſſimus, Collegii Rector admodum Colendus, Gymniſiarcha Integerrimus, Patres graviſſimi, Hoſpites humaniſſimi.

EA profecto eſt teneræ juventutis imbecillitas, ut non tantum ardua, ſed quidquid ſole clarius per ſe patet, enucleandos difficultatum nodos, ut pote difficillimos arbitrentur; nodum enim in ſcirpo figunt inexpertæ mentes, grammaticeſque veſtibulum ſubeuntes, offendunt in plano. AA. Hoc in cauſa eſt ut non ſolum oculorum teſtimonio, ſed aurium indigeant adjumento; & firmius irritant animos demiſſa per aures, quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus. Quæ enim brevi temporis diſpendio, clariſſimoque artis indicio poſſent intuentes adnotare, mihi ſæpe diſcutienda proponunt: Sæpe hinc inde ſurgit e medio Puellulus ſciſcitaturque impatiens an habeat *vel* quicumque in Vocativo, in Ablativo *quis vel qui* & ſexcenta, quæ patienti magiſtro tumultuatim afferunt decernenda? Siquis tamen inter ea Verba *iverunt*, ac *fuerant* luſitane redita diſcrimen audeat indagare, hic optimus audit, ac vel imperatoria ſede fruitur, vel inter primates locum obtinet. Ne vero multus fiam, & ſingulos quibus puerorum mentes exerrant, percurram ambitus, nominis Duo quod modo occurrit explicationem arripiam. Sed quo penicillo ejus naturam infantium oculis me delineare arbitramini? Detraham-

ne, quod inter defectiva nomina ſingularis indigentiam patiatur; vel quod a communi via, ut pote Anomalum aberret? Hinc laudis Argumentum; immenſam enim adjectivorum ſeriem varietate exornat; de nobiliſſimo Cardinalium genere gloriatur, in quo ſi primas non obtinet, ſequenti loco impune fruitur; etenim ubi primus, ibi Duo: eſtque genus triplex dictum eſt a cardine primus, ſint exempla, unus, duo; ſimplicium independentia ſuperbit, ſed non adeo ſibi conſtat, ut mobile nominari detrectet: flectiturque, ubi caſus poſtulat, aut genus; In hoc tamen ſingulare nomen obſignabis, quod non ſolum maſculinum genus in o deſinat: Si duo præterea tales Idæa tuliſſet terra viros: ſed etiam neutrum - Duo fulmina belli - abſit tamen ab hac tyronum paleſtra tam ambitioſa explicandi norma; puerilibus enim verbis uti cogor, ut puerili me ingenio accommodem. Ad oculum patet nomen *duo* ſingulari numero carere; hoc tamen relicta ambage nude explico, & in illo ſingularem deſiderari inceſſanter inclamo. At ne veſtra, quæ huc vos appulit, benevolentia abutar, per vos liceat a comuni, qua uſi ſumus, methodo aliquanti ſper deflectere; non enim ab inſtituto meo alienum arbitror, faſtidium, quod iis ineptiis concipitis, declinare.
NOM. DUO, DUÆ, DUO, Gen. Duorum, Duarum, Duorum.

Mecum ipſe dubia mente verſabar qua urbanitate, mentiſque lenocinio humaniſſimos hoſpites exciperem: Sed mihi fortuito per otium ſcribenti ſeſe obtulit occaſio: Nomen duo chartæ mandabam, cum improviſo calami ductu mihi tempeſtiva elemento: rum tranſmutatio viam, qua progrederer, expoſuit- Cum enim programma ſcriberem:

No-

Nomen duo arte applicatum, & arte explicatum
Sic converti:
Ecce extant pulpita: optime ornatum laudarem

ECce, hoſpites humaniſſimi, neſcio quo pacto reperi potius, quam inveni hodiernæ actionis argumentum; dumque alii Minervæ ſuæ ſcopum a tabellariis emendicant, vobis modo afferam, quod hiſce oculis egomet vidi: veſtroſque modo ad pulpita, quibus templi noſtri latera mirifice condecorantur, oculos parumper advolvite. Et licet duo quidquid videtis ſingulare eſt: hic nempe *duo* ſingulare fecit ars inſolita, & prorſus nova. Opus extollite, & ſi novitate plenum nil aliud antiquius; æmulabantur utrimque pulpita, mutuo vincunt, neutrum vincitur: diſlitebatur alterum quod primas raperet, ſed ne ſingulare eſſet alterum feſtinavit. At vel ſic ſingulare manſit, extitit enim par nobile, nec ſimilia toto orbe invenietis, niſi *duo*: Ars in utroque mira, vel quod ſingulariter invenit, vel quod apprime imitata eſt. In hoc mirabilis, quod gloriam primo comparatam, quin auferret, ad ſecundum derivaſſet.

Quid tamen laude complecti laboro; Quod omnem ſuperat; quodque (licet brevibus ædium terminis circumſcribitur) per univerſas terrarum oras fama defert? Quidquid enim vel Phrygia depinxit acus, vel Apellis ad vivum expreſſit manus, nec varietate colorum, nec imaginum fictione, nec cælaturæ elegantia cum hoc opere conferri poteſt. Eo tamen gloriæ diſcrimen innuitur, quo magis obſtantis marmoris durities renitebatur. At ſi præclariſſimorum virorum artificia ad nos tantum per famam dimanarunt, opus hoc non fictile, non

tenui lino, ſed ære, ſed marmore exaratum ſæculorum omnium injuriam vendicabit, famamque, quæ temporis diuturnitate incertæ fidei rea eſt, clariſſimo cõprobabit teſtimonio. Utque ipſe communes omnium plauſus, ac admirationem proſequar, anagrammata, quæ per otium confeci, per vos liceat adnotare. In iis ſiquidem ampliſſima pulpitis aptantur præconia: Eaſdem litteras in utroque percuram, teſtabunturque ipſæ, quod ſedem poſſint variare, non laudem.

Primum eſt:

Aſpicies hæc duo pulpita ex lucido cumulatim marmore, heroice, & multum elaborato conſtructa.
Quod ſi diphtongus, ut lex permittit, diſſolvatur, ita pure invertitur.

Ecce opus jam late adeſt, jam lucet pulchro expolitum ordine ac octavum theatro Orbis miraculum.

Quod clarius hoc modo explanavi.

Barbara Pyramidum ſileat Miracula Memphis,
Nec Babylon muros jactitet alta ſuos.
Nec modo jam ſeptem vaga fama recenſeat orbe
Prodigia, en primas pulpita noſtra ferent.
Comptior ars artem, ductaſque ex marmore moles,
Hoc noſtrum, plauſu judice, vincit opus.
Attamen octavum, (tot habent miracula nomen)
Ordine ſi tantum dinumeremus, erit.
Et liceat numerare, ut conferat omnibus unum,
Unum ut pro multis fama loquatur opus.

Ad ſecundum anagramma epigraphen ſic inveni:

Ecce optima pulpita pervides; hæc cura mentes ſaturat.
Quod pure ſonat.
Opus pietate acuratum, & pulchre emicans ſe prædicat.
Quod ita expendi.

Quid ſacra Roma ſuas, quid pulchra Neapolis effert,

Quid

Quid moles effert Gallia culta ſuas?
Lyſia jam vincit; nam condita ſurgit in altum
Machina, nec faſtu, nec pietate Minor.
Jeſuadum in templo duo pulpita comptius adſtant;
Non aliud, niſi ſe, cui ſimilentur habent.
Sunt duo: cum reliquis nequeant conferrier, inter
Se tantum hæc moles æmula ſemper erit.
Æmula ſi qua pares moles cupit altera plauſus,
Seſe ipſam hæc nulli prædicat eſſe parem.

Ne tamen per ambages immoremur, nudis verbis, ac ſine ornatu, quod maximis in rebus præcipua laudandi forma eſt, opus hoc Muſa Epica jam deſcribet.

QUiſquis es: excelſo ſeu te ſublimia tractu
Alliciunt opera, aut mira feliciter arte
Conſtructa attentos rapiunt Miracula ſenſus,
Huc avidos, huc flecte oculos, mirabere Moles
Cælum affectantes, alto velut aſtra petentes
Vertice. Magnifico ſurgunt extructa paratu
Pulpita, ſublimem jactantia pulpita faſtum.
Mole reſiſtentes, & duci in templa negantes,
Quas Linæ occludunt montes, quas Gallica tellus
Jactitat undoſas rubicunda aſpergine cautes,
Et quæ per latios albeſcunt marmora tractus,
Marmoraque aurato, aut nigro illuſtrata colore
Undique confluxere, latuſque exornat utrumque
Divitiis natura ſuis; quas arte Magiſtra
Perpoliit labor, ac multo ſaxa aſpera lævat
Pumice, cryſtallum referentia ſaxa nitore.
Aſpice quam vario diſtinctum marmore marmor
Nativas oſtentet opes, proprioque niteſcat
Undique fulgore, atque inſperſa coloribus ornet
Pulpita conſpicuis, miro ordine compta ſuperbit
Machina, & attonitos rapit ad ſpectacula viſus.

Singula prodigium, & templi decora alta notabis,
Si placet huc oculos modo flectere, ſeu juvat ipſos
Perluſtrare aditus, flexu ſinuoſa refulget
Urna capax, quam mille ſacris variata figuris
Marmora, quam triplici ex facie ſimulacra Deorum,
Alatique ornant juvenes, pars grandibus hæret
Inſita marmoribus, pars altera corpore toto,
Elataque manu procul exilit, altera dulces
Explicat amplexus, atque oſcula dulcia figit.
Cernis ut immineat quaſi Pyramis ordine verſo,
Pendeat & niveum nigro de marmore Marmor?
Sanguineo inſequitur rupes ſuffuſa colore,
Ac velut erubuit, quod non magis addat honori
Tanto operi, aut urnam pretioſo interplicat oſtro
Ornamentum ingens, majeſtatiſque decoræ
Indicium; novus ordo micat, nam faſcia circum
Albeſcit, ſimileſque iterant repetita colores.
Marmora, & alternis variant ſplendoribus urnam.
Hanc ſuper in varios pulchro cælamine gyros
Criſpantur, læveſque pari ſtant ordine rupes,
Atque operis latus exornant; Atlantis ad inſtar
Tectum ingens dorſo excipiunt, dehinc aurea nodo
Junguntur que, caduntque habili tentoria flexu.
Attamen hæc artis laus eſt, & gloria major,
Quod ſuper impoſitum non excipientia corpus
Marmora ſubſiſtant, nam cuilibet inſita ſaxo
Saxum ſupra hærens longo trabs ferrea gyro
Suſtinet, ut nulla ſubjectum mole gravetur.
Sic mire coeunt, & pondere quælibet extant
Huc illuc librata ſuo; vel inania credas
Mole ſua, ponduſque oculto Numine Divum
Marmora depoſuiſſe; haud talis in arte poteſtas!
Poſtremo ut ſeſe majeſtas prodeat, alto
Vertice, mille inter conſperſas icone rupes

Scu-

Scuta vides, mirum artis opus, capita ardua circum
Irradiat nitor, ac parte ex utraque refulgent
Pulpita, non lauro, non quæ marceſcere poſſit
Fronde coronatur, ſed vivax culmina marmor
Perficit, æternamque aptat ſine fine coronam.
Tantum operis decus, & tanto inſignita præeſtis,
Pulpita, contextu: nec vos longæva tacebit
Poſteritas, dum tempus erit, dum marmora vivent
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.

DESCRIPSI.

VIginti ſupra trecentos juvenes, ſeu potius puellulos albo meo adſcriptos recenſeo. Aliqui vix hujuſce Paleſtræ tetigerunt propilæum; ac inſalutato hoſpite, ut profugis mos eſt, diſparuere. Bis centum numerare gaudeo, qui acri ingenio, & innata qua pollent vivacitate, nominum verborumque congerie breviter ſuperata ad reliqua grammatices rudimenta, velut e veſtigio advolarunt; Vixque nonaginta ſeu nimis Tyrones, ſeu pinquiori Minervæ laborantes modo excolo. Exercendos ægro animo accipio, breviuſque ex rudi ligno & informi trunco, quam ex male elaborato Mercurium formari arbitror. Officioſi quidem ſunt, ideoque urbanitatem potius hortatu comprobo, quam moneo. Chriſtiana doctrina, cæteriſque ſanctimoniæ ornamentis inceſſanter imbuo; quotidie ſacro intereſſe, ſingulis menſibus animum expiare, feſtos dies peculiaribus pietatis exercitiis colere & moneo & doceo. Curo ut Cathecheſi, devote aſſiſtant, ut templis in concione adſint; ut libro vitæ (totius ſapientiæ fonti) teneris ab annis ſtudeant; ut Dei parenti ſanctiſſimæ (quod unum libentiſſime crebris uſurpo ſermonibus)

arctiſſima neceſſitudine ac tenerrima dilectione ſe officioſe obſtringant. Faxit Deus ut labori fructus reſpondeat; quid vero in litteris profecerint, ipſi teſtentur.

EX QUATUOR ARAS.

Ex Virgilio.

VEtus illa illapſis retro ſæculis conſuetudo invaluit, Heroibus, atque Divis templa, araſque erigere, ut tacito virtutis præconio illorum merita apud poſteros fierent immortalia. Hoc in cauſa fuit ut Jovi in Capitolino colle, Apollini Delphis, Athenis Minervæ celeberrima ſacrarentur templa, in quibus inciſa marmoribus Deorum nomina legerentur. Quod tunc maxime eveniſſe compertum eſt, cum Numinum clementia poſteritati commendanda officioſam hominum induſtriam beneficiis obſtrictam ſtimulabat. Templum ſacravit Statori Jovi Romulus, quod monumentum eſſet poſteris, illius præſenti ope ſervatam Urbem, cum ſuorum fugam ſtitiſſet. Quid tamen veteris hiſtoriæ documenta congero? Cum id hodierna prælectione perſpicue eniteat? In ſacratas Neptuno aras incidimus, vel a victore Cloanto ex voto poſitas, vel ab Aſcanio extructas in anniverſariis Anchiſæ exequiis, dum *amœna piorum concilia, Elyſiumque colit*.

Iliades Siculo appulſas littori ad inurendas Trojanorum naves Iris commoverat, utque grande facinus aggreſſuras in ſententiam confirmaret, tot ex antlatos labores, tot maris pericula, ac diſcrimina perteſis longe majora impendere prænunciat; prodigiiſque evincere conata quatuor Neptuno aras indigetat, Numinis placitum, temporis occaſionem inculcat. Auſæ ignem in naves projicere Iliades, & quatuor abſumptis, a reli-

reliquis ſævientem, graſſantemque flammam Jovis opé pius Æneas coercuit. Piaculum quippe foret victoriæ, ac pietatis monumenta in audaciæ argumentum detorqueri: *Nec tantis mora prodigiis; en quatuor aræ Neptuno; Deus ipſe faces, animumque miniſtrat.*

Meminiſtis, quotquot adeſtis, præclariſſimos e ſocietate JESU coriphæos, terque, quaterque beatos, queis tertio abhinc anno, urbis, quæ Tunkinenſis imperii caput, *ſub mœnibus altis contigit oppetere.* Quos viros, ac Heroas petita fortiter, ac parta feliciter martyrii palma non vulgari commendatione dignos efficit. Quatuor ipſis aras in ampliſſimo famæ, & virtutis templo erigere ſuccurrit animo. Nefas ſiquidem mihi duxi, ſi domeſtica laude neglecta, Martyres qui ſecundum Societatis ſæculum coronarunt ad aſtra uſque non eveherem. Nec ullum hodiernæ actionis argumentum, aut vobis gratius, aut mihi dignius viſum eſt. Communis enim erga Societatis alumnos moderatricis gloria derivatur: gloria, inquam, ex qua plurimum capit honoris Luſitania, lætitiæ Societas, incrementi Orthodoxa Religio; Lyſiam tamen noſtram *non ultima gloria tangit*. Juvenes Societas erudiit, pietatis, ac literaturæ præceptis excoluit, excultoſque, in ſuorum numerum adſcripſit. Placuit filiis tot Societatis officiis probatus amor, dignam quippe vicem rependunt, cum gloriam, quam Mater dedit, factis ſuis amplificant, redduntque cum fœnore.

Agite ergo, hoſpites humaniſſimi, quatuor his aras non alta ad deorum delubra conſtituere, ſed famæ templum, qua late patet, adire per vos liceat, ac ne multiplici rerum varietate immoremini, oculos in eam partem intendite, ubi quatuor aras pari conſtructas artificio ſibi noſtri vendicaverunt Heroes; inſcriptiones dabit Virgilius: ex oppoſito enim angulo

fama

fama ſimulacrum, ſic pene loquens aras intuetur. *Quatuor hic juvenes:* cui gloria modeſto, ac ſubridente vultu ex adverſo reſpondet: *Quatuor his aras:* Inde in medio Templi: Quatuor inſtructæ ſurgunt victoribus aræ: quarum inſcriptiones ex ſoluta in ligatam orationem, ut poeticis hiſce noſtris exercitationibus locus eſſet, per puriſſima cogimus anagrammata. In I. Ara legitur *Pater Bartholomæus Alvres; Omnia temnens Deo litat:* Inverſis litteris exametrum conficitur: *Læto animo adſtantem in bello ſuperavera hoſtem.* Qui I. loco ſedes anagrammaticum illud carmen illuſtra.

QUA læto excurrunt Tunkina ſuburbia tractu
Monte minor collis, campo tamen altior æquo
Molliter aſſurgit: Pœnis devota Reorum
Area; qua proceres, qua plebs, qua ſæva cohortum
Agmina confluxere, ſitique accenſa cruoris
Jeſuadas in bella vocant; ſacrum explicat agmen
Lætitiæ argumenta: omnes tamen Alvrius heros
Anteit, optataque exultat victor arena.
Devenere locum, quo jam ſpectacula cælo
Grata parant; latum, ſparſo agmine, circus in orbem
Ducitur, illactoque minatur acinace miles.
Catanam dixere Sinæ: qua parte nocere
Non potis eſt; flexu modico lunatur; acutam
Inque aciem, qua parte ferit, tenuata coruſcat.
Hanc tractat, verſatque diu, qui proximus adſtat
Carnificis vultum indutus; ſtant pondera ferri
Structa, parata neci, vano præludit in ictu
Lictor, & inſolito meditatur vulnera niſu.
Parte alia palmæ impatiens, certuſque triumphi
Juncta ſibi ſpolia ampla videt; per vulnera mille
Seſe Heros, per mille neces cælo hoſtia vellet

Si-

Siſtere; nam proprio fulget pretioſior oſtro
Palma, triumphaleſque rigantur ſanguine lauri:
Cernuus advolvit genua, & ſuadentibus omnes
Pœnarum artifices oculis legit; inclyta virtus
Dat dignos Heroe animos; & neſcia vinci
Intus agens, hebeteſque enſes, tardoſque loquaci
Lictores nutu increpitat; fera provocat ultro
Inſtrumenta necis, vitamque libentius offert,
Quam poſſent rapuiſſe hoſtes, ſimiliſque vocanti
Signa iterat, flexoque expectat vulnera dorſo.
Nec minus accenſo rabidus furit impete miles
Jamque ducis ſigno impatiens fera vulnera librat,
Cum litui ſonuere; aciem cita dextera tollit;
Ac pleno rabie niſu rotat; acta furore
Inſeritur collo, & celeri caput amputat ictu.
Pullulat extemplo ſanguis; torrentis ad inſtar
Exilit, & tremulam teſtatur morte recenti
Corpus adhuc vitam, tantoque in funere vivit
Alvrius, irriguo Tunkinia regna cruore,
Et tepidam fœcundat humum, dum ſanguinis undas
Chriſtiadum pia turba colit, dum fletibus auget,
Fletibus invidia plenis; prohibetque, jubetque
Lætari dolor, & tanto decora alta trophæo
Evehere; ille libens litat omnia, & omnia temnit
Præter dulce mori, dum mortem inflixit, anhelis
Indulget deſideriis manus impia, quanquam
Exultet ſuperaſſe hoſtis, dexterrimus heros
Lato animo adſtantem in bello ſuperaverat hoſtem.

ILLUSTRAVI.

Ara

Ara ſecunda ſic inſcribitur: *Pater Emmanuel de Abreu ſors. data Lyſiæ*. Ex mutato litterarum nexu pentametrum aptatur: *Sæpe dabo en laudes, laus mea Martyr erit*. Qui II. loco ſedes hujus olim almæ Academiæ incolam, quem fortaſſe non ſemel dicentem audiveris, ad aſtra uſque extolle: Lyſiæque perſonam indutus, pro tanta felicitate tibimetipſi gratulare.

GLorior, & felix mihi gratulor ipſa Parenti,
Quæ venit ex natis gloria, juſta venit.
Heroum fœcunda Parens ego Lyſia dicor
Lyſia felices inter habenda plagas.
Sive opus eſt bello, virtute repellimus hoſtem;
Sive opus eſt armis, bella cruenta gero.
Orbis adeſt pro teſte, nec eſt minus orbe theatrum;
Area ſed factis non ſatis æqua meis.
Quæque vices variat, mihi ſunt ſine ſorte triumphi;
Ac ubi luſus adeſt, credite, victor adeſt.
Vidi ego de noſtris Mauros propellere caſtris,
Qui timida indecori terga dedere fugæ.
Adde, quod extremas orbis penetramus in oras;
Inque meum redigo, vix adeunda, jugum.
Nec ſatis eſt: Luſis animos moderantibus, ipſæ
Barbariem ponunt (laus mihi ſumma) feræ.
Ut mihi creſcit honos, natis laus debita creſcit;
Laudo, ſed in laudem laus redit iſta meam.
Laus mihi ſunt Luſi, Luſis laus inclyta ducor;
Mutuus ex noſtra laude reſultat honos.
Attamen Emmanuel (Duriis Tagus invidet oris)
Luce ſua reliquos, ſol velut aſtra, premit.

Po-

Poſteritas ſtupefacta colet, labentia retrò
Sæcula quem vellent invidioſa ſuum.
Prodigus ille animæ tractus penetravit Eoos
Cui mage mors lucri, quam mora mortis erat;
Oblatam quoties in aperta pericula vitam
Projecit, Domino victima grata ſuo;
Teſtatuſque fidem proprio bene purpurat oſtro:
Proprius eſt ſoli, dum cadit, iſte color.
Integer eſt animo, conſtans ſibi; dividat artus,
Proſternatque licet barbarus enſe ferox.
Non tamen hic primo caput undique ſeparat ictu,
Seu furor impatiens, ſeu timor illud erat.
Pars abſciſſa humeris mortem tulit, altera pendens
In pectus, mortem ſigna vocantis habet.
Frons vitæ ſedem, ſedem quoque ſignat amoris,
Seque probat, cordi proxima, ſponte mori.
Se pia chriſtiadum deſertam turba dolebat;
Annuit inflexa fronte daturus opem.
Conſulit ille orbi, potius mihi conſulit, inter
Hanc numero laudes Lyſia grata meas.
Proſequar obſequiis, & honore rependet honores
Obſtrictus tanta ſorte parentis amor.
Cum nova, cum major mihi laus ex laude reſultet,
Sæpe dabo en laudes, laus mihi Martyr erit.

GRATULATUS SUM.

Ter-

Tertia ara hoc lemmate diſtinguitur: *Pater Vincentius da Cunha in Martyrio, & ſorte clarus, ac Dei veritatem amans*, cujus elementa in hanc laudem duplex Jambus puro anagrammate cogit: *En ſydus, en Chriſto unice vitam parat. Ter leureata victima, nec aderat timor.* Qui tertius ſedes ipſum anagramma in laudis argumentum arripe.

UT ſydus, ubi ſepultum in occaſum ruit
Perire creditum, diutius viget,
Vitamque ſervat, & unicum mutat ſitum,
Sic perficit vitam, nec amittit nece
Vincentius, ut illuſtre Lyſiadum jubar
Cælo relatum; crede Phœnicem novo
Iterare vitam funere, haud caſu putes
Victoris eſſe nomen; hæc tantum decent
Heroa, reſpondentque factis nomina.
Ter petiit audax, ter coronat, dum feras
Exercet iras, limitemque ferro agit
Lictor, iterata morte vitam diſtulit,
Acerbat, at tantæ invidens ſortis vicem;
Invitus ipſa duplicat Vincentio
Trophæa; lauros ſternit, & palmas ſecat
Meſſore ferro; ter tibi Vincentius
Congratulatur vividum mortis genus,
Ter irruentem victor excipit manu,
Ter vicit: ipſa defuerunt vulnera,
Non animus. Indignum ictibus reputans ſui
Perire primis; fervidos acinaces
Semel, iterum perpeſſus exultat; avidis
Jam deſtinatos in ſacrum collum impetus

Ex-

Excepit humeris, deviumque corpore
Gaudet vagari ferrum, inacceſſum parat
Pectus timori, jamque necis amans, necem
Gaudet morari: cupidus & dudum mori
Dubio vacillat gaudio, an pati novos
Optaret ictus, vel necem primo ſequi,
Lucro dolorum multiplex palma decorat;
Ter laureato vertice impedit comas,
Inſigne victoris, corona, qua ſinu
Pectus triumphat, teſte vultu gaudii.
Euge, triumpha; Euge triumpha gaudio
Felix Ullyſipo, triplici in Vincentio
Beata ſorte: ter aperit ferro vias
Lictor cruentas, gratiores Lactea;
Emitur corona ſanguinis diſpendio;
Emitur cruore gloriæ inſignis decor.
Euge, triumpha; en gloria, en Lyſiæ decus
En ſydus, en Chriſto unice vitam parans,
Ter laureata Victima, nec aderat timor.

EXTULI.

Ara ultima hac inſcriptione conſecratur: *Adit etiam Pater Joannes Gaſparus*. Quæ verba ſolutis primum literis, alioque deinde ſitu poſitis Aſclipiadeum reddunt hoc modo: *Jam ſane peperit gaudia tanta ſors*: Qui IV. loco ſedes adde uni plurima, quibus Martyris felicitatem multo circuitu toto terrarum urbe quæſitam exhibeas.

JOannes ſuperis addite faſtibus
O & præſidium, & dulce decus tuis
Germanis; Aſiæ ſydus, & inclytis
O Luſis numerande eximius Comes:

Gaſpar

Gaſpar te cupidum tangere gloriæ
Venalem riguo ſanguine verticem
Excepere ſinu Gallia, & Angliæ
Triplex imperium; Bataviam petis
Plenum naufragiis per mare: maxima
Reſpondent meritis præmia maximis;
Optataque tibi major honoribus
Te fortuna beat, ſed mala ſubdolo
Condit felle tamen gaudia; non honos
(Huc ſyren ſtimulis blanda veneficis;)
Irritantve animos deliciæ; evolas
Terrarum ſpatia, ac inſatiabiles
Bellonæ furias induis, & ferus
Exerces rabidas ore truci minas;
Sed non militiæ Marte ſub impio
Irrepſit cupido gloria pectori,
Aut laudis pretio ductus amabili
Irretitur amor; ſub Jove frigido
Armorum ſtrepitus, caſtraque ſervido
Perturbata ſitu mens tua præterit
Averſa; in pretium prodiga ſanguinis
Exegit monumentum ære perennius,
Quod nec tempus edax, aut ſociabilem
Factis invidiam pertimeat; ſitim
Expleturus amas Marte novo inſeri
Caſtris Jeſuadum; laurea militi
Adſcripto exoritur; jam caput inferes
Aſtrorum numero; jam tibi contigit
Immortale decus, nobile præmium;
Jam dignis fruitur pectus honoribus;
Jam ſummum peperit gloria verticem;
Jam ſane peperit gaudia tanta ſors.

EXHIBUI.

EX

ULtimo denique, extructis ad quatuor Templi facies aris, in perpetuam poſteritatis memoriam, hoc munus injungo.

Et tumulum facere, & tumulo ſuperaddere carmen. Duplex pro mauſoleo extruitur columna ſive ut non plus ultra honoris, ac gloriæ præclariſſimis Heroibus in templo famæ deſignetur, ſive ut triumphali arcu celebretur victoria. Decet profecto ſanctiſſimos Heroas triumphalis arcus; ſpeciem enim litteræ C, quæ ſæculum exprimit, repræſentat. Stabilitur equidem, & veluti firmatur feliciſſimum ſocietatis ſæculum (Arcum dicerem triumphalem) in ſantiſſimorum Martyrum gloria.

Inſcriptiones paucis dabo: in altera columna eleganti artificio educta victorum ſyllabus deſcribitur, cujus univerſæ, puro anagrammate, literæ per Romanos characteres in adverſa columna victoriæ annum, ac diem ad æternitatem ſignant. Ita in prima. *Ex Emmanuele de Abreu, Ex Vincentio da Cunha, ex Bartholomæo Alvres, nec non Joanne Gaſparo Patribus Societatis JESU deducitur ſacrificium.* Sic etenim invertitur.

Ecce uno, ecce beato animo felices Heroes in aſtra avolant Anno MDCCXXXVII.

Pridie Idus Januarii. Veræ laudes, & permagnus honos buſtum beat.

AD PROGRAMMA HOC LEGITUR EPIGRAMMA.

QUatuor egregios referant ex hoſte triumphos,
Quatuor his aras conſtituiſſe juvat.
Jeſuadis ſæclum felici morte coronant,
Dum ſibi pro meritis parta corona venit.

Anagramma vero hoc etiam epigrammate adornatur.

Ergo ubi prima petit pulchram per vulnera mortem.
Sacra cohors, parili tendit in aſtra gradu.
Corpora ſi numeres victorum, quatuor extant,
Si numeres animos, quatuor unus erant.

Pro coronide: duo qui e regione ſedetis, comilitones ornatiſſimi e poetis non ultimis memoriam excutite, alternis certate carminibus, ſiqua vobis ex authoribus vel integra, vel quaſi integra in Tunkinenſium Martyrum laudem occurrunt. Præmium in promptu eſt. Omnes verſus incipiant ab ultima littera præcedentis.

COnticuere omnes, intentique ora tenebant,
Tum procul horrendo ſtrepuerunt cornua cantu
Vultu indignanti ſimilis, ſimiliſque furenti
Implicuitque comam læva, dextraque coruſcum
Miles agit, rotat, infligit, vibrat, incutit enſem.
Multa movens irarum animo; cadit enſe Joannes.
Succedunt læto Emmanuel, læto Alvrius ore,
Et tu Luſiadis urbi laus addita primæ
Æternam moriens famam, nomenque dediſti
Inter Ulyſæos olim numeratus alumnos.
Sed te lictoris caſſo petit ora furore;

Ex-

Extulerat ſine cæde at non ſine vulnere ferrum,
Multiplicatque ictus; plures ſitibundus anhelas.
Sic tibi, Vincenti, meritum dat laurea nomen,
Nam ſemel, atque iterum duplicato animoſior ictu.
Vulnera, quæ comites faciunt diviſa beatos,
Solus habes repetita; in te ſua colligis unus
Stemmata, ter geminas jactantia ſtemmata palmas.
Siſte: feram lictor procul exue, pone furores,
Siſte: quid in ſacram vibras rabida arma cohortem?
Morte auget ſibi ſacra cohors decora alta triumphi;
Icta quidem non victa cadit, dant funera vitam,
Manat enim ſacro pretioſum e vulnere flumen;
Non viciſſe tamen; vinci te perfide credas.
Sed tu ſacra cohors (ſiquid mea carmina poſſunt:)
Tu metro labor unus eris, te plecta ſonabunt,
Tu Lyſiis tu ſemper eris laudata Camænis,
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.

PROSOPOPÆA EST PERSONARUM FICTA INDUCTIO.
Ex noſtro Cypriano.

FEliciter, & auſpicato inter Rhetorices figuras Proſopopæiæ naturam, ac vim in præſentiarum enucleare hodierna mihi luce contigit. Et ſi ſua cuique laus eſt, hanc longe aliis præſtare, ac primas ferre auſim dicere: hoc unum cum cæteris commune habet, Orationem comere, floſculis inſpergere, illuſtrare pigmentis, verborum lenociniis vendibilem reddere: in eo diſpar, quod non tantum homini, verum etiam inanimatis rebus vocem accommodat, Mercuriique inſtar animas illa evocat orco; urbes, regna, ſylvas in theatrum producit, vocaleſque *facit*. In exornanda, oratione mutuo ſe juvant commercio figuræ aliæ; Proſopopæia comites reſpuit;

& quidquid decoris a figuris mutuatur Oratio, præſtat unica.

Eſt (ut Flacii verbis loquar) ut Pictura Poeſis, atque Rhetorica; Orationem vario adumbrat colore, lineamenta prima diſpoſitio diducit, diſtinguit, aptatque; variis troporum coloribus figuræ illuminant, figuris vocem addit locutio, omniaque adamuſſim auribus inſinuat, quæ oculis ſubjicit pictura: unum tamen eſt, in quo pictura ipſi naturæ cedat, quod nempe voces imitari nullo unquam aſſecuta eſt experimento; hoc vero Proſopopæiæ in acceptis refert eloquentia, quod per illam non imitari modo, ſed naturam ſuperare videatur. Quid enim uſpiam eſt quod non argutim reſonare doceat Proſopopæia: rebus plurimis Natura vocem, at nulli denegat Proſopopæia linguam: Conſulite Ciceronis libros, qua parte oratoris ſunt, vix evolvitur aliqua legentibus pagina, quin Romanæ urbis queſtus in Catilinam, Siciliæ in Verrem objurgationes, pro Cælio mortuos ipſos Rhetores offendamus. Qualem vero Orationi majeſtatem afflet, atque elegantiam Proſopopæia, qualis in ea ſuavitas, ac jucunditas extet, qua perſuadeat efficacia, perſpicuum ſane eſt; Videre enim licet quamplurimos, qui nuda rerum veritate nullatenus permoventur, aucupio illo novi in ſuadendo Rhetoris captari, ſenſim abripi, inflamarique.

Proſopopæia eſt perſonarum ficta inductio. Urbes, populique vocem accipiunt. Formas quoque fingimus ſæpe, ut Famæ &c.

ENim vero efficaciſſium hoc loquendi genus non tam Oratoribus longe deguſtandum, ſed liberrime etiam

iam poetis ſolet indulgeri. Præ cæteris Mantuanus Olor. Ipſi lætitia voces ad ſydera jactant, Intonſi montes, ipſæ jam carmina rupes, ipſa ſonant arbuſta, Deus, Deus ille, Menalca, ſis bonus o felixque tuis. Igitur quando oratoriæ Proſopopæiæ grandem apparatum temporis anguſtiæ nobis non indulgent, neque capere poſſunt; poctico illam vobis penicillo, Maronis exemplo adumbratam proponere animus erat. At (proh fatum!) neſcio quid Maroni contrarium occurſare mihi videtur: Non lætitia montes ac ſylvæ vocem efferunt; ſed triſti, ac ferali carmine regna, Urbes, regiones cunctæ ejulant, æternaque in nocte ſepultum commune ſydus ſuum lamentantur. Diſtinctius loquar, quæ in medium proferre jubet dolor; Ignem ſuum, unde lucem, ſplendoremque hauſerat, extinctum queritur triplex Orbis Reſpublica: Politica, Literaria, atque Religioſa.

Scitis omnes (utinam & lateret!) ſcitis apprime, AA. quo mea collimet oratio, nec vos mihi ſuccenſere arbitror, quod diu ſuſpenſos detinuerim; mallem quippe Metaphorico ambitu nomen occludere, ſed idem ipſe mœror impatiens tegi, nec magnitudine ſua ſui compos vel coactus erumpit. In communi veſtrum omnium luctu, in morte inquam Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Cardinalis Alvari de Cienfuegos, cum non alio in amoris ſignum, ac grati animi officium (ut par erat) epicedio liceat ingemiſcere; quæ ſaltem nobis objiciuntur, occaſionem arripiamus: Tametſi neſcio luctum ne leniat, an magis exaſperet infauſti nuntii recordatio: juvat tamen etiam dolori noſtro morem gerere; indulgentia enim miteſcit aliquando mœror, & exaggeratus ſaltem obſtupeſcit.

Utque primum de Republica Politica inſtituatur

oratio; Germania tota ſi una voce loqueretur, hæc diceret: Extinctus eſt ignis ille, qui facem accendebat, ne mea exerrarent conſilia; Pharus erat, ne Reſpublica faceret naufragium: abiit in Cineres ignis ille, qui igniculos ſuggerebat ad fortia, atque ultricia alebat fulmina contra hoſtiles impetus; faces addebat Cæſari ne ſcelerum graſſarentur incendia, rogum accendebat, ut Hæreſis deflagraret, cujus tamen ignis etiam fumus, an ſcintilla quamplurimis lacrimas extorſit: Ipſe tremuit Hiſpanus leo, cum Auſtriacus centeno hoc igne inſtructus fulminaſter accederet. At extinctus tandem eſt! extincta officina prudentiæ, favoris regia: extinctum Germanis columen; extincta Germania; caliginoſo luctu ſepulta, tenebroſa nocte offuſcata! Hæc Germania; cui pariter Luſitania, cui Italia, cui Hiſpania ipſa mœſtiſſimo aggemit ululatu. Igitur qui primus ſedes Politicam Rempublicam tanto in luctu jure conquerentem exhibe; licet enim Religioſo receptaculo in orbe extra Orbem vivas, adeo increbreſcit queſtus, ut a nemine exaudiri non poſſit.

ÆTerna dignos ſæcula vivere
Extinxit ignes imperium Æoli
Crudele, vivaceſque flammas
In cineres abiiſſe cogit
Rapax ſenectus. Scilicet occidit
Qui ſæpe clari lumine conſili
Illuxit Orbi, & fluctuantè
Ex animo pepulit tenebras
Monere prudens: Ille Quiritium
Fulſit Parenti proximus: Auſtriæ
Luſyſque Sydus, laus Iberis,
Purpurei columen ſenatus.

Pa-

Parere amabant rebus in arduis
Quicunque habenas imperii regunt,
Se ſeque tradi temperandos
Mentis ad arbitrium magiſtræ.
Nanque illa recti pectoris indoles,
Celſæque mentis nuntia frons dedit
Ex oris aſpectu ſereni
Magnum animæ indicium eminentis.
Tutela præſens contigit omnibus;
Severum, & acrem crimina vindicem
Senſere; & ultorem inſequentis
Sæpe rogum timuiſſe fertur
Divos, & aras tollere pertinax,
Sacroſque ritus Hæreſis: hinc Pharus
In publicam effulgens ſalutem
Fit ſceleri exitiale fulmen,
Ultrixque Divum flamma, ſed heu! modo
Extincta fletus eliceret pios,
Tranſmiſſa Cælo ni benignum
Chriſtiadis ſupereſſet aſtrum.
Plus ergo præſens ſydera Julio
Infenſa Turcis, conſulat Auſtriæ,
Et inferat fatalem Eclypſim
Qua medio micat orbe luna.

ADſit modo Reſpublica literaria pullata, ac lugubri veſte vultu ad mærorem compoſito, animi vicem gemitu profeſſa. De igne ſuo extincto queritur illa quidem, qui velut inter ignes luna minores (dictum corrigo) veluti ſol Princeps, a quo lucem aſtra emendicabant, doctorum illuſtravit ſubſellia; acutiſſimos ingenii radios evibrabat: quæ objiciebantur intorquebat fulmina: ingenioſiſſime ſcintillabat: tot volumina in lucem dedit: Quibus denique

teſtatur, non tam a ſcientiis accepiſſe, quam reddidiſſe ſplendorem. Qui ſecundo igitur loco ſedes pro ipſa literaria Republica (cujus te partem eſſe profiteris) ad cineres, in quos ignis ille abiit, mæſtiſſimus alloquere.

EMeriti cineres, Heu ſemper amabile gentis
Palladiæ deſiderium! opportuna doloris
Æterni monumenta! feræ ſpolia impia ſortis,
Parcite, ſi plauſus, & feſtæ murmura pompæ
Turbamus lacrymis; ſed enim nunc omnia terras
Gaudia deſeruere: tibi ſupera agmina plaudant,
ALvare; Jeſuadum, quibus es lux addita, mentes.
Feſta dies, feſtique decent tanto hoſpite plauſus.
Nos miſeri gens orba ſumus! tu grande Camænis
Præſidium cadis! & doctæ tutela phalangis
Exemplumque, decuſque peris! Tu dulce fuiſti
Illicium Phœbi; & teneræ confinia vitæ
Ornavere tibi faciles in Carmina Muſæ.
Clio prima tuæ monumenta perennia famæ
Extruit, immenſo per te committitur ævo
Borgia: dum mentis ſyren blandiſſima, tanti
Geſta viri mira arte refers, grande effluit ultro
Eloquium, multoque intextum flore renidet.
Quin etiam ſecreta Deum miracula pandis,
Quæ ſuperimpoſito Cereris velamine claudit
Cana fides, mentiſque aciem fugientia, firmo
Obtutu aſſequeris; doctiſque, piiſque relinquis
Deguſtanda animis. Nec non ſuper aſtra ſagaci
Mente introſpiciens, aquilæ de more videris
Æternos haurire ignes, ipſumque profundæ
Arcanum Triadis; mentique impervia, tuto
Secreti luſtrare poli penetralia greſſu.
Has tu reliquias animi, ſtudiique relinquis

Pi-

Pignora in æternum victuris tradita chartis.
Ad plauſus viget, & nunquam moritura vigebit
Nobilior pars illa tui, tua mentis imago.
Sed dulces ex ore favos, mella inſita verbis,
Conſilia, admonitus, Divina oracula, leges,
Quæ tua nos docuit quondam ſapientia, præſtans
Ingenium, ſublime, ſagax, illuſtre, profundum,
Heu! doleo meminiſſe: heu! Corde infixus in imo
Intus agit dolor! attonitam cura anxia mentem
Occupat, & voces ſingultibus interturbat.

JAm verò Reſpublica Religioſa de igne ſuo extincto lamentatur; ardens profecto erat, & lucens Heros ille; Divino accenſus amore, Cæloque unicè addictus: Eoque altius aſcendit, quo plures illuminaret. Ita enim in ſummo Dignitatis apice ſeipſum moderatus eſt, ut unum tantum adderet purpura, quod, quæ in privato laudarentur, in provecto ad honoris faſtigium penitus admirationem arriperent. Affluebant divitiæ, ut generoſa diſpenſatione derivarentur; apprime novit divitem eſſe poſſe ſine paupertatis diſpendio; honoribus affici, non infici. Ergo qui tertium locum habes Societatis JESU (ipſius, ac noſtrum omnium Parentis dilectiſſimæ) dulces querelas proferto. Nec te prætereant duo illa animi dotes recenſentem, quæ ad mortis confinia præ cæteris oſtentavit; Munificentiam ſcilicet, ac inſitam ex filiali amore ſubjectionem, qua Reverendi admodum Patris noſtri Franciſci Retz ſocietatis Præpoſiti Generalis arbitrio, univerſæ hæreditatis diviſionem tranſmiſit.

HEroum fæcunda Parens quo ſæpius ortu
Glorior, heu cogor ſæpius orba queri!
Tres ego læta dedi, (quid enim prius acta revolvam?)

Hos

Hos nuper ſocio vidimus ire gradu.
Tres ego læta dedi, quos purpura tinxit, & oſtrum;
Proximus & ſummo vexit honoris apex.
Heu tamen amiſi geminos, mea pignora, Natos!
Immunis fato de tribus unus erat.
Unus erat, numeri ſed damna rependerat unus;
Soſpite quo felix crederer, unus erat.
Alvare ſolamen noſtro manſure labori,
Tu miſeræ requies unica Matris eras.
Sperari longos te vivere Neſtoris annos;
Irrita ſpes, fato præcoce, noſtra fuit.
Nec ſatis eſt vixiſſe diu; immatura ſupremos
Heroas quovis tempore Parca rapit.
Non quia te Murex coleret Romanus, amabam;
Sed quia Romano Murice dignus eras.
Vidi ego ſæpe tuos, velut aſtra, niteſcere mores,
Nominis indicio, credimus, ignis eras.
In dubiis tua ſæpe dedit ſapientia lucem;
Sive petenda Themis, ſive Minerva foret.
Omnibus exemplo tua lux bene fulſit, & arſit;
Omnibus auxilians lux tua prompſit opus.
Prototypon virtutis eras, pietatis aſyllum,
Floruit influxu juſque, decorque tuo.
Sæpe auſcultarunt tua docta Oracula, Reges,
Luſyadis fueras, Auſtriaciſque jubar.
Hæc inter, ſuperis mens libera ſæpe vacavit,
Quid mirum in Cælum tenderet? ignis erat.
Nempe diem (memini) tua ſedula cura præibat;
Cætera largus, in hoc ambitioſus eras.
Eſt aliquid manſiſſe pium: quo purpura tingi
Creditur, ipſa animo ſæpe venena nocet.
Quid referam effuſos in publica commoda ſumptus?
Dives eras aliis, qui tibi pauper eras.
Teſtis Ulyſippo, Roma, Auſtria, teſtis Eoum,

Quiſ-

Quiſquis ab infeſto ſydere nomen habet.
Et tua neſcierat larga indulgentia metas,
Quodque ſequebatur munera, munus erat.
In picta incideras cum forte numiſmata, dicis:
Non ibi, ni fuerat picta tabella, forent.
Hæc retines, quæ tantum oculos numiſmata paſcunt;
Hæc quoque, ſi poſſet prendere dextra, dares.
Nec tibi numorum, niſi dando, innotuit uſus;
Sic ſolet acceptas reddere flumen aquas.
Adde, quod arbitrio tua ſunt bona tradita noſtro;
Et te munificum poſt tua fata probas.
Multa pius legas, ſed cui tua ſubdita ſemper
Vita fuit (pectus nobile) ſubdis opes.
Hinc tua, ceu Phœnix, de funere dextra revixit;
Mors oculos, dextram claudere non potuit.

UT aliquantum dolori veſtro lenimen afferre poſſem, animus fuit non triplicem duntaxat Rempublicam veſtros ante oculos adhibere, ſed confictas etiam formas inducere, ut quidquid a Cypriano noſtro in Proſopopœia traditur, omnino perlibemus. Quapropter, Adoleſcentes optimi, nobiles, ingenui, vos, utpote contubernii neceſſitudine nobis adeo conjuncti, doloris participes facere debet erga ſocietatem amor. Primus igitur gloriam induat, quam rebus præclare geſtis in Orbe ſibi peperit heros ampliſſimus. Secundus gloriam exhibeat, quæ in ſuperos comitata eſt ovantem. Tertius famam, ultimus deſiderium repræſentet. Dolorem modo pro ſe quiſque leniant, modo exaggerent, donec ſibi invicem indulgentes communi ratione attemperent.

Gloria I. O Ego ſi poſſem veſtrum lenire dolorem! Lenirem, triſtique fugarem e pectore noctem. Gloria ſum, deſiderii, famæque propago,

Glo-

Gloria qua quondam totum compleverat orbem
Alvarus, & quæ nunc post fata revixit in orbe.
Ergo inter luctus, plaususque incerta vacillo,
Nanque meas desiderium (præconia famæ
Dum læta auscultо) lamentis occupat aures.
Gloria 2 Gloria, si nescis, se te felicior, adsum,
Heroum merces, superum decus, incola cæli.
Non desiderio, aut famæ commercia servo.
Quacunque aspicias lætissima, nuntia vobis
Grata fero, sed prima orbem solare jacentem,
Fama, tuos desiderium, prius ede dolores.
Fama. Exue funereos, gens flebilis, exue luctus:
Exue, quid tristi caligant pectora nocte.
Fama vocor mortis vindex, me vindice clarum
Posteritas Heroa colet, cui nomina finxit
Et morum jubar, & doctæ vis ignea mentis.
Alvarus hic ille est, quem non abolere vetustas
Invidiosa queat, toto laudabitur ævo
Inclitus, in nostroque æternum pectore vivet.
Desider. Ergo funereos, gens flebilis, exue luctus,
Indue funereos, gens flebilis, indue luctus,
Triste vocor desiderium, de funere nascor,
Nutrior in lacrimis, proles genuina dolorum,
Crux animi, ex ipso poteris cognoscere vultu.
Me vobis post fata Heros in pignus amoris
Legat, & in memori transfixit pectore, vellem
Ingenio caruisse meo: sed tristia semper
Intus agam, tristique infligam vulnera corde.
Ergo funereos, gens flebilis, indue vultus.
Fama Fare age, quid famam luctu impediente moraris?
Desider. Fare age, quid justos turbas, fama impia, luctus?
Fama. Jure equidem turbare licet, nam munere nostro
Immortalis erit, quem fatum extinxerat, ignis.
Ipsa ego terrarum, quas sol prius aspicit oras.

Quas

Quas inde occiduas luſtrat reſupinus in undas,
Laudibus implebo. *Deſider.* Non te, non inclitus Heros
Indiget ad laudes; ſine te laudatus in orbe,
Te ſine notus erat; notum præſentia fecit.
Sive inter Muſas, facundove intonet ore
Inducatve animum ſtudia ad majora, ſenectam
Mirata in puero, atque animi ſurgentis acumen
Ad Salmantinas evexit Iberia ſedes.
Lyſia pectus amans, doctam videt Auſtria mentem,
Auſtria dat meritos, meritos dat Lyſia plauſus.
Quid referam extremum vitæ, rerumque theatrum?
Tecum Roma loquor; tibi non geſta inclyta famæ
Indicio patuere, aderant ubi lumina teſtes.
Fama. Præceſſi tamen, atque hominum diſperſa per aures
Romulidum movere animos mea nuntia, lucrum
Fœnoris acceptura; auxit præſentia famam,
Quod raro eveniſſe putes. *Deſid.* Siſte, impia, ſiſte,
Fama, malum, quo non aliud fallacius ullum;
Quæque ſoles multa addendo finxiſſe, minorem
Te reputas? nunc ipſa tuo rea proderis ore?
Fama. De tanto quo plura viro, quo maxima ferrem
Non meritis æquare ſuis mea nuntia poſſent.
Nec minuiſſe ſcelus (me laudibus impare) laudas.
Deſid. Sed fruſtra Heroas (Te laudibus impare) laudas.
Fama. Quis tamen Heroum geſta inclyta duxit in orbem?
Deſid. Non equidem non Fama; amplæ indulgentia dex-
Dona aderant, toto per munera clarus in orbe. (træ.
Fama. Dona tamen comitabar, ovans quoque dona præi-
Et quanquam plures, non omnes dona, ſed omnes (bam;
Donantis fama implevit. *Deſid.* Fama occupat aures,
Vt Deſiderium corde inſidet. *Fama.* At viget omni
Fama Ævo, lucrata novas a tempore vires.
Deſid. Eſto ſed heu! pariter tecum me creſcere coges.
Fama. Luctus pone tuos, noſtra inter gaudia creſces.

Deſid.

Deſid. Pone hilares vultus, mea per ſuſpiria vives.
Gloria. 2. En ego pacis amans, veſtro opportuna duello,
Jungite diſcordes in fœdera jungite dextras.
Mundo aſtrum Polus invidit: novus incola Cælo
Gaudet, & applaudunt ſocia agmina; gaudeat orbe
Quiſquis amat, lætum exclamans: Euge, Alvarus, euge.
Deſid. Dura jubes, ſed ſponte ſequar, qua gloria ducis.
Fama. Grata jubes, te ſponte ſequar, qua gloria ducis.
Deſid. Euge orbis deſiderium *Gloria* 2. Decus addite Cælo
Fama. O Famæ ornamentum ingens! *Omnes*. 3. Euge,
Alvarus, euge.
Gloria 1. Sed quem tarda virum ſudarunt ſæcula, fatum
Arripuit, fatum inviſum! duo currite fontes,
Singultus, lamenta, dolor, ſuſpiria, queſtus.
Fama. Dura jubes. *Deſid.* Pergrata jubes. *Fama & Deſid.*
Te ſponte ſequemur
Fama. At ſimul ex ipſo naſcantur gaudia luctu;
Deſid. Et ſimul ex ipſo creſcant ſuſpiria plauſu.
Heu Orbis Deſiderium. *Gloria*. 1. Deus addite mundo
Fama. Heu Famæ ornamentum ingens: *Fama. Deſid. & Gl.* 1. Euge Alvarus euge
Deſid. Ergo alimenta meis dant plauſibus, Alvare, luctus.
Fama. Ergo alimenta meis dant luctibus, Alvare, plauſus.
Deſid. & Fama. Plaudimus, & luctus, quo plauſu dignior, auges.
Gloria. 2. Ducite perpetuas in ſæcula, ducite laudes:
Heroas poſt fata ſequor: me me Alvarus aſtris
Adduxit comitem: viget, æternumque vigebit
Inter Cælicolas, æterno afflatus honore.
Ergo omnes ſedata inter ſuſpiria plauſu
Ducite perpetuas in ſæcula, ducite, laudes.
Gloria 1. Ducite perpetuas in ſæcula, ducite laudes;
Namque licet comitata virum, vos ſemper in orbe
Indiviſa ſequar; terras comitabor in omnes

He-

Herois ſubitura vices; vobiſque levamen
Dulce adero; hinc læto mæſta inter gaudia luctu
Ducite perpetuas in ſæcula, ducite, laudes.

Deſid. & Fama. Accipite hæc animis, huc mentem, advertite, gentes.

Deſid. Quas Deſiderium. *Fama.* Quas Fama. *Gloria.* 2. Aut Gloria tanto
Digna Viro extimulat. *Gloria.* I. Quarum ipſe in pectore vivit,

Fama. Plauſu inter gemitus *Deſid.* Miſto inter gaudia luctu.

Omnes. Ducite perpetuas in ſæcula, ducite, laudes.

Religioſus ex SS. ordine Chartuſianorum Vati dixerat Feriam Sextam in meditatione Dominicæ Paſſionis occupare ſolitum eſſe, & deſiderare ſex meditationes de Noviſſimis pias & faciles, quibus animum paſceret aliis ſex diebus, quod etiam epiſtolio confirmavit; ſed poſtea quatuor eſſe noviſſima advertens, ſcripſit:

Quatuor optabam, ſex ex errore notavi.

Reſcripſit vates:

Sex bene ſcripſiſti, ſi cuncta noviſſima quæris,
Quinque etenim ſubeunt plures, ſed quatuor omnes;
Quatuor, heu! quartum non eſt tamen omnibus unum.

1. Mors.
2. Judicium particulare
3. Purgatorium.
4. Judicium univerſale.
5. Infernus.
6. Paradiſus.

M E-

MEMORARE NOVISSIMA TUA, ET IN ÆTERNUM NON PECCABIS.

M O R S.

UT ſcelus evites qui te manet exitus, & quæ
Immineant, memori condere mente velis
Quid meminiſſe times! nihil iſta oblivia proſunt
Plus tibi quod timeas, ni memorentur, habent:
In morte incipies (neque erit revocabile tempus)
Æternum felix eſſe, vel eſſe miſer.
Mors eſt certa quidem; puncto claudentur eodem
Dives, Inops, Populus, Rex, Puer, atque Senex:
Certa malis; obiit ſuſpenſus ab arbore Judas.
Certa bonis; obiit Chriſtus, & alma Parens.
Elige utrum mavis Judam, aut cum Virgine JESUM
Exoptas comites mortis habere tuæ.
Quos vitæ exemplar, comites quoque mortis habebis;
Eſſe quidem ſimiles vitaque, mórſque ſolent.
Ergo age: duc rectam (tibi mors erit optima) vitam;
Ut vita eſt, vitæ ſic quoque finis erit.
Nec demens opibus fidas, aut faſtibus ullis.
Vitari pretio mors, redimique nequit.
Non tua nobilitas, (nulla eſt reverentia morti)
Proderit, aut centum, quos tibi fingis, Avi.
Forte animos inflat fortuna, & mentis acumen:
Mors ſuperat doctos doctior ipſa viros.
Fortis es, & dexter! Mors nullo illuditur aſtu,
Illudet vires inſidioſa tuas.
Certa quidem eſt, moriere tuis ſpoliatus amicis;
Nec feret optatam provida mater opem.
Te Princeps, te Præſul amat, fiduſque ſodalis?
Nil proſunt; omnes, qui morientur, amant.

Cre-

Crede; Deo placeas, tibi nullus amicior; illum
(Eſt equidem Dominus non moriturus) ama.
Omnia, quæ cordi nunc ſunt, in morte relinques;
Heu ſero erroris conſcius ipſe tui!
Protinus agnoſces, quam vilia ſtultus amabas,
Mors cæca eſt, moriens tu tamen argus eris.
Quas modo delicias, quæ commoda quæris ubique
Et dolor, & lacrymæ tunc tibi forſan erunt
Omnia faſtidis, olidis tunc vermibus eſca,
Omnibus inviſus fœtor, & horror eris.
Tunc brevis urna domus, durum tibi tegmina ſaxum;
Rura ſolum, tellus frigida lectus erunt.
Quid male corpus amas? cupis addere vermibus eſcas?
Addere fœtori materiamque cupis!
Delicias animæ quæras precor; unica virtus
Poſt etiam extremum te comitatur iter.
Et ſi corpus amas; brevis eſt mora, ſiſte parumper,
Deliciis poteris nam ſine fine frui.
Æterno levis excruciat mœrore voluptas,
Atque æterna parit gaudia pœna levis.
Ah qui clauſtra colis mundo jam mortuus, ipſam
Indueris veſtem qua tumulandus eris.
Sis memor ut mortis, veſtis monet ipſa; dolendo
Ah cave, ne fato bis moriare miſer.
Eſt tua vita genus (quamvis optabile) mortis;
Hac tamen æternum vivere morte paras.
Mors mala mors duplex; curas bona terminat omnes;
Principium & vitæ Mors melioris erit,
Quid tamen (heu) meritum per tempora longa paratum
Vana brevi perdit gloria, ſive tepor?
Heu contempta tuas minuet labecula vires;
Si greſſu incedes debiliore, cades.
Et cecidiſſe ſemel ſatis eſt, merita omnia perdes,
Æterno infelix igne cremandus eris.

Ut tamen hos caſus poſſis vitare, minantem
Ante oculos mortem ſemper habere ſat eſt.
Finge animo: in vultu jam pallida mortis imago,
Mœror ineſt animo, membraque languor habet.
Atque aliquis, JESU clamat, dulciſſime JESU
Sis precor æternæ duxque, comeſque viæ.
Affixus ligno JESUS tibi fertur; at ipſum
Cernere vix, manibus non retinere potes.
Quomodo tunc vixiſſe voles, nunc vive, moleſtus
Non equidem, at placidus mors tibi ſomnus erit.
Omnia fac cunctis veluti moriturus in horis;
Si modo tentaris, te modo finge mori.
Te modo finge mori, nec falleris, ultima namque
Eſſe vel iſta dies, iſta vel hora poteſt.
Mors ſit certa licet, nihil eſt incertius illa,
Furtim improviſo repit iniqua gradu.
Heu! moriere quidem, ſed neſcis, inſcie, quando,
Quo mors te maneat tempore, quove loco.
Neſcis an primum veniet prænuntia febris,
An dolor inſolitus mortis in augurium.
An potius tuſſis mala pectoris hoſpita coget
Te prius exigua flare, reflare mora.
Felix, oh poteris ſi te diſponere morti,
Catholicoque prius more paratus eris!
Neſcis ſi campo, vel ſi morieris in urbe,
Si moriere foris, ſi moriere domi.
Neſcis ſi gladio, vel fulminis igne peribis,
Lapſus equo, aut rabidæ raptus ab ungue feræ.
Armento e medio dum taurus obambulat arvis,
Ignarus cornu funera dante perit.
Projectum temere quoties (heu) miſſile ſaxum,
Vel tegula e ſummo lapſa repente necat?
Vel vitio interno nil tale timentibus unquam,
Cum minus expectant, mors inopina venit.

Quod-

Quodque magis miſerum, quot! quot! moriuntur in ipſo
Tempore, quo ſcelus (heu! heu!)
Heu miſeri! æternum miſeri, irreparabile damnum!
Si mors admiſſi teſtis adeſt ſceleris!
Hoc precor, hoc caveas, caveas ſcelus omne, quod unum
Si patras, mortis fors comes illud erit;
Siqua animum inficiunt commiſſa piacula, nondum
Lota ſatis, fletu dilue cuncta pio.
Et ſubito, & ſubito; mors eſt dulciſſima, prædas
Cum labe immunes invenit illa ſuas.
Et ſubito, & ſubito, genus eſt miſerabile mortis
Si te mors veniens invenit eſſe reum.
Certa tibi venia eſt, veniam tamen hora petenti
Si fluat hæc, nulla eſt certa futura tibi.
Adde quod eſt morti lex forſan acerbior, eſt mors
Unica; non iterum, ſed moriere ſemel.
Si poteras primam morte emendare ſecunda,
Improba mors damnum non ita grande foret.
Mercator bona cuncta mari ſi credit, ab uno
Neufragio fieri pauper, inopſque poteſt.
Perdit & imperium, dum Rex ſua regna tuetur,
Dirigat imprudens ſi male caſtra ſemel.
Nec fatale poteſt iterum tentare duellum,
Qui ſemel hoſtili læſus ab enſe cadit.
Si ſemel infelix moreris, nec rite paratus,
Omnia ſunt damno damna minora tuo.
Si ſemel infelix, (nimis hæc ſunt vera) fuiſti,
Infelix, jacta eſt alea, ſemper eris.
Ut tamen hæc vites, memori tria cautus habeto
Fixa animo, antidotus mors tibi mortis erit.
Certa, incerta ſimul mors eſt; ſimul unica; ſed ut
Incertam timeas quotidie morere;
Et felix moriere ſemel, moriendo frequenter,
Eſtque ſalubre prius quam moriare mori.

Se prius ad bellum miles, gladiator ad arma
Exercens, melius damna futura cavet.
Ad mortem exerce te ſæpius, unica mors eſt,
Divide per plures ne ſit acerba, dies.
Mortuus ut vivas, vivus moriaris oportet,
Ut melius diſcas vivere, diſce mori.

JUDICIUM PARTICULARE.

VIX anima humani de carcere corporis exit,
Nec penitus linquit languida membra calor,
Aut humilis pompa extruitur, vel mole ſuperba
Corpus humo exiguis vermibus eſca datur.
Illa volat ſubito, pavidam mora nulla retardat,
Siſtitur & magni Judicis ante thronum.
Lata ſemel ſæclis nunquam eſt revocanda futuris
Sors tua, ceu felix, ceu miſer inde redis.
Spes præbere ſolet miſeris ſolatia rebus,
Sed periit, vitæ quæ comes ante fuit.
Angelus, & Dæmon, duplices varia indole teſtes
Solliciti accedunt ſortis uterque tuæ.
Ferreus huic fertur, fertur liber aureus illi,
Ille vigil cuſtos, hic ferus hoſtis erat.
Quos ſocios vivens te vix habuiſſe putabas,
Qui tua viderunt ſingula geſta, vides.
Integer es vitæ? Judex tibi blanda voluptas,
Dulcis ab Angelico nata ſodale quies.
Sontem animam quantus timor occupat; illa ſeveri
Judicis, & tetri Dæmonis ora pavet.
En ferus hoſtis adeſt, tibi crimina cuncta recludit,
Hæc quoque, mens quorum conſcia ſola fuit.
Nec verba ore tenus caſu projecta latebunt,
Nec leve, ſpernendum quod modo credis, opus.

Ar-

Arguet imo etiam quæ te feciſſe decebat,
Nec facis: heu! meriti prodigus ipſe tui.
Omnia in expoſito deſcripta volumine cernes,
Materies longam non feret ampla moram.
Ictu oculi, ſint plura licet, diſtincta ſeorſim
Cuncta leges, mentis tunc erit ille vigor.
Dæmonis aſpectus, quæ tot mala dextera ſcripſit,
Addet & horrorem linea ducta tuum.
Atra ligat bilis mixtum fellugine ſulphur,
Quale attramentum perfidus hoſtis amat.
Addet & horrorem numerus, nam mente vagatus
Sæpe quidem, & toties non cecidiſſe putas.
Ille aderat vigilans, quamvis incurius eſſes:
Aſpice qualem hoſtem, cui modo credis, habes.
Credere forte negas? ſed dum tamen ipſe latenter
Aſtutus tendit retia, ſponte cadis.
Nunc inhias opibus, vanos nunc quæris honores,
Non ſcelus inviſum, fraus tibi chara venit.
En monitor; vitæ, dixit, nunc commoda quære;
Æterna ut quæras commoda, tempus erit.
Ille tibi dulces, vetitoſque inſtillat amores,
Hoc ſuaſore animo ſæviit ira tuo.
Nec niſi delicias, atque otia blanda parabat,
Vindictæ aſpectus exuit ille truces.
Ah caveas! dulcem qui ſumat ab hoſtibus offam?
Melle ſapit, virus ſed tamen intus habet.
Fallitur occulto ſtolidus ſic piſcis in hamo,
Sic viſco faciles illaqueantur aves;
Hoſtis erant monitus, quæ tu voluiſſe putabas;
Ah caveas! nimium fallere doctus erat.
Tum quo conſilio te ſubdolus iſta monebat,
Agnoſces, quo te finxit amare dolo.
Nam rabie accenſus, quod non reparabile damnum
Prædítus ingenio nobiliore ſubit

Invidus errantem ſtudioſa indagine gentem
Perdere naturæ debilioris amat.
Heu quoties, ſi forte gravi te crimine ſenſit
Eſſe reum, vitæ ſtruxerat inſidias;
Impediit Judex, te ſecum in Tartara ferret
Hoſtis, ubi æternis ignibus eſca fores.
Qualis in obſcura dum tranſit nocte viator,
Qua fune obſtricti ſunt prope tecta canes;
Nil timet, adſtantes quamquam adventare moloſſos
Sentiat, inſcripto limite funis habet.
Sæpe latrare queunt, ſed non infigere morſus,
Omnia perpendens ſi bene cautus eat.
Numina ſic hoſti, poſſis quas noſcere fraudes,
Prælia permittunt viribus apta tuis.
Nempe catenatum retinent ceu fune moloſſum,
Ne tibi crudeli dente nocere queat.
Ille tamen clauſos ceu circuit impiger agnos,
Quærens quem rabido devoret ore lupus.
Ac velut impatiens circum Leo rugit ovile,
Nos ambit, variis perſequiturque modis.
Nunc te jure ſuum vocat ille, & quidquid Averno
Excruciare poteſt, jam tibi mente parat.
Te ſæpe accuſat, librumque oſtentat apertum,
Et prædam, infrendens dentibus, ore petit.
Volve animo reliqua, atque inter ſis cautior hoſtes;
Plenum eſt inſidiis, quo modo tendis, iter
Judicii facies fuit hæc ingrata nocenti,
Sed tibi, ſi ſapias, altera dulcis erit.
Dulcis erit, vitæ ſi tu laudabilis actis
Judicis innocuus tendis ad ora tui.
Angelus a dextris libro bene geſta recludit,
Omnia inauratis conſpicienda notis.
Sedulus excuſat quod mille pericula cogant
Paſſim objecta pedes illaqueare tuos.

Lar-

Larvatuſque hoſtis, cum te jam prona voluntas
Impellat, ficta, qua placet, arte trahat.
Dumque dolos retegis, laus eſt tibi major, & ipſum
Si vincas, meritum grande triumphus habet.
Aſſiduus comes, inquit, eram, fiduſque ſodalis,
Quamlibet admonitus reſpuit ille meos.
Quodque minus redamatus eram, patienter amabam,
Et ſemper præſens, ſæpe repulſus eram:
Nititur in vetitum, & nimium mens debilis errat,
Demerito crevit tum mea cura ſuo.
Velle ſatis fuerat; nam ſi generoſa voluntas
Sponte velit, vires addere Numen amat.
Et voluit: jus cuique ſuum dabat integer; omnes
Cauſam odii oblitus ſtrinxit amore pari:
Diſtribuit miſeratus opes: ſolamina mœſtis
Præbuit, afflictis ſæpe levamen erat:
Mente vigil ſæpe illicitos contempſit amores,
Et nocuos ſocios linquere cura fuit;
Quæ mala deturpant ſenſus, audire recuſans
Verba, pios caſto protulit ore ſonos.
Heu! cecidit quandoque, malo ſed cautus in ipſo
Non alii exemplo procubuere ſuo.
Heu! cecidit, ſed fraude hoſtis deceptus iniqui,
Vix potuit laqueos noſſe, cavere dolos.
Ah! quoties cecidiſſe, animo ad meliora reverſo,
Diſplicuit, lapſus indoluitque ſuos!
Et veniam ſupplex precibus, fletuque rogavit:
Pœnituit, lacrymis eluit omne nefas.
Hinc prono obſequio ſacras reverenter ad aras
Corda polo erectus, lumina fixus humi
Cæleſtem poſcebat opem; ſi mente vagatus
Inde redux, aliis forma precantis erat.
Numinis attribuens dextræ bene geſta benignæ,
Adſcripſit culpæ pauca fuiſſe ſuæ.

Pauca fuere licet; maculiſque inſperſa, miſertus
Aſpice, quod ſemper ſpes ſua dulcis eras.
Sic tua, quidquid agis laudabile, facta recenſet,
Exornans quidquid ſingula laudis habent.
Quæ rite exequeris, quæ nunquam ponis in actu,
Sed cupis, & tantum corde volente geris.
Invenies deſcripta auro: molem addere libro
Tunc fruſtra optabis; nunc potes, adde precor.
Adde precor: ſic gratus eris, qui ſcribit, amico;
Et felix a te poſcit ut eſſe velis.
Sic tibi deſervit Cæleſtis Nuntius aulæ,
Eia age ſic curas demereare ſuas.
Cuncta notat, ceu magna quidem, ceu parva miniſtres;
Angelus aſſiduo ſemper amore vigil.
Ille domi tecum, tecum ſimul ille per urbem
Divertit, quoties rure moraris, adeſt.
Vela dabis ſequitur, portumque accedit eundem,
In patriam jubeas vela redire, redit.
Si curru incedis, curru quoque fertur, & una
Ceu conſcendis equum, ceu pedes ire juvat.
Proximus eſt ſemper, ceu menſæ accumbere gaudes,
Ceu ſtas, ceu placeat currere, ſive ſedes.
Traderis aut lecto, vel ſomno immergeris alto,
Semper amat lateri pervigil eſſe tuo.
Pende animo tantum, quo te dignatur, amorem,
Indignum eſt charo diſplicuiſſe duci.
Quidquid agis, talem bene providus inſpice teſtem,
Tuque illi invigila ſemper, ut ille tibi.
Reſtat at interea tibi Judicis ora tueri,
Tertia quæ ſenſus implet imago tuos.
Spectavit tua geſta hoſtis, ſpectavit amicus;
Quid magis eſt, præſens Numen ubique fuit.
Senſa animi ſignis primi dignoſcere poſſunt,
Sed ſpectat præſens intima corda Deus.

Quid

Quid fugis heu! ſceleris teſtes? videt omnia Numen
Et ſpernis Numen Numinis ante oculos.
Ut meritis pœnam, ceu præmia digna redonet,
Tradidit arbitrio cuncta gerenda tuo.
Suggerit & vires, quibus audax pergis abuti,
Et dono offenſum ſe videt eſſe ſuo.
Propoſuit ſeſe exemplum, nè forte ſalutis
Ardua plus juſto, ſed via trita foret:
Poſcit ab anguſto ſibi corda Puellulus antro;
Hoc breve, quod totus non capit orbis, habet.
Aſpice Paſtores, properantes aſpice Reges,
Huc venit, ut diſcat quiſquis ad aſtra viam.
Virgo Parens, Joſeph, prona & cæleſtis adorat
Aula Deum; exhorrent tartara; mundus ovat.
Et lacerat Boreas, & frigora dira tenellum,
Vix orta efuſo ſanguine vena rubet.
Dum quoque lacrymulas teneris diffundit ocellis,
Non ſua, ſed caveas quæ tua damna dolet.
Crevit, & æternæ tradens documenta ſalutis
Reddidit exemplis utiliora ſuis.
Dum paret Deus ipſe homini, ſubiitque labores,
Nos parere Deo, nos docet ille pati.
Excitet ut vires Numen mortalibus ægris
Non potuit ſtimulo nobiliore frui.
Vel templum accedat, ſeu campo, aut urbe moretur;
Vel nocte obſcura fundat ab ore preces,
Vel cupidos inter populos cæleſtia ſpargat
Semina, vel nutu mira potente gerat;
Vel placide excipiat quiſquis male devius errat;
Omnia ſunt animo ſæpe terenda tuo.
Sed mage detineant meditantem ſingula mentem,
Ultima queis, quantum poſſit amare, docet:
Vincla ſubit, trahiturque abjectus, & ante tribunal
Siſtitur infamis victima judicii!

Gens

Gens ſcelerata Deo illudit, venerandaquè fœdat
Ora, artus cruciat, percutit auſa genas.
Spinea ſerta caput per mille foramina rumpunt,
Dilacerant corpus dira flagella ſuum.
Jam loca vulneribus deſunt: in vulnere vulnus
Sæpe cadit: vivos denſat ubique cruor.
Nec ſatis hæc: cerne infami pendentia trunco
Membra; manus ferrum tranſodit, atque pedes.
Sol ſeſe abſcondit, tremit orbis, & omnia mœrent;
Ille pati pro te, ſuſtinuitque mori.
Brachia in amplexus homines expanſa requirunt,
Et caput inflexum more vocantis habet.
Omnibus abſciſſo cor pectore amabilis offert;
Ne fugiat, plantas cuſpide fixit amor.
Hæc, & plura, olim, quæ Judex pertulit inſons
Sunt tandem ingratis objicienda reis.
Quid miſer interea tanta ad benefacta repones?
Quantus ab ingratis tunc pudor oris erit!
Quam merito Judex fontem damnabit ad ignes!
Quam merito partes vindicis ipſe geret!
Plangite mortales, iram placate tonantis,
Judicis ad veniam dum vocat ille reos.
Tempus adeſt veniæ, venia eſt oblata petenti:
Sponte parat damno commoda noſtra ſuo.
Proque reis mortem ille ſubit, Judexque futurus,
Si ſapias, pœnas jam luit ante tuas.
Poſtquam immortalis de morte revixit, amantem
Inter mortales ſedula cura tenet.
Interdicta prius ſupero commercia cælo
Explicat, & clauſas dat reſerare fores.
Inde preit, ſedeſque parat, promiſſaque nobis
Præmia, queis finem ſæcula nulla dabunt.
Sed ne factus homo penitus nos deſerat, artem
Invenit, ut nobis ſit ſimul orbe comes.

Nam-

Namque Sacerdoti, vix verba potentia profert,
Dat panem in corpus vertere poſſe ſuum.
Sic colitur Numen ſub panis imagine præſens,
Quod nequeunt oculi cernere, mente vides.
Cum ſæpe eſurias facilis tibi menſa paratur,
Et tibi divino ſanguine potus adeſt.
Quam merito Angelicum ſic juſſit adeſſe Miniſtrum,
Nempe ſuæ pretium nobile mortis eras.
Sume pares animos, te ſummum ad grandia Numen
Præparat, e ſuperis qui tibi ſervit, adeſt.
Auxilium Deus ipſe offert, tua corda ſagittat
Admonitor, promptam ferre paratus opem.
Quid dubitas igitur Domino parere vocanti?
Si metuis Dominum, viſcera patris habet.
Aſpice quo voluit ſe nomine ſæpe vocari,
Qui Rex omnipotens, qui moderator erat.
Nos fratres vocat ille ſuos, nunc dicit amicos,
Nunc genitos, ſervi qui ſibi nomen amat.
Nec tenuit miſeris nomen præbere deorum,
Nunc dulces ſocios, diſcipuloſque vocat.
Nomina ſi forſam renuiſti chara mereri,
Judicis offenſi nomina dura time.
Ante oculos lignum, de quo Deus ipſe pependit,
Ante oculos fontes quinque ſalutis habes.
Vulnera ſervari voluit, quaſi ducat honori,
Et quaſi jactet amor dulce fuiſſe pati.
Si male gratus eris, major tibi pœna reſultat,
Major ab irato judice pœna venit.
Non prece, non pretio eſt judex placabilis ullo;
Æterna dignus morte perire, perit.
Non bene geſta prius, ſuperum nec vota juvabunt,
Si pœnam extremum forte meretur opus.
Quid tamen heu! teſtes, quid judiciis ora requiris?
Ipſe tibi Judex, & tibi teſtis eris.

Quæ

Quæ modo te ſtimulis mens anxia pungit acerbis,
Hæc dirimet ſortes arbitra facta tuas.
Crimina ſi mentem inficiunt, fera vulnera ſentis,
Qui ferus eſt nimium rodere, vermis adeſt.
Gaudia ne fingas, intus te culpa flagellat,
Quæ vultu eſſe negas ulcera, corde latent.
Res tua nunc agitur; cur ſic male credulus erras?
Non aliis moneo credere, crede tibi.
An te ſtultus ames ſimulatis fallere curis?
An renues animum conſulere ipſe tuum?
Tu neſcis odio, vel ſis modo dignus amore,
Sed ſcis, quod quoties Numen ametur, amat.
Eſſe reum, & certo flammis ultricibus olim
Damnandum (horreſco dicere) ſcire potes.
Scis bene quam vigili comes Angelus adſit amore,
Quoque odio Dæmon nectat ubique dolos.
Tres tibi tunc aderunt, cum ſpiritus exuet artus.
Felix, præſentes, ſi modo noſcis, erts.
Quidquid ages, primum te conſule: dic tibi ſemper
Angelus, & Dæmon, quod mage, Numen adeſt.

PURGATORIUM.

QUæ tu ſæpe vocas peccata leviſſima, ſi ſunt
Talia, quæ ſummo diſplicuere Deo,
Non adeo grave pondus habent, ut in horrida tandem
Tartara præcipites dejiciant animas,
Sed quod magna venit miti ſub Judice pœna,
Debuit hæc magnum culpa fuiſſe malum.
Nulla placent cælo, niſi ſint puriſſima, ſordes
Cur minimas cordis deſidioſus amas?
Aureus eſt diſcus; dum pulvere ſordet, in illo
Offerres Domino fercula grata tuo?

Flos tibi ſeligitur, qui nobile pectus adornet,
Quaslibet obſervat ſedula cura comas.
Pulvis adeſt tenuis, vel liquit aranea filum,
Excutis attenta per latus omne manu.
Sic cum tempus erit ſummo te ſiſtere Regi,
Vel minimis purum ſordibus eſſe decet.
Has modo tu facili poteras abſtergere cura,
Ni facias, magnus reſtat ab igne dolor.
Scilicet ut fulvum cruciatur in ignibus aurum,
Quod mixtum exigua fæce recondit humus;
Non aliter te flamma olim diuturna piabit,
Sordibus ut terſis regna beata colas.
Ac ſi forte gravi fœdatam crimine mentem
Eluis, admiſſi pœnituitque mali,
Non reus es mortis, tibi reddit amabile vultus,
Teque ſuo rurſus Numen amore beat.
Ante ſuos oculos nimium execrabilis eſſes,
Projicit oblitus poſt ſua terga ſcelus.
Culpa quidem veniam meruit, ſed debita culpæ
Reſtat adhuc juſtis pœna luenda modis.
Forte inquis; vitæ dum ſint mihi certa futuræ
Gaudia, quid timeam poſt mea fata moras?
Falleris ah! dextra non dirigis arte ſagittam;
Altior eſt oculis meta petenda tuis.
Ni facias, ſenſim declinat in aere telum,
Evadetque ictus præda petita tuos.
Quidquid agis, cælum ſtudeant bene geſta mereri;
Sit mora poſt mortem, ſi ſit habenda, brevis.
Nec tibi ſufficiat veniam obtinuiſſe; manebit
Spes, dubiumque ſimul, cum dubioque timor.
Ut ſperes, Domini confirmat prompta voluntas;
Ut timeas, neſcis pœnituiſſe ſatis.
Nec tibi ſit tenui labes tenuiſſima curæ:
Forte ingens crimen, quod leve credis, erit.

Qui

Qui ſpernit modicum, paulatim decidit: implent
Mole brevi haud fruges horrea, ſed numero.
Adde quod a parvis ingens corroditur arbor
Vermibus, & funem fila minuta ſtruunt.
Culpa levis repetita gravem vel reddere culpam
Contigit; aut vires debilitare tuas.
Non ſint lethales, qui languida corpora morbi
Affligunt, facili mors venit inde gradu.
Membra dolent, languent vires, & febris adurit,
Oſſa tremunt, ſaniem vulnera ſparſa vomunt.
Finge animo mala quod miſero glomerantur in ægro,
Huic ſimilis (mortem deme) redactus eris.
Inferus hoſtis adeſt, forſan feret ille triumphum,
Prælia dum renovat viribus, arte, dolo.
Ipſe parum ægrotans non pugnæ crederis aptus,
Vinces tot morbi cum coiere ſimul?
Deſcendit montis qui per declive viator,
Semita præcipitem qua facit arcta viam,
Cautus eat; cadere in plano cui contigit unquam,
Quam facile infelix per juga prona ruet.
Sic quæ parva vocas, ne dein graviora recurrant
Crimina, ſollicito ſunt fugienda metu.
Atque ita crudeles vitabis in igne dolores,
Et poteris Dominum lætus adire tuum.
Gaudet Amans, te quando hoſtis vel parva timentem
Crimina, non audet grande monere ſcelus.
Jam tibi quo ſtudio culpa eſt vitanda, pependi;
Qua fugias pœnas arte, docendus eris.
Si modo te crucias, magno cruciabere lucro;
Dulce erit hic pœnas anticipare tuas
Pœna levis magnam ſupplet, Numenque valorem
Addit, ut officio vindicis ipſe preis.
Pronior ad veniam, ſuſceptos ſponte labores
Æſtimat, & magno computat in pretio.

Sed

Sed pietas poſt fata nequit prævertere Leges
Juſtitiæ; pœnæ regula crimen erit.
Aurea compenſat librarum millia centum
Ærea, par pretio eſt aurea, mole minor
Sic dolor hic tenuis duro reſpondet, & annos
Compenſat ſtudiis quæ datur hora piis.
Funde preces, ſæpe accedas reverenter ad aras,
Ignarus per te diſcat ad aſtra viam.
Longa rebelle tuum macerent jejunia corpus,
Et lacerent artus dira flagella tuos.
Quæque latet veſtis, ſeu crinibus aſpera rodat,
Ferrea ſeu ſpinis pungat acuta ſuis.
Non molli ad ſomnum te pluma immergere cures,
Diſcere plura animo qui vigilante potes!
Fercula nunc renuas, quæ ſunt mage grata palato,
Nunc potu abſtineas, qui mage gratus erit.
Aut potius quidquid cupias tibi ſæpe negabis,
Pœna animi major, quæ latet intus, erit.
Prælia ſint cordi, ſua ſint quoque prælia menti,
Sæpe tui, ſi te diligis, hoſtis eris.
Hoc vitæ aſperius genus eſſe putabis, at illa
Aſperior quantis pœna futura modis!
Si modo cum vivis, vitam traducis amaram,
(Et tibi det longos Numen in orbe dies)
Nil pateris, ſi quæ mala ſunt ſubeunda, rependis;
Sola licet ſordes expiat hora tuas.
Divitibus Numen dat per compendia Cælum,
Si ſapiant, opibus poſſe parare ſuis.
Crimina ſic redimas, ut convenit utere nummis,
Inque tuum cedat plena crumena bonum.
Da miſeris, querulo præbe ſolamen egeno,
Munificam agnoſcant & ſacra templa manum.
Unicus eſt rerum Dominus; ſi rebus abundas,
Ut bene diſtribuas, dat tibi largus opes.

Eſt

Eſt tibi forte parum, de parvo divide prudens;
Reſpondent parvis præmia magna datis.
Hac tutas ſolum arte potes tranſmittere cælo,
Et multo augendas fœnore divitias.
Oh qui clauſtra colis, qui ſponte relinquere gaudes
Omnia, cumque opibus ſpem quoque perdis opum;
Quæ linquis, Deus ipſe notat, quæ linquere velles,
Et parat immenſo præmia magna lucro.
Adjiciunt lucrum, quos regula ſancta labores
Præſcribit, quos tu ferre libenter amas.
Majorem at poſcunt a te pia Numina curam,
Ut majora parant præmia, pluſque juvant.
Semita reſtat adhuc fugientibus altera pœnas;
Hac ſtudeas agili ſedulus ire gradu.
Unius arbitrio mortalis tradidit olim,
Theſauri claves Chriſtus, opeſque ſui.
Sic voluit nobis operum merita ampla ſuorum
Dividere, in fluvios ſic mare ſpargit aquas.
Immenſum reſerare penu conceſſit, ut inde
Tantum omnes poſſent participare bonum.
Unde aliquod præſcribit opus, ſeu fundere certa
Lege preces, cum fas, cauſaque juſta movet.
Reſpondent parvo tibi præmia magna labori,
Nunc tibi nunc aliis providus eſſe potes.
Nunc aliis dixi; quod enim cor durius ære,
Si valet, haud fratres eripit igne ſuos?
Qui tibi forte Parens tot rura reliquit, & agros,
Dumque ſoror vixit tam ſtudioſa tui,
Quæ nunquam lacrimas pro te pia fundere Mater
Deſierat, nato ſæpe repulſa ſuo,
Aut etiam longo tibi tempore dulcis amicus,
Sanguine qui junctus, ſeu tibi corde fuit.
Forſitan heu! ſævo cruciantur in igne per annos,
Et potes heu! tanti cauſa fuiſſe mali.

Oh

Oh oblite tui, dicunt, oblite tuorum
Quid ferus in tantis nos ſinis eſſe malis?
Accipe tot dulces inter ſuſpiria queſtus,
Accipe, quas humili fundimus ore preces.
Sic periit tua pacta fides? quid ſancta juvarunt
Promiſſa, & lacrymis funera noſtra ſequi?
Quid juvat antiquos dulci memorare ſodales
Nomine, & ereptos non ſine laude queri?
Vos tamen (hoc ſaltem moveat) patienter amamus
Firmus erit toto tempore noſter amor.
Heu! male deluſi quonam uſque feremus? amicum
Auxilium nobis ſuffice, quiſquis amas.
Fac liciat citius cæleſtia regna ſubire,
Et veniant dono gaudia noſtra tuo.
Numinis ante thronum toto laudabere Cælo,
Laus tua, ſi celeri ſorte beamur, erit.
Noſque tui memores, qui nunc tibi fauſta precamur,
Quam mage tunc gratos convenit eſſe, ſcies.
Eja age, nos ſævis, quoniam licet, eripe flammis,
Sanguinis hoc vinclum poſſit, & arctus amor.
Sic tibi de mediis vocem cruciatibus edunt,
Votane dum ſentis anxia, ſurdus eris?
Si videas inopem, quem jam languore cadentem
Exhalare animam cogat anhela fames,
Dum te circundant alimenta ſuperflua, forſan
Abnueres promptam ferre miſertus opem?
Quid tamen hos memoro? facies tibi cognita nunquam
Si venit ante oculos, cor movet ægra tuum.
Humana nos erga homines ſumus indole nati,
Qui ſecus, ille feræ pectus ad inſtar habet.
Ac veluti manus una manum, lavat utraque vultum,
Sic quiſque in reliquos utilis eſſe cupit.
Finge feros animos: aliqua eſt prodeſſe voluptas,
Bella gerunt; animo ſemina pacis habent.

Attamen ut mites ſerves in pectore ſenſus;
Se tuus in cunctos ſponte propaget amor.
Atque animo inſtaura veterem miſeratus amorem;
Quos bene noſcis, opem, quam meruere, rogant.
His pius, atque aliis eſto, pluresque viciſſim,
Pro te ſolliciti, ſi crucieris, erunt.
Qui vivus juvat extinctos, peritura relinquens
Membra vicem recipit, queiſque juvetur, habet.
Dumque alios relevas pœnis, tibi conſulis ipſi,
Hac te venturis ſubtrahis arte malis.
Ut facias, quam magna animas ea flamma piandas
Excruciet, vigili pendere mente velis.
Non ſecus obſcuro miſere excruciatur Averno,
Damnata æternis perfida turba rogis.
Pœna eadem, ſed fine caret, de carcere duro
Portam, qua felix egrediare, vides;
Quam longæva tamen tibi pœna videbitur! annos
Momenta, & credes plurima luſtra diem.
Poſtquam immiſſa vorant periturum incendia mundum
Non ultra extendi jam tua pœna poteſt.
Sed quod mundus adhuc conſtet, mirabere, reſtant
Sæcula, nunc pauci tantum abiere dies
Unica crudeles minuunt ſolatia pœnas,
Quod dextram, quæ te percutit, intus amas.
Velle tamen, non poſſe frui, nova vulnera Cordi
Imprimit, & pœnas, qui levat, addit amor.
Ac veluti ſtimulante ſiti petit impigra rivum,
Quem procul aſpexit cerva fluentis aquæ,
Præcipitat ſeſe perque avia, & invia metam,
Ore propinquanti tangere viſa ſuam.
Incidit in laqueos pedibus male vincta paratos,
Heu! dolet, & miſeram fervidus æſtus agit.
Et fruſtra extenſo pertingere ſæpius ore
Quæritat optatam, quæ prope currit, aquam.

Non

Non aliter dum Numen amas, ſitibundus anhelas,
Et prope ſit quamvis, non datur inde frui.
Non modo cognoſcis, quis ſit poſt funera mœror,
Non ſubito ad Numen poſſe volare tuum.
Finge animo, quotquot poſſunt torquere dolores,
Finge animo quidquid triſtia corda facit.
Omnia tu medio patiere libentius igne;
Namque omnes ſuperat pœna, carere Deo.
Sortis damna tuæ, tunc mens mage libera noſcet,
Atque dolor creſcet, quo mage creſcet amor.
Ah Domine exclamas; ſed te miſer ipſe dolebia
Non Domino interea poſſe placere tuo?
Ah Domine exclamas vitam piger ipſe peregi,
Quam pudet inviſas nunc meruiſſe moras!
Quando erit illa dies, qua læta admiſſus in aula,
Perfruar aſpectu, Conditor alme, tuo.
Quando erit illa dies, quæ me ſuper aſtra videbit
Cum ſuperis laudes ingeminare tuas?
Ibo equidem; tu rumpe moras, optabile Numen,
Pars fiam Angelicis aſſocianda Choris.
Non ego crudeles flammas, quæque intima ſenſus
Mille modis feriunt vulnera, ferre queror.
Damnum urget majus, major me pœna flagellat;
Quod quamvis præſens ſit mihi Numen, abeſt.
Felices utinam daret hæc lux proxima viſus,
Impedit at greſſus dira catena meos.
Eſt prope clara dies, tenebris dum claudor amaris,
Meque ferus noctis mœror, & horror habet.
Sic ſe ſollicitis mens opprimit anxia curis,
Pluſque dolet pœnis dilacerata novis.
Ergo age: feſtina modo tempore ſedulus uti;
Eja age, ni facias, utile tempus abit.
Ni facias, facile incautos incurrere pœnam
Concipe; prima animi cura ſit iſta tui.

Altera ſit facili pœnam vitare labore;
Quod bene nunc aliis, quod tibi proſit, age.
Tertia cura ipſas ſit deinde expendere pœnas;
Sic pius in reliquos, ſic tibi cautus eris.

JUDICIUM UNIVERSALE.

EN tuba ſumantem reboans procul excitat Orbem;
Arida terribilis permeat oſſa fragor.
Nempe licet mundus, jam non habitabilis omne
Perdiderit, flamma cuncta vorante, decus:
Corpora diſperſo rediviva e pulvere ſurgent,
In cineres iterum non abitura leves.
Quique color fuerat, quæ priſtina forma, redibit,
Juncta ſuis vivent reddita membra locis.
Ante tamen deſerto animæ ſpargentur in Orbe,
Amiſſi ut repetant corporis exuvias:
Sorte ſua felix, quæ læta recuperat artus,
Aut hos, aut ſimiles edere viſa ſonos.
Dulcis amice veni ut fueras comes ante malorum,
Debueras ſortis nunc comes eſſe meæ.
Sæpe repugnantem domui, nec pœnitet, hoſtem,
Cum foret in vetitum vis tua prona malum.
Non odio, ſed amore tui imperioſa coegi
Cedere; cedendo tu quoque victor eras.
Nunc cum membra animus jam non mortalia veſtit,
Participat curis gaudia parta ſuis.
Dulcis amica veni, membra exultantia dicent,
Oh anima! oh noſtræ vinculum amicitiæ!
Tradita divino noſtri cuſtodia juſſu,
Quam tibi ſolliciti cauſa timoris erat.
Nos bene chara comes de te meruiſſe fatemur,
Sed mage de noſtro te meruiſſe bono.
Indue nos ultro, non jam tibi membra reſiſtent:

Gau-

Gaudia ſola manent, jam timor omnis abeſt.
Jam timor omnis abeſt, nos tempore longior omni
Mutuus æterno fœdere jungit amor.
Quæ tamen inviſis ſunt dedita corpora flammis,
Terribiles edent diſpare voce ſonos.
Sic tibi commiſſum, ſic traditor impie, corpus
Imperio vigili ducere cura fuit!
Pulvis adhuc maneam, dum ſpiritus expiat igne
Officii curas præcipitaſſe ſui.
Non erat utendum ſtimulis, non vindice fræno?
Quis ſinat indomitum currere ductor equum?
Siccine crudelis! Vas fictile ſponte deorſum
Tendit, ſervandum te renuente fuit.
Aſperet æterno tibi corpus in igne dolorem,
Heu vindicta malis, perfide, juncta meis!
Oh culpæ inſtrumenta meæ, reſpondet acerba
Voce anima, in pœnas reddita membra meas!
Nonne ſatis fuerat vobis ſervire tot annos,
Quærere per damnum commoda veſtra meum?
Pars ego nobilior peream vas fictile propter,
Proh dolor! æternis dedita ſuppliciis!
Sed fruſtra hæc: totum jam colligit Angelus orbem,
Collectum, ut ſignum dat tuba, Vallis habet.
Undique conveniunt utroque a Cardine mundi,
Quatuor a ventis undique conveniunt.
Conveniunt qui primam Orbis videre juventam,
Quas media aut ætas, poſteriorve tulit
Adſtabunt: manet æterno formanda ſigillo
Gloria, ſive gravis tempus in omne dolor.
Fœmina, virque aderit, pueri, juveneſque, ſeneſque,
Nobilis, abjectus, dives, inopſque ſimul;
Dulcis amicitiæ vinclo, vel ſanguine juncti;
Quiſque vel a ſolo nomine notus erant;
Siquis cauſa tuæ fuerat culpata ruinæ,

Et ſi cui damno fors tua culpa fuit.
At bonus in cælum monitor ſi ducere quenquam
Curaſti, exemplo ſeu ſtetit ille tuo:
Hic tibi lætus aget grates, gaudebis in illo,
Senſa animi agnoſces, vel ſine voce, ſui.
Judicii pars prima, omnes ibi cernere junctos,
Sit tibi ſæpe animo diſcutienda tuo.
Heu tua nunc uni renuis commiſſa fateri
Vulnera, qui partes nota medentis agit.
Nec ſatis: hæc nullo vulgari tempore poſſunt.
Unius in tacito corde ſepulta manent.
Sed cunctis modo cuncta patent, quanquam abdita mentis
Senſa forent; cælum, terraque teſtis adeſt.
Una aderunt genii, quotquot cæleſtibus oris
Lætantur, quotquot Tartara mæſta colunt.
Oh utinam media poſſis ſimul eſſe corona,
Victor ut eſt miles, cum videt ora ducis.
Si tamen æternos crucianda pararis in ignes
Victima, dira oculis ſunt tibi cuncta tuis.
Præcipue Judex: oh nomen amabile quondam
Nunc facies vili perſpicienda metu.
Sors potius, dices, mihi congerat atra dolores,
Quidquid id eſt, lateat Numen, & ipſe feram.
Ecce procul mediam Numen ſpectabile nubem
Occupat, aurato jam ſedet ecce throno.
Vultu quo cælum, tempeſtateſque frementes
Temperat, immenſum cernit utrinque gregem.
Quæ ſibi ſervat adhuc, te vulnera quinque docebunt
Morte ſua redimi nos voluiſſe Deum.
Signifer in dextra noſtræ vexilla ſalutis
Oſtentat, ſignum nobile, nempe crucem.
Eſt prope Virgo Parens, quæ nunc tibi ſedula Mater
Providet, & partes ſponte juvantis agit.
Hic ſimul excipient ter quatuor ordine ſedes,

Quos,

Quos, cum factus homo vixit in orbe Deus,
Selegit comites, & eorum exempla ſequuti
Sorte pari ex ſolio, Judicis inſtar, erunt.
Quos forte abjectos inſanam ducere vitam,
Et nullo irridens credis honore mori;
Nobiliore loco totus mirabitur Orbis
Conſpicuos ſummum promeruiſſe decus.
Tum reliquæ ſine ſorte datæ, ſine judice ſedes
Æthere pars melior, peſſima valle manet.
Cæleſtes faciunt diſcrimina prima Miniſtri,
Et loca diſtribuunt, quæ meruere, bonis.
Hæc ſelecta cohors dum fulget in aere, fronte
Signatum JESU nomen, & omen habet.
Contraxere aliqui maculas ſed ſanguine terſas
Divino, nulli dedecus eſſe queunt.
Partem a Tartareis (ſed proh quam diſpare ſorte!)
Collectam Geniis infima vallis habet.
Inferna huc miſeros compellit turba, nigranti
Horrida tam vultu, quam violenta manu.
His Erebi furiis mixtum miſerabile vulgus
Non profecturis fletibus ora rigat.
Quis dolor, & rabies lacerabit viſcera, dum ſe
Contemni, atque alios tanto in honore videt?
Nos ſuper o magni, dicent, deſcendite montes,
Hauriat ah miſeros terra, vel unda voret.
Hic modo quem patimur, non eſt tolerabilis horror,
Quem patimur, gravior fit modo morte pudor.
Quos male credidimus quondam traducere vitam
Inſanam, æternæ gaudia ſortis habent.
Nos inſenſati, qui ſtultos diximus olim,
Æternum infelix turba vocanda ſumus.
Dumque fremunt, horrent hirſutis membra capillis
Livida, corque feros ſpargit in ore metus.
Felices fieri poterant: heu cæca voluntas

Diſtraxit miſeros: ſat voluiſſe fuit.
Ultima ſufficeret vitæ neglecta prioris
Hora, ſed hanc, tempus qui terit omne, terit.
Nec mora, manſuetos ad dextram ſeliget agnos
Ad lævamque hædos Paſtor abire jubet.
Paſtoris, voluitque Agni ſibi nomina Judex,
Nunc Agnis ſimiles, Agnus & ipſe legit.
Siſte, hominum ſortes varias nunc mente revolvens,
Dic precor: Obveniet qua mihi ſorte frui?
Felices animæ (rutilanti in nube ſedentis
Judicis, & Domini verba loquentis erunt.)
Felices animæ, cæleſtia regna paravi,
Et totidem vobis gens mihi grata thronos,
Eja agite, ad ſuperas jam mecum aſcendite ſedes,
Gloria non vobis imminuenda manet.
Vos mihi ſepoſui charam gaudere cohortem,
Atque in fronte dedi nomen habere meum.
Stulta cohors, quam læva tenet, deſcendat in ignes,
Nec videat faciem tempus in omne meam.
Quamque Ego decrevi genios cruciare rebelles,
I, propera ad triſtes, perdita turba, rogos.
Queis fiunt ultro ſimiles, conſortia jungant,
Nil ſupereſt, vultus quod ſit imago mei.
Quas ego præſcripſi, quantum obſervantia legum
Interſit, monſtrant præmia, pœna docet.
Præcipue juſſi (quam lex ea dulcis!) amorem;
Juſſit amare Deum lex, & amare homines.
Ah memini, ſæpe afflixit ſitis arida fauces
Dira mihi potum dextra negavit aquæ.
Cum mihi dira fames cruciaret viſcera, nullus
Vel tenuem voluit ſuppeditare cibum
Nudus eram, nullus tegeret qui membra repertus:
Æger eram; nullus ferre paravit opem.
Sæpius hoſpitio miſer advena privor amico;

Dum

Dum premor anguſto carcere, nullus adeſt.
Vos dilecta cohors, inveni ſæpe faventes,
Et ſponte obſequiis invigilaſſe meis.
Cur noſtra immerita mulcetur laudes voluptas?
Reſpondet placido turba beata ſono.
Siquis enim auxilio te conſpexiſſet egentem,
Grata eſſet Dominum cura juvare ſuum.
Ipſe aderam, & quidquid miſero feciſtis egeno,
Numen ait, refero ceu mihi facta forent.
Siquis amat, legem obſervat, fraterque vocari
Ut volui, noſco fratris amore meos.
Ite animæ viles; vos mecum aſcendite; cuncti
Extemplo vacuum deſeruere locum.
Singultus, gemitus, lacrymas, ſuſpiria, queſtus
Excitat hinc rabies, cumque dolore furor.
Hinc dulces cantus ſuaviſſima gaudia produnt,
Laus, amor, & grates murmure ovante ſonant.
Judicii ſupereſt pars tertia; non tibi parvo
Tempore, nec cura diſcutienda levi.
Finge, age, te lævum (nullum ſit in omine pondus)
Arripere in flammas, queis crucieris, iter.
Heu quam triſte chaos, ſerieſque immenſa dolorum!
Quot mala jam pateris, quot toleranda manent!
Non tibi chara Parens vultus advolvet amœnos,
Non atavus partes compatientis aget.
Sorte ſua exultans ſoror eſt, nec ut ante ſolebat,
Soliciti frater cauſa doloris erit.
Huic forte admiſſi præbebas criminis anſam,
Gaudet & errores corripuiſſe ſuos.
Hic, modo quem cernis, te juvit ſæpe monendo,
Sæpe adjutrices præbuit ille manus.
Nemo dolet miſerum, tibi nec ſolatia quærit,
Nec turbare poteſt gaudia cura tui.
Filius ecce tuus, cui tot documenta dediſti,

Qui-

Quique fuit felix te duce, lætus abit:
Tot curis afflicta uxor, tot paſſa labores
Et vacua pauper juſſus abire manu.
Cui fuerat per te nunquam laudabile nomen
Cuique tegis morſus invidus arte tuos.
Vindictæ cupidus, ſequeris quem ſubdolus hoſtis,
In quem odii præſens publica ſigna vomis.
Quem tenuit longos, te judice, carcer in annos,
Cum liceat querulos imminuiſſe dies,
Tot noti, & chari, quos inter degis, amici,
Qui comes, & lateri neſcit abeſſe tuo,
Lucida fulgebunt omnes ceu ſidera Cælo;
Te flammæ expectant ſed ſine luce globi.
Quam male perdideris ſero tua tempora, diſces,
Quodque nimis ſapias nil tibi ſcire juvat.
Te tua conditio, atque aliorum gaudia torquent,
Quæque adſunt pœnæ, qui comitantur, erunt.
Diſplicet hic longo, quod ſit tibi cognitus uſu,
Quod bonus hic monitor, quod malus ille, doles.
Hunc forte odiſti, creſcunt odia aſpera, & iræ,
Majori, quam nunc, rumperis invidia.
Frater, Avus, Patruus, Matertera, Filius, Uxor,
Nomina, quæ cordi cuilibet eſſe ſolent.
Vel ſuper aſtra volent, vel tecum in tartara tendant,
Cor tibi pungenti dilaceratur acu.
Oh qui clauſtra colis, qui Judicis ora tremiſcis,
Eſt tamen ipſe tuus mixtus amore timor.
Utiliter metuis tibi nunc, venit utilis horror
Prævius extremum qui venit ante diem.
Gaudebis timuiſſe prius, gaudebis amaſſe,
Cum te ducat amor, ducat in aſtra timor.
Sed ſi propoſito male tramite devius erras,
Quid juvat heu rectas arripuiſſe vias?
Quid ſimulaſſe juvat dum vivitur, arte ſodales

Fal-

Fallere, collecto non tamen orbe potes.
Forte pius fueras; fert ultima pugna coronam,
Stulte, quid in puncto parta trophæa jacis?
Aſpicies, eadem inſtruxit queis regula mores,
Adſcribi, Angelicis agmina læta choris.
Ecce tuos a te via dividit invia fratres;
Interjectus obex, qui remoretur, adeſt.
Tecum una degunt, tectoque morantur eodem,
Nilque tibi diſpar, quod videatur, habent.
Sed Judex occulta videt, videt intima cordis;
Nil tectum eſt; cunctis, quæ latuere, patent.
Quis rubor! heu facies qualis tua, quantus & horror
Tunc erit, & qualis mentis imago tuæ!
Cuncta odio furioſus habes, tunc noſcere dignum
Te cunctorum odiis eſſe coactus eris.
Tum reliqui te deſpicient dum deſpicis omnes;
Ipſe places nulli, nec tibi quiſque placet.
Singula quid referam? tu ſingula mente revolvas,
Cum legis hæc; felix ceu miſer eſſe potes.
Et potes antiquos lætiſſimus inter amicos
Degere, teque aliis mutuus addet amor.
Si jucunda tibi vis judicis ora tueri,
Nunc impreſſa animis hæc tria ſemper habe.
Finge procul reſonare tubam; mens applicet aures
Uno extemplo omnes cerne coire loco.
Judicis inde thronum obſerves, ſedeſque propinquas
Quæ mens dumque vides, dumque videris, erit?
Judicis ad dextram ſtabis? lævusne ſiniſtram?
Dum tua perpendis peſſima geſta, time.
Hæc poſtquam verſata animo bene digeris, audi
Quæ tibi, quæ reliquis diſpare ſorte manent.
Si facilis tantum juvat obſervantia legum,
Quid modo ſuave jugum, quid leve ſpernis onus?
Si legem obſervas, te præmia certa manebunt,

For-

Forte cadis, ſi vis ſurgere, ſalvus eris.
An parere Deo renuis? Vel dura jubenti
Parendum: at nobis, quod jubet ille, leve eſt.
Ultima pars ſupereſt: diviſis undique turmis,
Aſpice qui comites, quod tibi reſtat iter.
Adſtupet, abripitur magnarum in imagine rerum,
Dum magnum expendit mens tua judicium.
Quæ melius pingunt facunda ſilentia menti,
Non importuno diſcutiam alloquio.

INFERNUS.

VIvus ad Infernas precor ah deſcende tenebras
Ne moriens illuc non rediturus eas.
Nunc facilis deſcenſus erit, faciliſque regreſſus,
Mens longum exiguo tempore curret iter.
Multa, nec inficior, miſeranda, horrendaque cernes:
Cerne tamen: gravior nam dolor illa pati.
Singula cum nequeas, tria ſaltem mente reſerva;
Quas animæ pœnas, corpora quaſque ferant.
Adde locum pœnæ, tenebroſum ſcilicet antrum,
Horrendum fumo ſulphureiſque rogis.
Quam metuenda loci facies! hanc aſpice primum;
Singula qua poteris ſedulitate, notes.
Singula dum fixa taciturna mente notabis,
Sedulus obſerva fine carere ſuo.
Sub terra en barathrum jacet in caligine merſum,
Nox ubi perpetua eſt; umbraque mortis adeſt.
Non Phœbus radios, non explicat aurea Phœbe;
Sidereæve micant nocte ſilente faces.
Semper at horrenda denſantur nocte tenebræ
Urit inextinctus ſed ſine luce rogus.
Cerne locum piceo ſtagnantem lumine mixto
Sulphure, vel ſiqua eſt aptior eſca rogis.

Cer-

Cerne ſuperpoſitam telluris & undique molem,
Claudentem centro ſtagna pavendá ſuo.
Omnipotens quondam maghum cum conderet orbem,
Plectendis poſuit talia clauſtra reis.
Cumque rebellaſſet cælo pars magna cohortis
Aligeræ tetro carcere clauſa fuit.
E ſuperis nimbo ſimilis, & grandinis inſtar
In nigra detruſi tartara præcipitant.
Et quæ nuper erant cæli ſpecioſa voluptas
Mox Erebi furiæ, monſtraque fœda manent.
His locus hoſpitibus plenus mage lumina terret,
Et longe horridior, quam modo credis erit.
Exanimis pallet Bernardo teſte, caditque
Horrida qui tetri Dæmonis ora videt.
Utque animus rediit, Stygio cruciabor ab igne
Judicii extremum, dixit, ad uſque diem.
Ante meis quam dira oculis hæc monſtra propinquent,
Eſt mihi jam nimium, viſa fuiſſe ſemel.
Unus apud ſuperos Dæmon ſic terruit: orbe
Quantus in inferno tot ſimul horror erunt?
Horrendo quam plena metu, quam plena tumultu
Illa ubi tot ſtabulant millia clauſa domus?
Terribiles viſu formas in imagine ſumunt,
Sed propriæ formas indolis eſſe vides.
Inſtrumenta feri cruciatibus apta miniſtri
Ingeminant, dextris expediuntque ſuis.
Et pice pars complent, pars ære liquentibus ollas,
Subjiciunt prunas flammiferaſque faces.
Cætera conveniunt: domui nam tota ſupellex,
Et ſimul horrendis convenit hoſpitibus.
Proh dolor! ipſa domus metuendo extructa paratu,
Humani generis millia quanta capit!
Nobilitas cum plebe, ſimul cum paupere dives,
Hic quoque qui paret, qui dominatur, adeſt.

Am-

Ambitione avidos hæc excipit aula tyrannos
Queis olim totus non ſatis orbis erat.
Carcere tartareo nullo diſcrimine Judex
Concludit, quotquot promeruere, reos.
Nulla ſemel clauſos vis illo e carcere ſolvet:
Non pretium, aut ullæ ſupplice voce preces.
Nam libertatis periit ſpes tota ſub orco,
Non locus eſt veniæ, pœna perennis erit.
Æterni gemitus, lacrymæ, lamenta, timores,
Æterno æternus reſtat ab igne dolor.
Demat avis pelago poſt millia ſæcula guttam,
Abſorbebuntur cærula, & orcus erit.
Aſpice quot frondes ſilvæque, hortique recondunt;
Qua vacuum eſt, frondes frondibus adde novis.
Impleat aut totum tenuiſſimus aera pulvis,
Qua late irradiat Phœbus, & aſtra micant.
Deme unam poſt mille annos de pulvere partem
Singula tandem abeunt fruſtula, & orcus erit.
Vel ſolidos ex ære globos tibi finge rotundo
Majores terra, ſideribuſque pares.
Formica innumeros circum ſpatietur in annos,
Conſumpti attritu tot periere globi,
Semper at æterno renovantur ſæcula gyro.
Elapſa incipiunt tempora, fine carent.
Ah metuas tectum, quo non exire poteſtas;
Ah metuas quæ non frangere vincla potes.
Nunc dum tempus erit, culparum vincula ſolve,
Solve dolore animi, ſic tibi cautus eris.
At mage te revocet ſeries immenſa dolorum,
Qui cruciant diro corpora clauſa loco.
Exterius totos deſævit flamma per artus,
Oſſibus interius, viſceribuſque furit.
Ferrea ſic penitus candeſcit maſſa camino,
Igneſcenſque ipſo non minus igne rubet.

Heu!

Heu! quanti miſeris per ſingula membra dolores
Tartareos ignes dum patiuntur, erunt.
Si modo ſcintillæ vix eſt tolerabilis ardor,
Siſtere ſuppoſito nec valet igne manus;
Quomodo ſulphureos inter verſaberis ignes
Æternum immerſus, non pereunte rogo?
Quid, quod Avernalis noſtro eſt violentior ignis,
Quantum umbras ſuperant corpora vera ſuas.
Unica Tartareis ſcintilla excuſſa caminis
Contactu ſilices ſolvet, & æra levi.
Inter at horribiles flammas (mirabile dictu)
Sic ſtatuente Deo, vita perennis erit.
Ah! miſer in tantos per gaudia vana dolores
Quid ruis! ah! libeat nunc revocare gradum.
Ni facias tibi plura Erebo tormenta parantur;
Illic pœnarum te genus omne manet.
Nam quicumque viget damnato in corpore ſenſus,
Diverſa heu pœna diſcrutiandus erit.
Horribiles viſu formæ, data corpora flammis
Torquebunt oculos, incutientque metus.
Terrorem adjicient nigra ſub nocte tenebræ,
Lux quoque per tenebras pallida, triſte micans;
Aſſidui gemitus, lamentaque triſtia, fletus
Laxabunt aures triſtibus uſque ſonis.
Verba quoque in ſuperos jactata, Deumque frequenter
Quod ſcelus eſt, ſceleris maxima pœna ſimul.
Qui pius afflictum verbis ſoletur amicum
Nullus erit, ſocio condoleatque ſuo.
Mutua in alterutros acuent odia aſpera rixas,
Verbaque ſuppeditat, qui furor intus agit.
Numinis immanes ſuperaddidit ira miniſtros,
Qui lacerent dextra non miſerante reos.
Hic quatit inſultans plumbatis membra flagellis;
Viſcera flagranti trajicit ille veru.

In-

Ingeminat plagis plagas, atque ictibus ictus
Alter, & inflictis verbera verberibus.
Corpora quæ ſtringit, quæ gutture labitur Anguis;
Salpiga, Buffo, Limax, Scorpius, Hydra, Cimes.
Sæva Ptyas, Jaculus, Præſter, violenta Ceraſtes,
Vipera, lethifera ſive Rubeta lue.
Deliciæ tibi cuncta forent animalia, morſus
Si reputes, ſeu quæ dira venena vomunt.
Imo etiam ſævos animo tibi finge Leones;
Sive Lupos artus dilacerare tuos.
Ceu quando catulos fera perdidit Urſa repoſtos,
Ceu quando inflicto vulnere ſævit Aper.
Tygris adacta fame, viſo Panthera cruore,
Utque Elephas viſo Rhinoceronte furit.
Quorſum ego? Tartarei fera reddita monſtra miniſtri,
Hæc nota exſuperant, quæ modo monſtra times.
Si mihi mille forent linguæ, ſi copia fandi,
Aut tua ſit, Tulli, vel ſit, Homere, tua;
Pœnarum haud equidem poſſem tibi dicere formas,
Quas crucians hoſtes Numinis orcus habet.
Conſtruxere feri ſeva inſtrumenta Tyranni,
Craticulas, uncos, taurea terga, cruces.
Tormentum crudele, boves ex ære cataſtas,
Mille modis feritas ingenioſa fuit.
Sed collecta Orcus tenet omnia, quin ibi nunquam
Viſa, ignota orbi, copia major adeſt
Humana non arte tot inſtrumenta parantur,
Sunt etenim dextræ cuncta potentis opus.
Denique quid referam ſordes graveolentis Averni?
Quid referam tetri carceris illuviem?
Quam gravis inficiet, quam peſtifer halitus orcum,
Vivit ubi in vivo ſulphure flamma vorax?
Et congeſta ſimul tot corpora fœda nocentum
Labe ſua tetro carcerem odore replent.

Illuc

Illuc deveniet ſupremo in tempore mundi
  Immundum quidquid, qua patet orbis, habet.
Hac tibi ſentina vivendum eſt morte perenni,
  Qui ſequeris vitæ liberïoris iter.
Adde famem, rabidamque ſitim: patieris utramque,
  Atque imploranti non feret ullus opem.
Dives, avarus opum, quondam contemptor egeni,
  Non exoratas qui ſtetit ante fores,
Tunc gutta lymphæ digito e ſtillante rogabat,
  Ut minimo ardentem temperet amne ſitim.
Et quid proficiunt lautæ convivia menſæ?
  Ecce fame rabida deperit, atque ſiti.
Quid tranſacta juvant miſeris ſolatia membris?
  Tantus enim ſequitur gaudia ſtulta dolor.
Hæc, & plura manent tormenta parata ſequutis
  Illecebras carnis, deliciaſque breves.
Dum male corpus amant, animam cum corpore perdunt,
  In nigra dum currunt tartara præcipites.
Inſanis, dum corpus amas: ſic perdis amando,
  Et fieri turbæ pars pereuntis amas.
Durius ipſe tuum tractando corpus amaſti,
  Pro brevibus pœnis gaudia longa feres.
At licet innumeris crucientur corpora pœnis,
  Sævior eſt animæ pœna futura tuæ.
Æternis tenebris, æternis dedita flammis,
  Mergitur immenſis, obruiturque malis.
Et bene cognoſcit merito ſua crimina plecti,
  Atque omnem damno ſpem periiſſe ſuo.
Deſperans igitur veniam, finemque malorum
  Triſtitiæ immenſo fluctuat ipſa mari.
Ergo ego tormentis, dicet, cruciabor in iſtis,
  Semper, in æternum dum fueritque Deus?
Carcere tartareo concluſa perennibus urar
  Ignibus? & Patriæ finibus exul ero?

Nec dabitur mihi morte malis imponere finem?
Æterno vivam ſemper in interitu?
Ah! quoties potui ſedes meruiſſe beatas?
In ſuperaque bonis omnibus arce frui?
Ah! quoties potui Numen placare rogando,
Et mea per lacrymas crimina diluere?
Vix labor ullus erat ſacra templa frequenter adire,
Numinis auxilium poſcere nullus erat.
Quæ tandem amiſi mihi tunc aliena juvaret
Reddere, potu inopem, vel recreare cibo.
Quid ferus oranti veniam præbere negavi?
Quid latui? blando ſubdolus ore fui.
Mille modis poteram mihi regnum habitare paratum,
Nec volui; ſero nunc voluiſſe, grave eſt.
Talia vociferans deſperat, & æſtuat ira,
Mœret, & invidia rumpitur, ore fremit.
Impatiens tolerat præſentia damna, futura
Prævidet, immenſis undique preſſa malis.
Hinc diras jacit in cælum, ſuperoſque, Deumque;
Se ſimul & vitæ devovet acta ſuæ.
Interius ſeſe ſcelerum mens conſcia torquet;
Qui rodit ſemper viſcera, vermis adeſt.
Interius rodit, nunquam moriturus in ævum,
Ut minitans Judex non ſemel ipſe monet.
Tormentis gravior tamen omnibus, igne voraci
Acrior eſt ſummo pœna carere Deo.
Proh grave ſupplicium! toto crudelius orco,
Exilio, vinclis, Dæmone, morte, flagris!
Ut magis indoleat, tandem caligine pulſa
Mens capiet, quanto facta ſit orba bono.
Omne bonum Deus eſt: unus ſimul omnia claudit;
Sic feret, amiſſum qui dolet, omne malum.
Lætitiam mentis, ſinceraque gaudia cordis,
Vitam, divitias, omnia Numen habet.

Amiſ-

Amiſſo pariter cum Numine, tot bona perdis,
Et miſer, exul, egens perditus ipſe manes.
Quam facile æterni tibi Numinis ore beari
Fas erat, Angelicos inter & eſſe choros!
Sponte ſed in flammas properaſti, & Dæmonis iras,
In tenebras, tetrum carcerem, & exilium.
Nil tibi jam ſupereſt, niſi deſperare ſalutem,
Et tormenta ſimul non toleranda pati.
Quam grave culpa malum eſt, modo conjice, pœna quod
Reſpondet merito non tamen æqua ſuo. (ingens
Pronior ad veniam clementia temperat iras,
Atque odium imminuit, quod meruere rei.
Si tamen ut pereant ſatis eſt culpa unica, culpam
Effuge, conjiciens, quam grave culpa malum eſt.
Tolle moras dum tempus adeſt, tibi conſule prudens,
Quæ te circumſtant certa pericla, cave.
Conſule nunc veniæ, tempus dum currit amicum,
Tempus abit, ſerum cras tibi forſan erit.
Nec tutum eſt veniam oblatam contemnere, poſthac
Clamantis Dominus ſpernet & ipſe preces.
Conſcia mens culpæ, meritæ quoque conſcia pœnæ eſt,
Et differre diu pœnituiſſe vales?
Os patet Inferni nulla inde exire poteſtas,
Et ſine fine tenor temporis unus erit.
Nunquam ſe pœnis reus eximet, & procul aſtris
Arceri querulo jugiter ore fremet.
Elige: culpa brevi vel nunc ſolvenda dolore eſt,
Sive per æternos pœna luenda dies.
Hinc via, virtutis vocat ardua: ducet Olympum;
Inde tibi in Barathrum mollior illa patet.
Inſpice diſparium quænam ſit meta viarum,
Elige, quod fugias, quodque ſequaris, iter.

ÆTERNÆ BEATITUDINIS PRÆMIA AC GAUDIA.

COntemplator item cæleſtis præmia vitæ;
Hæc tria: magna nimis, plurima, fine carent.
Hoc primum, ſunt magna nimis; quam maximus ille eſt,
Omnia qui ſolus continet ipſe Deus.
Ipſe Deus, rerum moderator, & arbiter æquus,
Cui mare, cui tellus paret, & aſtra poli:
Ipſe Deus tibi ſemper erit tua maxima merces,
Quam neque Cælicolum mens capit ipſa ſatis.
Illic invenies quidquid tua vota requirunt,
Et magis invenies, quam tua vota petunt.
Invenies quod ames, tota quod mente fruaris,
Quod teneas ſemper, quodque tenere velis.
Mens humana bonis ſat nunquam expleta caducis,
Expletur ſummis jam ſatiata bonis.
Jam ſatiata tamen nunquam faſtidia ſentit,
Semper deliciis affluit ipſa novis.
Fons velut emanans Deus ipſe perennibus undis
Ipſo, quo ſatiat, provocat amne ſitim.
Ceu mare, ſed nullo quod limite clauditur, extat,
Semper inexhauſtas continet unus opes.
At licet immenſus, ſe mentibus ipſe beatis
Inſinuat, penitus cordibus hæret amans.
Non ſatis eſt donis mentes cumulare beatas,
Addit muneribus ſe dator ipſe ſuis.
Cætera, quæ cælo largitur dona ſub alto,
Sunt ea digna Deo, non tamen æqua Deo.
Ut ſint æqua tamen, ſe præbet amabile donum,
Uſque adeo in donis prodigus extat amor.
Diſcite mortales, turba ingratiſſima, veſtro
Authori grato corde referre vicem.

Huic

Huic præſtare parum eſt veſtra omnia; vos niſi totos;
Vitam, animumque ſimul, cordaque ſponte datis.
Non aliter ſummis referenda eſt gratia donis,
Sic quoque quam diſpar gratia veſtra manet!
Si tamen ingratos non vos pudet eſſe potentem
In rerum Dominum, munificumque Deum,
At moveant animos, quæ maxima præmia donat,
Præmia conſtanti digna labore peti.
At moveant animos cæleſtis gaudia vitæ,
Divitiæque ſimul, deliciæque Poli;
At moveant animos ſpatioſa Palatia cæli,
Cælicolum ſedes, ſidereæque plagæ.
Credite, magna nimis cæleſtis regia ſervat
Præmia, mortali nec referenda ſono.
Auribus, atque oculis incognita gaudia noſtris:
Cognita cælicolis gaudia mille fluunt.
Huc oculos igitur, totaſque advertite mentes,
Abripiant animos regna beata pios.
Hic domus, hic patria eſt: vos ad cæleſtia natos
Ad gratum invitant præmia ſumma locum.
Promittit (fateor) mundus quoque gaudia fallax;
Grandia promittens non niſi parva dabit.
Et forſan nec parva dabit, ſic fallit aperte
Promiſſis ſolitus fallere ſæpe fidem,
Sit pudor ad viles animum convertere curas,
Sit quoque ſpes humiles corde fovere pudor.
Proh dolor! anteferunt quam multi vilia ſummis;
Præponunt cælo, ſideribuſque lutum.
Tanta precor ſuperi ne me dementia perdat,
Maxima ut exiguis poſthabuiſſe velim.
Sint mea vota precor, quæ tot mihi maxima cælo
Præmia promittit maximus ipſe Deus.
Magna beant cælo felices gaudia mentes,
Sed numero recreant non minus illa ſuo.

Orbe procul noſtro patet urbs nimis ampla Sionis,
Orbe, reor, noſtro ſed magis illa patet.
Dives mille bonis locus eſt, ubi gaudia mille
Si numeres, numero copia major erit.
Quocumque aſpicies fulgor late emicat auri,
Gemmarum radians vibrat in ora nitor
Ex gemmis valvæ, portarum gemmea clauſtra,
Pulchra nitent auro mœnia, ſtrata, viæ.
Nec bene credideris ſimiles quod terra lapillos,
Aut aurum, aut gemmas procreet alma parens.
Omnia translucent: ſunt aurea pervia luci,
Nec minus admiſſæ gemmea lucis habent.
Grata oculis ſpecies criſtallina regna tueri,
Multo ſole ſimul multiplicante diem.
Undique multiplicis nam fulget ſolis imago,
Exſuperat ſolis lumina quiſquis adeſt.
Quiſquis adeſt ſolis radios obſcurat, & aſtra;
Solem adeo, & propria ſidera luce præit!
Quis tamen humano numerum queat ore referre?
Innumeros cives urbs capit illa ſinu.
Aligeri proceres poſito ſtant ordine circum,
Sedes illa choros fertur habere novem.
At chorus in numero minimus tot millia vincit,
Quot modo ſunt terris, quotque fuere virum.
Adde tot adſcriptos in cælica regna colonos,
Quot tellus cives miſit in aſtra novos.
Non Boreas Lybiæ tot littore volvit arenas,
Floribus aut tantis pingitur almus ager.
Felix qui tali conſpectu lumina paſcit,
Inque decore pari conſpiciendus adeſt.
Dum ſocios adſpectat, adeſtque videntibus ultro,
Gaudia quanta feret, gaudia quanta dabit!
Sed mage Cælicolum mentes quam lumina gaudent,
Quas bona plura beant, & pretioſa magis.

Nam

Nam Deus egregiis animos virtutibus ornat,
Floribus ornari talibus uſque juvat.
Utque placet ſuperis virtutum gratia præſtans,
Numinis ipſa etiam gratia grata placet.
Eſt quoque grata Deo: dos hæc divina per omne
Tempus amicitiæ fœdera ſancta ligat.
Hac nimium gaudent ſemper, quia ſemper amantur;
Atque Deum, (par hæc gloria) ſemper amant.
Hinc & amant ſeſe cæli per mutua cives;
Et gaudent, quod, amant, & quia amantur amant.
Et pariter gaudent, alienaque gaudia præbent
Lætitiæ cauſam, materiemque novæ.
Alter in alterius bene ſic congaudet honore,
Alteriuſque bonis ditior ipſe manet.
Sic bene delitiis agitant communibus ævum,
Tum procul invidia eſt, livor & omnis abeſt.
Regnat amor, qui corda beat, ſapientia regnat,
Et mentes ſuperum non minus illa beat.
Quidquid habet cælum ſapientia, pandit aperte,
Quidquid habet tellus, æquora quidquid habent.
Scire juvat cauſas rerum, & primordia mundi,
Quæ ſint, quæ fuerint, quæque futura, juvat.
Ipſe ſuis arcana Deus ſua pandit amicis,
Seque ſimul, quo ſunt omnia, monſtrat amans.
Oh fortunati nimium qui tot bona norunt,
Tot bona felici ſorte fruenda vident!
Vos infelices, miſera queis ſorte carendum eſt,
Talibus, & tantis tempus in omne bonis.
En quid ego? quid parva peto, vel inania mundi?
Ut miſer immenſis obruar ipſe malis.
Vertere vota libet, quidquid mea vota requirunt,
Cælum habet, hæc votis unica meta placet.
Sit mihi cura prior, ſit cura noviſſima cælum:
Cætera contemnam vilia, parva, nihil.

Te precor, omnipotens, hæc ut mea vota ſecundes,
Tantis digna bonis ſint mea facta, precor.
Ut tibi magna nimis, numeroque carentia cælum
Præmia promittit, ſic quoque fine carent.
Tempus edax quamvis terat omnia dente maligno,
Gaudia non minuunt temporis illa vices.
Tempus edax ferrum, lapides, adamanta reſolvit,
Et quidquid tellus procreat alma ſinu.
Temporis at vires cæleſtia gaudia rident,
Solaque mortali conditione carent.
Pulchrior in ſupera nunquam ſol occidit urbe,
Nec perit æternus nocte premente dies.
Corpora nec morbis languent, ſeniove gravantur,
Falce nec immiti parca ſevera furit,
Improba cum penitus vitalibus exulet oris,
Viva ubi perpetuo cuncta vigore nitent.
Nec ſatis eſt non poſſe mori; nil carpitur ævo,
Temporis aut teritur ſemper eunte rota.
Permanet in ſuperis, dum currunt ſæcla, juventus,
Nec venit imbelli tarda ſenecta pede.
Perpetui flores Zephyris melioribus halant,
Perpetuas inter verque perennat opes.
Non ibi theſauros cauta fur auferet arte,
Nec veſtes tacito tinea dente teret;
Illic theſauros ſummus cumulare magiſter
Nos docet, & tutas condere divitias.
Si bene theſaurum cæli ſtatione locabis,
Tunc ibi theſaurus, corque locantis erunt.
At modo ſyderea quas arce locaveris, olim
Æternas cælo ſemper habebis opes.
Æterna omnipotens quidquid per regna creavit,
Æternum eſt; tempus nil ibi juris habet.
Æternos nec tempus erit quod finiat annos,
Sed potius tempus deſinet omne prius.

Parte

Parte ſui ut nulla finitur circulus, ipſe
  Quolibet a puncto, principiumque capit.
Non ſecus hoc, aliove a puncto temporis Ævum
  Æternum incipiens, fine carebit idem.
Immenſum nulla exiſtit quæ circinet orbem
  Linea, qui centrum fixit ubique ſuum.
Junge annos annis, & ſæclis ſæcula junge,
  Adjicias quotquot millia plura velis.
Deficient numeri, numerans quoque deficis; anni
  Sæclaque, quæ numeres, non tibi deficient.
Hinc pretium immenſum cæleſtia gaudia ſumunt,
  Majus ab æterna eſt conditione decus.
In pretio eſt adamas, vitrum contemnitur, ipſum
  Nam fragile eſt, ictus temnit at ille graves.
Si manſura diu pluris facis, omne per ævum
  Quæ vivent, quanti ſint facienda, vide.
Magna licet mundus daret, interitura ſed olim,
  Debuerant ſola hac diſplicuiſſe nota.
Eſto minora forent cælo, modo firma manerent,
  Debuerant ſola hac dote placere magis.
Magna tamen cælum, & mentis ſuperantia captum
  Præmia, parta ſemel, ſemper habenda, dabit.
Et tamen imprudens nihil immortalia curas;
  Vilia amas, quæris parva, caduca cupis?
Dic mihi quid poterunt bona tot peritura juvare?
  Omnia ſunt tecum vel peritura priùs.
Forſitan infelix propter peritura peribis,
  Æternum ut plures jam periiſſe liquet.
At peritura brevi non te mala gaudia perdant,
  Concipe mente, polo quæ ſine fine manent.
Quid loquor imprudens? quid ſint modo gaudia, neſcis,
  Gaudia felici concipienda loco.
Queis credis modo ſæpe frui, male gaudia dicis,
  Neſcio quid, tibi quod diſplicet, intus adeſt.

Cor nihil humanum ſatiat, niſi Numen; ab uno
Sola Deo verum gaudia nomen habent.
Æternum, immortale bonum, quod ſemper habendum,
Quære: tuum ut fuerit, poſtea ſemper erit.
Occupet hoc mentem, cor impleat; incipe felix
Eſſe modo, & felix ſic bene ſemper eris.

PRIMUM POEMA AD AUCTORE CONCINNATUM, poſtea in matura ætate recognitum, in quo deſcribitur miraculoſa SS. Virginis dictæ da Lapa *gratia Vati tunc juveni conceſſa.*

MOntibus in mediis, qua ſaxa minantia cælo
Aſſurgunt, telluſque gregi languentia præbet
Paſcua, caſtaneæ ſpinoſo in cortice pendent,
Qua juga decreſcunt, alto patet area campo;
Hic locus eſt, cælo dudum notiſſima ſedes,
Qua rupi rupes hærent, parat altera cryptam,
Altera difficiles aditus tibi præbet eunti,
Dum pergis per utrumque latus, ſeu forte vocabis
Sciſſuram rupis curvam; ſi parte ſiniſtra
Flecteris, ingrediens gracilis puer, aut homo pinguis
Cogeris inflexo pedetentim corpore labi.
Quique latet, parvam ſpatioſior angulus aram
Servat, ubi latuit Divinæ Matris imago,
Deliciæ populorum; ingens tegit omnia ſaxum.
Muta puella ovium cuſtos penetravit in antrum
Quod ſtatuit parvis ſenſim evacuare lapillis
Inſiſtens operi; ſortiſque ignara futuræ
Detegit effigiem ſacram; delectat imago
Lignea, & invento exultans in tecta reportat.
Nocte, dieque rapi tenero ſe noſcit amore,
Aſſiduis colit obſequiis, & ruſtica flores
Dona offert, quæ veſte nitent, & nexa coronant

Effi-

Effigiem, tum circum herbas inſpergit odoras;
Non oculos, non illa poteſt avertere mentem,
Dulces amplexus, atque oſcula dulcia figens.
Sæpe parens dixit: tempus quid inutile jactas?
Paupertas alias curas, alioſque labores
Poſcit, & effigiem abripiens projecit in ignem.
Quid facis heu, Mater, clamat, non ante locuta
Filia, & interea matris quoque dextera torpet,
Auſa nefas tantum, & cruciatibus incipit angi.
Obſtupuit confuſa parens, divamque potentem
Extrahit a flammis, dextræque recuperat uſum;
Et magis obſtupuit, cum flammis undique cincta
Effigies intacta nitet; namque urere flamma
Neſcia ſplendores acuit, ceu ſidera fertum
Exornent, circum in radios diviſa videntur
Adjunxiſſe decus veſti, atque agnoſcere Numen;
Sic quam deſpexit jam nunc reverenter adorat;
Quamque puella prius coluit, nunc laudibus ornat
Effuſis, læta in faciles prorumpere voces.
Accurrit pagus, properat cum plebe ſacerdos
Plurimus, effigiemque locant in principe templo.
Ergo omnes iterum luce adveniente propinquant
Obſequium renovare ſuum, pia fundere vota;
Sed Divina Parens vacua diſparuit aula.
In gemitus abeunt, ſuſpiria fletibus addunt,
Quodque brevi fuerint felices tempore, ſacra
Effigie ablata furto, vel fraude queruntur.
Tum prima inventrix perquirere conſulit antrum,
Quo voluit latuiſſe diu; jam currere certant,
Et veteri Divam lætantur ſede locatam.
Inde, ſacerdotum qui primus in ordine præſtat
Accedit, manibuſque ſacrum ſibi pignus adaptat,
Præcedunt bini, plebis confuſa ſequuntur
Agmina, fert faculas famulatrix læva nitentes,

Dex-

Dextra tenet globulos ex duro ſemine plantæ, (*a*)
Ut valeant numerare preces, magnæque Parenti
Senſibus Angelicis meritas intexere laudes,
Alterno cantu; filo remeabile ſemen
Jungitur, & denis pietas interſerit altam
Orandi formam, quam nos Regnator olympi
Factus homo Deus edocuit; quot vixerit annis
Diva parens, ſeptem decies, & quinque monebunt;
Qui mediam efficiunt partem, ſi ſingula denis
Enumerare juvet precibus, quæ Mater in orbe,
Et genitus ter quinque coli myſteria juſſit.
Verte gradus pia turba, tuæ nunc inſcia ſortis
Sponte retro propera, verſiſque relabere plantis;
Nam tua cura tribus quamquam renovata diebus
Oſtendat populorum animos, Dea magna priorem
Semper adit ſedem, qua vult ſibi templa parari
Indicat, & ſtabilem ſub ſaxo ſeligit ædem.
Extructo in templo partem ſaxum occupat ingens,
Secluſoque ſinu Divam, & qua limina ſpectat
Oſtendit Divæ genitum; pulcherrimus infans
Corda rapit, lætoque hominum vota excipit ore.
Altius hic templum celebranti ſacra Miniſtro
Surgere debuerat, crates quoque ferrea circum
Suſtinuit ſaxum, ſupraque foramina, & infra
Servantur tanti monumenta perennia facti.
Saxa etenim tenero cunabula dura Puello
Heu nimium rerum Domino crudelia ſaxa!
Nunc venerata Deum ſenſus habuiſſe videntur.
Quodque prius fuerat natura immobile ſaxum,
Et ſpatio ſibi ſubjectis ſupereminet amplo
Rupibus, in duplicem nunc utile redditur aram,
Nunc magnæ interius ſit tectum aptabile Matri,
Exterius Genito, queis juſtum præſtat honorem
Ponderis oblitum, ignotaque ſtupentibus arte

Spon-

Sponte ſua erectum: ſic tollit in alta ſacerdos
Brachia, dum ſacræ renovans miracula cœnæ
Oſtendit populo ſub panis imagine corpus,
Et calicem auratum pretioſo ſanguine plenum.
Quid referam extructas aras, & cætera templi
Ornamenta ſacri; circum obſervare tabellas,
Eſt amor, & promptum Divæ adjutricis amorem,
Quo ſuperat miſerata preces, & vota clientum,
Votaque præcedens offert ſeſe ipſa videndam.
Naufragio ereptos, vel tuta ad littora pulſos
Oſtendit pictura oculis, quos impete magno
Arripuit flumen devotam piſcibus eſcam.
Si pluviæ deſint, ſi verſet Aquarius urnam
Fatalem ſegeti, ſi vaſtent arva locuſtæ,
Gaudet amans faciles præbere rogantibus aures.
Carcere detenti, ſeu dura compede vincti,
Maurorum inſidiis capti, cum nocte ſilenti
Mœrore oppreſſi languentia lumina ſomno
Tradere conantur, ſi ſomnum dicere mavis,
Deliquiumve animi, dum cor male palpitat intus,
Mane novo vigiles ſacram prope Virginis ædem
Ante fores ignota vident juga montis, & altas
Parte alia rupes, alia conſurgere ſilvas.
Limina panduntur; primum obſtupuere, ſed inde
Lætantur templum ingreſſi, vincliſque ſoluti;
Dulcibus & lacrymis ſuſpiria dulcia miſcent.
Sic tauro offenſus, gladio percuſſus, & haſta,
Arboris e ramo, aut tecto delapſus ab alto,
Cum Divam exorat, ſupponit provida dextram,
Et vulnus lethale arcet, ſeu vulnera ſanat,
Inque cicatricis memoranda relinquere ſigna
Sæpe loco placuit; vaga linea lucis oberrat,
Ut bene apud memorem veteris ſtet gratia facti.
Ante diem clauſo componet veſper olympo

Si

Si morbo afflictos memorem; quod viſcera tabe
Putreſcunt, quod dira febris depaſcitur artus,
Seu nimium exundans pungit præcordia bilis,
Sive acri lacerum fœdatur ſanguine pectus,
Sive dolore gravi longas crucientur in horas
Impaſti, & vigiles, ſeu quod fatale venenum
Ebiberint, rabidive canis penetralia morſus
Invadat, vel dente cutem male pungat acuto
Vipera; ſive brevi mala pectoris hoſpita tuſſis
Flare, reflare mora cogat, ſeu corpora vires
Defficiant, miſeraque caput vertigine nutet,
Seu facile illabens per guttura permeet anguis,
Horrendum viſu! cauda eſt crudele flagellum,
Et ſquamæ remeare vetant; tua dextera ſolum,
Diva, poteſt tanto vitam ſervare periclo.
Tu morte abreptos revocas in luminis auras,
Tu prohibes ne tartareo crucientur ab hoſte
Corpora, ne pariant damnum irreparabile lites;
Omnia felici tractanda negotia ducis
Eventu; facile indulges quæcumque rogamus.
Tu cæcis oculos, mutis das ipſa loquellam,
Das bibulam ſurdis aurem, nerviſque vigorem,
Et perfecta tuo deformia corpora dono
Evadunt, Tu noſtra ſalus, Tu dulce levamen.
Quid tento audaci perquirere ſingula cantu,
Quæ celebrant populi, quæ circum appenſa notavi,
Attonitaſque implent crebris ſermonibus aures, (*b*)
Et quorum pars ipſe fui? nunc accipe factum,
Quiſquis ades, mecumque Deæ perſolvere grates
Non renuens, dextræ auxilium tibi quære benignæ.
Obſequium præſtare Deæ de more quotannis
Solliciti, luceſque novem propè Virginis ædem
Degere, me juvenem ſecum duxere parentes.
Si quæras, tredecim numerabam inglorius annos.

Se-

Serica vitta auro variata, & imaginis offert
Menſuram, & memorat Divæ præſentis amorem.
Hanc ego quæſivi rediens, ſed vaſe repoſtam
Heu nimium incautus fragili, qua præpete motu
Dilaceranda foret ſecreta in veſte ferebam.
Poſtquam aliqui fluxere dies, in patria juſſus
Rura vocor; tamen acer equus mihi contigit uni,
Mole ingens, animoque ferox, bene paſtus, in amplam
Servatus prolem; famulis commiſſa duobus
Cura mei, longo reliquos præcedere tractu
Poſcit opus, dextraque unus, læva alter habenas
Stringere conatur, cauſaſque arcere furori.
Interea mulus, credas elephante profectum,
Seſſorem effugiens rapida volat ocior aura,
Infenſum petiturus equum, crudele duellum
Inſtituunt, acuunt iras, pugna aſpera ſurgit
Calcibus alternis, crepitant ſaxa icta favillis,
Hinnituque fero longe inſonuere cavernæ.
Sævit uterque animis, efflantes naribus ignem
Præcipiti ſaliunt nemora avia, & invia curſu,
Frondibus intonſa, & pungentibus aſpera dumis.
Ut veſtis lacera, illa etiam quæ proxima corpus
Linea circumdat, fœdati denique crines
Teſtantur, plures ſic duxi neſcius horas.
Volve animo, quam mœſta parens, fraterque, ſororque
Et pater immenſis agitari corda procellis
Senſit amans; nec jam famulos, ſed quærit amicos
Ut circum excurrant, multaque indagine natum
Ludibrium quærant ſortis, ludumque ferarum.
Jamque alacres redeunt noto fera prælia campo
Accenſis renovare animis ante ora parentum:
Nec mora, nec requies: jam calces calcibus addunt,
Et fruſtra gladio circum obluctantur, & haſta
Mille viri, aut pugnam ſopire, aut dividere hoſtes.

At

At lora, & ſedes, & tergo quidquid equinō
Inſtractum fuerat, diſſectum in fragmina mille
Sponte cadens nullos poſthac ſervatur in uſus.
Tum pariter cecidi; ſed non qua tutius irem
Evaſi, ſub utraque fera, dum fervida calces
Conduplicat, repto: Sic mens confuſa vehebat.
Accurrit lacrymoſa parens, lacerumque notabat,
Nec veſtis tantum, at pecten, globulique precantes
Omnia communis damnum ſubiere ruinæ.
Intactum excipias ſacra vas fictile vitta,
Quo ſigno indubio præcedere vota docebat
Virgo parens, curamque benignam agnovimus omnes.
Me totum excipias; neque enim cutis extima damno
Apparet fædata levi: ſic, Diva, clientem
Servaſti ſemper memorem, dum vita manebit:
Eſt donum mea vita tuum, Tibi vivere fas eſt.

(a) *Coronæ, & Roſaria (ut ajunt) in Luſitania in uſu ſunt ex ſemine nigro, rotundo nitidæ, & duriſſimæ cujudam plantæ. Invaluit in Hiſpania opinio B. V. vixiſſe 73 circiter annis, unde corona completur ex medio Roſario. Coronarum artifices in Italia ſequuntur opinionem eorum, qui ajunt B. V. vixiſſe 63. annis.*

(b) *De hac miraculoſa imagine fuſe ſcripſit Antonius Cordeiro Tomo in folio de hoc argumento lingua Luſitana; & ejuſdem hiſtoriæ compendium edidimus Romæ anno 1751, dicatum Benedicto XIV.*

ANGELO CUSTODI.

Grates agit vates ob vitam ab eo bis ſervatam.

OH! mihi ſollicita cuſtos fidiſſime cura,
Oh! mihi pars animæ pluris habenda meæ.

Si-

Siquis erit leges, qui noſcere quærat amandi,
Obſervet normam, dulcis amice, tuam.
Si tibi diſpliceam, Tu non iraſceris, unum,
Quem reverenter amas, ſemper amare mones.
A ſummo commiſſa Deo cuſtodia noſtri
Occupat affectus nocte, dieque tuos.
A ſummo commiſſa Deo, qui venit in orbem
Ut dignum æterno fulmine in aſtra ferat.
Prodigus & vitæ cruciatus inter acerbos
Me voluit pretium ſanguinis eſſe ſui.
Jure quidem Angelicum mihi juſſit adeſſe miniſtrum,
Quem tanto Numen fecit amore ſuum.
Jure tuas mereor, ſi ſpecto Numina, curas,
Quas culpa indoleo demeruiſſe mea.
Ut mihi ſis tenero vigilanter amore ſodalis,
Eſt ſatis auctori ſic placuiſſe tuo.
Ne tibi diſpliceam, ne Numen amabile lædam
Ingratus, non ſunt tot benefacta ſatis.
Per mare, per terras, per agros, per regna, per urbes;
Per fora, per calles, per loca nota feris,
Sive domi lateam, aut confortia læta requiram,
Semper amas lateri fidus adeſſe meo.
Vela dabo, ſequeris, portumque appellis eundem;
Me redeunte redis, meque manente manes.
At quoties mecum intraſti loca plena periclis,
Quamlibet invitus Tu mihi teſtis eras.
Ah! quoties ſocium ſprevi meliora monentem!
Demerito friget nec tua cura meo.
Non animæ tantum, ſed corporis optime Cuſtos,
Fac precor ut tanti reddar amoris opus.
Oh! utinam dignas poſſem modo reddere grates,
Sim tuus oh utinam poſt mea fata comes;
Priſcaque ſegnities jam non nocitura docebit
Quam vigilans fidi cura ſodalis erat.

Oh! utinam ſuperas merear conſcendere ſedes,
Quaque modo frueris, ſorte manente frui.
Ambo per immenſas circum ſpatiabimur aulas,
Te digito oſtendam civibus æthereis.
Hoc duce perveni veſtra in conſortia, dicam,
Hic mundo cuſtos, ductor in aſtra fuit.
Numinis ante thronum toto celebrabere cælo,
Materies ſemper tu mihi laudis eris.
Quod tamen interea vitali perfruor aura,
Hoc fateor donum non minus eſſe tuum.
Me puerum, memini, cum fervida curreret æſtas,
Fluminis ad ripam non timuiſſe dolos.
Tradere corpus aquis fuerat mihi blanda voluptas,
Et ſalices inter ſæpe movere pedes.
Me ſocii dextra ſalices tenuiſſe monebant,
Virgultis vitæ tradita cura meæ eſt.
Attamen abripior; quid enim valet inſcius infans,
Quem fluvii vires, quemque pericla latent?
Nil ſocii advertunt, & qua vehit impetus undæ,
Præda feror certam jam bibitura necem.
Præda feror rapido pluſquam per millia paſſum
Flumine, circumdat ſquammea turba cibum.
Monda juventutis luſus, ſpes læta colonis,
Ruris honos, quo non pulchrior arva rigat.
Si ſitiam, puro recreat criſtallinus hauſtu:
Planitiem exundans fertilitate beat.
Aſpice, quiſquis ades, pario de marmore pontem,
Recto quinque arcus ordine, biſque decem.
Margine ſilva viret, fundo numerantur arenæ,
Et medio piſces ludere in amne vides.
Attamen, o patriæ tot amœnis dotibus urbis
Gloria, tunc puero lethifer amnis eras.
Ruſticus a ripa me cernit, & ocyor aura
Intrat aquas, promptam ferre miſertus opem.

Ex-

Extrahit e fluctu, miratur cuncta puellum
Illæſum, quod nec ſigna timoris habet;
Quis ſit, & unde rapi violenti fluminis ira
Quæritat, ut pignus reddere dulce queat.
At quamvis confuſa darem reſponſa petenti,
Me potuit ſociis reſtituiſſe meis.
Non ego tunc novi, docuit maturior ætas,
Servare incolumem quod tua cura foret.
At novere alii; patruus me ſæpe monebat,
Quod vivo ex dono, dulcis amice, tuo.
Tempore non illo mecum vixere parentes,
Me tamen ut moneant, nobile pignus habent.
Inque uno ſervaſſe duos Te ſæpe recordor;
Namque ruina duplex, ſed mea culpa foret.
Forte minor natu frater, ſeu candida dicas
Lilia, tam gratum, quam leve pondus erat.
Amplexus inter dulces, & mutua amoris
Signa mihi vehitur, qua patet ampla domus.
Cernere nec poteram, ſiquid nocuiſſet eunti,
Ante oculos, inter brachia frater erat.
Nec mihi planities ulli fuit anſa timori,
Nec via, quæ ſemper clauſa latere ſolet.
Eſt locus in plano, qua porta foraminis inſtar
Panditur, ut ſpatio ducat ad ima brevi.
Multipliceſque offert, ſiquis deſcendere quærit,
Nec minus anguſtos, difficileſque gradus.
Non qua parte gradus portæ junguntur apertæ,
Sed nihil advertens ducor ab oppoſita.
Impete præcipiti cecidi reſupinus in antrum,
Cætera Tu ſolus commemorare potes.
Inferiore gradu ludens cum fratre ſedebam,
Tam cito cur illuc venimus, ille rogat.
At quæro, ſi forte aliquem per membra dolorem,
Aut miſeri caſus ſigna relicta notet.

Ille tamen ridens credit me forte jocari;
Aſt ego te novi ſuppoſuiſſe manum.
Accurrunt fratres, ſoror anxia, & anxia mater,
Impediunt lacrimæ, ſiqua rogare velint.
Addo animos, mala nulla pati, fauſta omnia dico;
Impediunt lacrimæ; ne mea verba notent.
Tum puero humectant injuſſi lumina fletus;
Flet quoque, ſed neſcit cur tamen ipſe fleat.
Lætaque poſt longum ſuccedunt gaudia luctum,
Quæ merito unanimes attribuere tuo.
Ah! quoties lapſæ reparaſti damna ſalutis,
Servata ah! quoties te duce vita fuit.
Jam tua perſpicuis patuit vigilantia ſignis,
Cætera tempus erit, quo numerare queam.
Perge favere tuo, comes optime, perge clienti,
Donec in ætherea ſede beatus ero.
Cumque ibi præteritos læti memorabimus annos,
Non hebes, at virtus vivida mentis erit.
Tunc, ut lætus agam grates, ego plurima noſcam,
Tunc poterunt animi ſigna placere mei.

R. P. Emmanueli Paes in paterna vatis villa ruſticanti.

SCribis, amice, meos ſæpe evolviſſe libellos;
Et fruſtra titulos quærere laudis amas.
Attamen a tenero cum ſint ea ſcripta puello,
Quæ pius excuſes, dum reprobantur, habent.
Tertius a decimo nondum diſceſſerat annus,
Muſa loquax nullo noſtra docente fuit.
Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia quærunt,
Urbe procul villæ commodum utrumque dabant.
Carmina ſublimem poſſunt in mente vigorem,
Datque animos calcar, normaque moſtrat iter. 10

Aſt

Aſt ego nec normam, nec nobile calcar habebam;
Ipſe mihi judex, & mihi cenſor eram.
Ruſticus inculta puerum de plebe Sacerdos
Grammaticam, quam vix noverat, edocuit.
Luſiadum tantum fuerat mihi cognitus auctor,
Aptus at ingenio non erat ille meo.
Attamen audebam, pueri quis computet auſus?
Icarias memini, ſeu Phætontis aquas.
Undique caſtaneæ ſurgunt, ſub frondibus altis
Saxa parant facilem, vel levis herba thorum.
Hic rigui prope murmur aquæ, dum læta choreas
Implicat, & tremulo gutture cantat avis,
Sponte ſua carmen numeros veniebat ad aptos;
Fluxerunt ſolidi ſeu brevis hora dies.
Urna comes nobis fuerat calamaria, & ictu
Tranſverſo ſuccos anſeris alà dabat.
Hic hominum mores lepidis exponere factis
Curabam, & vitii providus hoſtis eram.
Sanctorum in geſtis, & ſenſibus arva colentum
Plus verſatus eram, quam puer eſſe ſolet.
Tum pueros ætate pares recitanda docebam
Carmina, qua ſilvæ ſcena virentis erat.
Aſpice, qui poterant humili plaudere theatro,
Cui modo ſe plebi ſubdere Plautus amat?
Longa haſta Coridon, appenſa falce Menalcas,
Corroſo inixus Gliſca ligone venit.
Sudat adhuc poſito Dametas feſſus aratro,
Inſtrumenta Alcon plurima ruris habet.
Fœmina congeſta ſibi ſedem in faſce requirit,
Hæc fuſum, hæc tenuem volvere pergit acum.
Et ſutor, & ſartor (ſed quales ruſtica produnt
Antra) venit, torvus ſtat niger ore faber.
Una omnes gaudent genitos audire loquaces,
Lætitiæ lacrymis dant quoque ſigna ſuæ.

Signa tamen diverſa edunt, vix ipſe theatrum
Garrulus ingredior, nam ſimul actor eram.
Tum ſenſim ad riſum componunt ora, ſimulque
Incipiunt Matri fauſta rogare meæ.
Quæ mea ſimplicibus placuit tunc muſa colonnis,
Nil modo, quo poſſis perdere tempus, habet.
Forſitan in leges numeri mea carmina peccant,
Auris enim puero ſola magiſtra fuit.
Nec certe invenies, quæ dat maturior ætas,
Et nihil in puero, ni puerile, leges.
Nec memores, quod teſtis eras, quando ipſe parentem
Bis potui lepidis exhilarare jocis.
Improviſa placent, quamvis inculta, tenello
Neſcio quid genito dulce leporis ineſt.
Siqua tamen vacuum puerilia ſcripta morantur,
Excipe, quæ flammis tradere debueram;
Carmina trade precor rapidis ludibria ventis,
Forſitan in reliquis utile tempus erit.
Artifices mellis cura ſcrutabar amanti,
Sive domi reſonas, ſive per arva vagas.
Qua ratione valent florum detergere ſuccos,
Et calicis dulces fugere particulas.
Pondus ubi abſcondat fœcundo ex pulvere, ceræ
Materiem, & redeant in ſua tecta graves.
Sæpius intento florum penetralia viſu
Detexi, exiguæ queis latuere feræ.
Sæpius appoſito rumpebam alvearia vitro,
Ut poſſet ſtudiis rima patere meis.
Additur in faciles mihi carta volubilis uſus,
Quæ nigra inviſum non ſinit ire diem.
Sic poſſum obſervare intus, velamine moto,
Ortum interrumpens luce abeunte metum.
Hic labor illuſa renovatur inutilis arte,
Nam celeres denſo vitra colore tegunt.

Diſpo-

Diſpoſui duplicem latere ex utroque feneſtram,
Claudere quas poſſem, quas aperire ſimul.
Sic fluere obſcuras lux obvia poſſet in ædes,
Nec remanent aditus, quos mihi claudat apes.
Effectu caruere ſuo ſtudia omnia, forſan
Magnum apibus, parvum ſed puero ingenium.
Nec mihi cantor apum, per quem ſuper æthera ſurgit
Sorte ſua felix Mantua, notus erat.
Plura etiam ſtudiis detecta recentibus, ætas,
Et ſocii, & ruris ſcire negant latebræ.
Quem tamen antiqui, quem gens quoque ruſtica regem
Nominat, ille mihi fœmina viſus erat.
Miror adhuc potuiſſe aliqua obſervare, libellis
Inter inepta meis digna placere leges.
Sed mihi ſcrutanti felicior extitit auſus
Sub terra occultum dum penetravit iter.
Multipliceſque domos, pluresque ex ordine calles
Queis formica penum, queis ſibi tecta parat.
Omnia diſpoſitis camerato fornice conſtant
Ordinibus, normis omnia juſta ſuis.
Humida ne tellus putredinis extet origo,
Et reliquam nocuo lædat odore domum,
Pars vacat inferior, qua liber permeat aer,
Sicca nitet duri marmoris inſtar humus,
Quæ loca ſæpe ſolent circum exhalare mephitim,
Externoque latent non adeunda pede,
Hic etiam invenies; nec ſicci naribus orbes
Damna ferunt, variis qui latuere locis.
Seminibus nigris aliquis plena horrea dixit,
Sed riſu applauſit ruſtica turba ſuo.
Horrea conſpicuis noſcuntur ditia ſignis,
Nec timet hiberno tempore turba famem.
In claſſes congeſta ſuas mirabilis ordo
Dividit, & frugum cernitur ampla ſeges.

Materiem duplicem ſemen ſub cortice format,
Commoda formicis una, ſed una nocens.
Germinat una quidem, teneræ dat pabula plantæ
Altera, qua radix prima elementa bibit;
Provida gens intus ſemen vegetabile rodit,
Proxima ne granis terra nocere queat.
Sed plura agricolis ignota legumina vidi,
Nec ſatis expertos conſuluiſſe fuit.
Horrea triticeam inveni ſervantia meſſem,
Seppoſui Matri dona futura meæ.
Tertia pars doni libræ ter quinque fuerunt,
Illa tibi factum commemorare poteſt.
Illa ſibi panes juſſit ſtudioſa parari,
Queis numquam reliquos vidimus eſſe pares.
Vincebant candore nives, facileſque friari,
Et bibuli, atque velut ſpongia blanda leves.
Oh! mea formicis utinam plena horrea donent
Me granis roſo germine poſſe frui.
Scripta leges, cupido quæ tunc deteximus auſu,
Nam ſtudui attenta cuncta notare manu.
Plurima multiplicem deſcribit linea molem,
Qua ſint parte domus, qua fora, ſepta, viæ.
Quaque ſenes, juveneſque habitant, qua parte cohortes
Alatæ, quo ſint diſpoſita ova modo.
Viſa mihi forſan, ceu quæ vidiſſe putavi,
Non bene ſunt ſtudio rite notata meo.
Plura tamen deſcripta notis tibi lecta placebunt,
Quæ viſa eventu nunc meliore forent.
Sive ſoli vitio, ceu quod minus ampla fuiſſet,
Nulla mihi potuit ſic patuiſſe domus.
Plura etiam invenies non obſervata paternis
Ruribus, & ſaccus pondere teſtis erit.
Ut dirimat lites, ut crimina vindicet, urbes
Nomine prætorem regio habere ſolent.

Hoc

Hoc meus officio Pater oppida luſtrat, & inter
Mille alios ſocium me jubet eſſe viæ.
Venimus ad montem, ſanctæ qui dicitur Annæ,
Finitimo unde oritur nomen, honorque loco.
Quadratos lapides in montibus India felix
Procreat, his ſimiles mons quoque noſter habet;
Forma eadem, & virtus: ſi clauſtro oriantur eodem
Me (natura quibus ludere viſa) latet.
Namque inter ſilvas, ſeu montis viſcera quæras,
Sive ſuperficiem, vilia ſaxa vides.
Experti noſcunt quæ non ſunt vilia, & amplo
Talorum includunt plura ſepulchra ſinu.
Quadrataſque domus, quas occupat undique talus,
Aſpicis, ut rupto marmore quæris opes.
At talum non materies de marmore format;
Nempe aliqua dici ferrea parte poteſt.
Difficilem mulier ſi non valet edere fœtum;
In lævo talum crure ligare juvat.
Non tamen in cunctos diſtenditur inſita virtus,
Unum ſi poteris noſcere, dives eris.
Cerne domi innumeros, quos tunc collegimus, inter
Tot quoque qui proſint, unus, & alter erit.
Tunc etiam vidi fœdis loca plena rubetis,
Et novus inventi me ſtimulavit honor.
In capite exoritur, queis eſt longæva ſenectus,
Sive lapis dici, ſeu nigra gemma poteſt.
Tum media argenti per me datur uncia, ſiquis
Forte mihi centum ſciſſa ferat capita.
Præmium habet duplex, ſi grandes forte rubetas
Occidat, ſtrages terra paluſtris erat.
Nam facilis puerum gens ruſtica ſemper amavit,
Et cupidus lucri corda movebat amor.
Sed numquam optatum potui reperire lapillum,
Fœdum arcere animal gloria ſola fuit.

Quæ

Quæ lapidi virtus inſit, tu forte requires;
Gratia nam fuſco nulla colore micat.
Annulus ex auro digitum exornabat amici;
Quam fruſtra ſtudui quærere, gemma fuit.
Accipiens uvæ maturum forte racemum,
Hic ait, o ſocii, dira venena latent.
Obſtupuere omnes, ſiquis modo forte pararet
Inſidias, noſtros diſſipat ille metus.
Cernitis ut tremulo digitum quatit annulus ictu,
Et gemma impatiens cauſa tremoris adeſt?
Scindite nunc uvam; tum pinguis aranea viſu
Horrida, ſolicito calce premenda, cadit.
Vix cadit a dextra virtus, cum gemma quieſcit,
Sedula vicino ſemper abeſſe loco.
Hactenus expoſui pueriles ordine curas;
Longe alias navis nunc mea ſulcat aquas.
Nam ſophia ingenium ſpeculatrix obruit, & me
Illaqueant tumido barbara verba ſono.
Tædia compenſant ſanctæ conſortia gentis,
Crediderim Angelicos inter adeſſe choros.
Huc puer adveni, neque adhuc tria luſtra volarant,
Et mihi jam quartum ceu brevis hora fluit.
Hic mentem inſtruere, hic rectos ediſcere mores,
Doctus & hic, felix, & probus eſſe queo.
Deſine mirari puerilia; ſuggere normam,
Qua modo ſuſcepta me decet ire via.

Vates

Vates ad amicum parvum libellum mittit ad faciliorem conſcientiæ examen, ab Auctore editum Anno 1731.

CUM prona in vetitum, rectoque averſa cupido
Erret, & a juſto tramite flectat iter,
Eſt opus aſſidua cura; ſic provida fræno
Sæpe reluctantem dextra coercet equum.
Sic nocuas herbas culto divellimus horto,
Ut ſuus expanſis floribus extet honor.
Haud aliter ſerpit vitiorum immenſa propago:
Noxia virtutum ſuffocat omne decus.
Pugnandum eſt nobis, miſero dum vivimus orbe;
Tartareo cincti ſemper ab hoſte ſumus.
Et niſi munitam miles cuſtodiat arcem,
Subdolus hoſtis adeſt, qua minus arma times.
Sic leo terribili quærit quem devoret ictu,
Sic ferus innocuum cingit ovile lupus.
Nos ipſos (quis enim tam certa pericula noſcat)
Sponte adjutores perfidus hoſtis habet.
Ah! quæ forte vocas peccata leviſſima, vites,
Infirmæ vires debilitant animæ.
Vix etenim ſani diro pugnabimus hoſte;
Quid, ſiquis patitur damna ſalutis, aget?
Ut bene currat equus, ſua gratia floribus inſit;
Nec leo, ſive lupus ducat, & arma necem:
Mole licet parvum, quem mittimus, accipe, librum;
Magnæ, ſi ſapias, utilitatis erit.
Nempe docet taciti penetralia cordis adire,
Et fida affectus pendere lance tuos.
Biſque die ſtudeas, cum ſol petit arduus axem;
Tradere cum ſomno lumina feſſa voles.

Biſque

Biſque die ſtudeas, dum pars quarta effluit horæ;
Induere officium judicis ipſe tui.
Subtrahe te reliquis, & ſupplex Numen adora,
Concipe quid ſit homo, quid ſit in orbe Deus.
Ut te cognoſcas, tibi mentem illuminet, ora,
Qui Solem, & Lunam, fixit & aſtra polo.
Inde roga ut vitii cauſas, & ſingula poſſis
Crimina per certos dinumerare gradus.
Verba prius recoles, tum geſta, atque intima cordis,
Quæ non egiſti, at debueras agere.
Inde librum obſerva, atque inciſas ordine linguas,
Namque notat vitium pagina quæque ſuum.
Proximus eſt numerus, ſe lingua plicatilis offert,
Ut memori ſerves quæque notata loco.
Cum bibulas præbet commiſſa fatentibus aures
Supremi Domini qui grave munus agit,
Diſtincto poteris tunc ordine cuncta referre,
Hac quoque profectum noſcere ab arte tuum.
Signata eſt pariter, poſtquam novus incipit ordo,
In foliis numero lingula quæque ſuo.
Volve librum, ſeptemque dies, & quatuor inde
Hebdomadas, menſes tum numerare potes.
Sola patet titulo ſeries inſcripta dierum:
Sic cauſam noſtro carmine doctus eris.
Pars prima examen nobis generale vocatur;
Altera tantum uni pars vitio invigilat.
Illud & imprimis, in quod proclivior erras,
Præcipua debet ſedulitate premi.
Ut varii affectus hominum, ſua quemque voluntas
In diverſa trahit non ratione pari.
Ille incautus amat, faciles hic concipit iras,
Hic nimium potus exigit, ille cibos.
Hic oculis nimium indulget, ſeu mente vagatur,
Quæ nova ſint avidis quæritat ille modis.

O tia

Otia lentus amat, laudat vel detrahit alter;
Hic dicenda nihil cogitat, ille nimis.
Sit tibi cum parvis (ſi ſunt ea parva) duellum
Criminibus, lapſu ne graviore ruas.
Seſe inter conferre dies, menſeſque valebis
Semper, & ante oculos unicus hoſtis erit.
Annus abit, ſi forte malum radicibus imis
Providus evellas, utile tempus abit.
Hac tandem avulſa, ſi pullulet altera radix,
Non tua ſit ſtudio cura minore vigil.
Regrederis, primum erubeas, a Numine vires
Exora, & cœptum perge animoſus iter.
Progrederis; timido admittens ſolatia corde
Non tibi, ſed tribuas vincere poſſe Deo.
Judicio ne ſide tuo, ſed cuncta monebis
Quem tibi Divina ſeligis arte ducem.
Cuncta tibi miſſo potes exercere libello,
Quem leve ſinceri pignus amoris habe.
Me liber auctorem noſcit, Loyola ſed auctor
Dicitur; hac normam proſequor arte ſuam.
Quodque typos volui propria diſponere dextra,
Ex duplici titulo, ſi placet, auctor ero.
Quod fuerit prælo ter eodem traditus anno,
Oſtendit gravibus complacuiſſe viris.
Tunc ego ter ſextum numerabam floridus annum,
His tamen in ſtudiis ingenioſus eram.
Cum ſtudii fructum maturior exigit ætas,
Heu mihi quam ſuperus friguit intus amor!

DE EDITIONE ITALA EJUSDEM OPERIS POST QUINQUAGINTA ANNOS

Ab auctore rure ſcripta intra 33. dierum ſpatium.

QUod juvenis conſcripſit opus, maturior ætas
Perficit, ut parvo noſcis, amice, libro.
Qui poſt luſtra decem ſua ſcripta recenſeat Auctor,
Unicus ex multis forte vocandus ero.
Hoc mihi propoſitum eſt, animas acquirere cælo,
Atque favent votis omina cuncta meis.
Namque ubi regnabat concordia, candor, honeſtas,
Aurea dum captans otia rure moror,
Inter amicorum (conſortia dulcia) cœtus,
Officio viguit mens ſatis aptâ ſuo.
Quamlibet affluerent claro de Sanguine plures,
Norma quoque & ſtimulus quilibet hoſpes erat.
Me ſtudiis recti ſuperat gens dedita mundo,
Quique alios moneo, jure monendus ero.
Tu quoque cæleſti, Joſeph, me doctior arte, (*a*)
Non renuis famulas ultro adhibere manus.
Scripta mihi, tranſcripta tibi ſunt omnia; tantum
Officioſa valent vincula amicitiæ.
Adde, quod in minimis Vates cognoſcimus omen,
Semper & in votis credula turba ſumus.
Tot fluxere dies, quot JESUS vixerat annis,
Dum rudis exiguum dextera ſcripſit opus.
Prima dies, magne Antoni, tibi ſacra refulſit,
Oh Patriæ ſplendor, Dive, decuſque meæ.
Lux chara Adriacæ genti, namque urbe propinqua
Currit ad exuvias Relligioſa tuas.
Si tua Divinum amplecti meruere puellum
Brachia, cui ſupplex hæc mea ſcripta ſacro,
Dive fave; ſi quid poſſunt male compta juvare,
Auxilio fiant utiliora tuo.

Agno-

Agnovere Deum piſces, agnovit aſellus; (*b*)
Et ſilet in toto gurgite rana loquax.
Si tua vox tantum valuit, tanto auſpice parvo
Nunc homines doceam Numen amare libro.
Poſt decimam, cum quinta dies in menſe ſequenti
Affulſit, noſtri meta laboris adeſt.
Fauſta mihi, generique meo lux iſta recurrit; (*c*)
Lux fauſta Adriacis non minus illa plagis. (*d*)
Nam cum dira lues nocuas vitiaverat auras,
Fœdarat mortis nuntius ora color.
In cruce pendentem dominum, qui Sanguine fuſo
Gentibus infectis vita, ſaluſque fuit,
Qui majora ultro nobis conceſſit, ut ortum
Compeſcat virus, ſupplice voce rogant.
Annuit omnipotens. Peſtem pede calcat eburno,
Et victrix tota regnat in urbe ſalus.
Templum auguſtum, ingens, monumenta perennia facti
Servat, ubi renovant annua vota Patres.
Tu quoque Numen adi, nodoſo, ſtipite fixum,
Parve liber, domini vulnera tange tui.
O utinam valeas pretioſo ſanguinis imbre
Inſpergi! hæc cæli ſigna faventis erunt.
Quære latus, nam cum ſedem patefecit amoris
Lancea, jam cunctis intus adire licet.
Summe animos, cor tange ſacrum, corda omnia quære,
Et quod fronte geris, nomen ubique ſonet.
Sanguineas oſtende notas; ſi dura reſolvas
Pectora, tu felix, & tuus Auctor erit.

(a) *Ill. D. Joſeph Manuch Canon. Pœnitentiarius Tarviſii.*

(b) *Tria miracula celeberrima S. Antonii.*

(c) *Dies 15. Julii Auctori fauſta, ut ipſe deſcribit in Elegia:* Julius exoritur. *paulo infra.*

(d) *Hac die recurrit An. 1781 Dom. III. Auguſti, qua Venetiis celebratur feſtum SS. Redemp. ob urbem a peſte liberatam.*

Vates

Vates ad amicum mittit Sanazarii Carmina a se edita anno 1733, expurgata, argumentis ornata, & selectis aliorum poematibus aucta.

ANte alios vates, quos ſecla recentia jactant;
Sincerus primum debet habere locum.
Virgineos partus, & crudeli ſtipite Numen
Affixum miris exprimit ille modis.
Cur tamen illecebras teneri quoque miſcet amoris?
Quid tendit caſtis auribus inſidias?
Tradere dum ſtudui cultiſſima carmina prælo,
Providus expunxi quæ nocitura forent.
Non quartum ætatis luſtrum bene fluxerat, & jam
Sola mihi reliquos cura juvare fuit.
Carmina quæ vatum addidimus ſelecta, probabis;
Argumenta ſuis ſunt quoque ſparſa locis.
Omnibus hinc donum titulis erit utile, multum
Quod proſit, nil quod lædere poſſit, habet.

De libro Pomarium latinitatis *ab auctore ex gallico in latinum traducto & typis edito* 1736.

PRæbebant ſapidos Gallis pomaria fructus
Quæ prius in latiis orta fuere plagis.
Hæc Lyſio plantamus agro, noſtroque labore
Nunc juvenum ſtudiis pabula grata ferent.

De

DE DIE DECIMA QUINTA JULII Vati fauſtiſſima.

JUlius aggreditur: niveo ſignanda lapillo
Aurea poſt decimam lux mihi quinta veni.
Tu feſtiva dies toto celebrabere cælo;
Me ſimul immenſo dulcis honore beas.
Me timidum ſperare doces cæleſte levamen,
Et mihi præſidium, gloria, calcar ades.
Lilia miſta roſis intexere digna coronam
Divitias horti, te veniente, paro.
Plurima cera etiam, atque expreſſæ munus olivæ
Ante aras flammis eſca perennis erit.
Hic pronus ſolvam grates tibi Rector olympi,
Et ſpargam toto florea dona ſolo.
Sanctorum exuviæ, monumentaque ſacra patebunt
Ornatu, quantum pauperis eſſe poteſt.
Lætitiaque mea conſortia læta fruentur,
Lætitiæ ſocios quærere gaudet amor.
Junctus amicitiæ vinclo conviva ſedebit
Plurimus, ut cunctis gratior hora fluat.
Nos inter lepidique joci, riſuſque volabunt,
Et totam implebunt gaudia pura diem.
Tres etenim memoro cæleſti ſede beatos,
Quos idem e noſtro ſanguine ſignat avus.
Et locus, & tempus quamvis non convenit, omnes
In ſuperas ſedes detulit una dies. (*a*)
Quadraginta viri, quos dux Azevedus honorat,
(Ille quidem ſicco qui pede calcat aquas; (*b*)
Cui parent elementa, & quem formidat Avernus)
Orbe novo expandunt candida vela notis.
Quam ſudore fidem populis infundere pergunt,
Præcoce jam firmat ſanguine quiſque ſuo.

Hæretica ſcelerata cohors volat obvia pinu;
Et rapida in ſtrages agmen inerme petit.
Heu caput abſcindit rabie ſuccenſus & ira,
Ignati, ſtricto perfidus enſe tuum.
Limitem agit ferro, & latere ex utroque pependit,
Morte ſed illata viſa carere manus.
Virginis effigiem dextra victrice ferebas,
Quæ dici eximium poſſet Apellis opus.
Chriſtiadis teneros movet illa in pectore ſenſus,
Illam hoſtes torvis aſpiciunt oculis.
Jam fœdanda luto, pedibus calcanda paratur,
Sed fruſtra inſudant eripere ex manibus.
In mare projiciunt victorem mortis, at ille
E mediis monſtrat nobile pignus aquis.
Elataque manu, comitum fluitante corona,
Numinis imperium vel ſine voce docet.
Lumina ſæpe hoſtes tendunt accenſa furore,
Dum pia Chriſtiadum lumina tenſa madent.
Unus in obtutu ſemper defixus inhæret,
Cum ſolem excipiunt æquora, ſolus adeſt.
Tum lateri accedit navis ſanctiſſimus Heros,
Et dextra caram tradidit effigiem.
Hæc modo ſolamen ſtudio ſervata fideli
Jeſuadum, ſparſi ſigna cruoris habet.
Tempore cuncta ſimul Thereſia cernit eodem, (*c*)
Hiſpanaſque implent nuntia fauſta plagas.
Diſtincte agnovit quos ante agnoverat, & cor
Lætitia implevit notus ab ore Nepos.
Ne cito perveniat, celerem diſtantia famam
Impedit, at nil, quod jungere poſſit, habet.
Romulidum Præſes facto decrevit ab iſto,
Fœmina quod ſupera prædita luce fuit.
Non referam, Ignati, quæ geſta illuſtria vitæ
Ante actæ tantum promeruere decus.

Ut-

Utque mei Proavi te glorior eſſe nepotem,
Sic Proavæ Frater jure colendus eris. (*d*)
Ad Salſetanas animum convertimus oras,
Qua trahitur ſalſis lactea gemma vadis. (*e*)
Quatuor hic ſocios generoſo Aquaviva triumpho
Addidit: Antoni, te mea muſa notat.
Xaverii exemplo flagras, & pergis ad Indos
Barbara ſollicitus ſubdere corda Deo.
Ecce duo, nec nos Romana oracula fallunt,
Sponte cadunt Domino victima grata ſuo.
Tertius extat adhuc, quo noſtra Europa ſuperbit,
Quemque ſuo ſemper fovit amica ſinu. (*f*)
Te Simeon memoro, te quem Lojola ſodalem
Elegit: tanto dignus honore micas.
Te Duce qua extendit Lyſia, atque Hiſpania fines,
Jeſuadæ primas incoluere domos.
Sed quo, Virgo Parens, Tibi deditus eſſet amore,
Dignata es miris prodere Diva modis.
A dextris Regina tuis multo adſtitit auro,
Et vario ornatu ſplendida veſtis erat.
Legerat hæc quondam Divino in codice: & offers
Te ſubito attonitis conſpicienda oculis.
Proh! quæ deliciæ, quæ gaudia pectus inundant!
Non ea conceſſum vatibus exprimere.
At me felicem, monumenta domeſtica cernens,
Si ſapiam ſtudio tendere in aſtra pari.
His Pater exemplis, & me pia Mater alebat;
Hac etiam greſſus duxit uterque via.
Quin alios memoro non diſpare laudis honore,
Et proprio indignus ſanguine ſolus ero?
Felices animæ! tuto requieſcite portu:
Noſtra procelloſis cymba vacillat aquis.
Heu doleo, quod non veſtro ſim dignus amore;
Non tamen immemores vos precor eſſe mei.

'Ante Deum precibus miſerum ſervate nepotem,
Ut veniam veſter poſt mea fata comes.
Sanguine conjunctum non ultima ſeparet ætas,
Qua vel ero felix, vel ſine fine miſer.
Interea veſtra lætentur ſorte ſodales:
Hæc modo materies laudibus apta venit.

(a) *Diverſis annis, ſed eodem die recurrente, unus in America, alius in Aſia, & alius in Europa.*

(b) *Innuuntur miracula a V. P. Ignatio de Azevedo patrata, præcipue cum ſiccis pedibus magnum flumen pertranſiit.*

(c) *Cum quadraginta ſociis pro fide occiſus, dum in Americam eos duceret ad fidem Catholicam propagandam, prædata ab Hugonottis prope inſulam Palmam navali conflictu Luſitana navi, Jeſuitæ omnes in mare projecti, plures trunco capite. Horum primus Ven. P. Ignatius de Azevedo, e cujus manu nulla vi potuerunt Hæretici imaginem B. Virginis evellere, quam deinde catholico viro ultro conceſſit. Omnia ibi geſta vidit eodem tempore in Hiſpania S. Thereſia ita diſtincte, tamquam ſi præſens eſſet, & inter Martyres nepotem ſuum agnovit. Hujus viſionis argumento, decrevit S. Sedes, cum Thereſiam ſanctis adſcriberet, ſpiritum ei propheticum illuxiſſe.*

(d) *Ven. P. Ignatius Avum habuit Lupum Dias de Azevedo Proavum meum.*

(e) *Ven. P. Antonius Franciſcus ſocius in Martyrio Ven. P. Rodulphi Aquavivæ, Frater fuit meæ Proavæ. Proavos hic voco linea recta aſcendentes. De utriuſque Martyrio conſtare jam declaravit Eccleſia.*

(f) *Ven. P. Simeon Rodriguez de Azevedo unus ex primis novem Sociis S. Ignatii de Lojola. Innuitur celebris viſio, dum Horas Canonicas recitaret, ad illa verba:* Aſtitit Regina a dextris tuis.

Traduzione della precedente Elegia

DI S. E. GIROLAMO ASCANIO MOLIN

P. V.

ECco il meſe s' avvanza,
Che trae da Giulio il nome,
In cui d' alta eſultanza
Dar ſaggio io debbo, come
Sia il ſol ſu lui dall' Orto
Quindici volte ſorto.
Deh ſorgi, o dì, non ſolo
Illuſtre quì fra noi,
Ma ancor dell' alto polo
Lieto ai beati Eroi,
Sorgi, o dì, che felice
Fai me pur, quanto a Uom lice.
Tu a me d' ardire ignudo
Dal Ciel prometti aita,
Tu ſprone, gloria, e ſcudo
Sei di queſta mia vita;
A te di più colori
Serbo io ſerto di fiori.
Sparſo di fiori il ſuolo,
Cinte di fiori l' are,
Al gran Rettor del Polo
Oſerò gl' Inni alzare
Fra il chiarer ſempre vivo
D' ardente cera, e ulivo
Ma il maggior ornamento,
Che a povera Ara lece,
Tien cuſtodite drento
Lor nicchie diece, e diece
Sante reliquie, e ſpoglie
D' alme che il Ciel accoglie.
Fien della gioja mia
In parte altri chiamati:
Scevro di geloſia,
E di rancor malnati
Gode l' amor di avere
Compagni nel piacere.
Sederan folti amici
Al deſco mio d' intorno,
E fra motti, ed amici
Scherzi volerà il giorno:
Riſo, giubilo, e gioco
Quà pur denno aver loco.
Ricordanza felice
Che queſto dì m' adduce!
Da una ſteſſa radice,
Ond' io venni alla luce,
Vennero in altra etade
Tre ſante anime rade.
In sì gran dì, che è preſſo
A ſorgere gradito,
Benchè non ſia l' iſteſſo
L' anno, o lo ſteſſo il ſito;
In eſſo eguali palme
Volaro a cor quell' alme.
Azevedo è il primiero
D' altri quaranta Duce,
Che per nuovo ſentiero
Recò del ver la luce
A un mondo in ſin qua occulto
A noſtre leggi, e al culto.
Ma

Ma prima che alla ſede,
Che a lor infiamma i petti,
Procaccin nuove prede
Coi veraci precetti,
E aſpergan di gradito
Sudor l' eſtranio lito:
Ecco a più certe prove
Dei ſovruman miſteri
Il loro ſangue piove;
Che di ſettarj fieri
Un incredulo pino
S oppone al lor cammino:
Il pin, che i ſanti in grembo
Porta, al nemico oppoſto
Cede; e al reo comun nembo
Sei tu, Ignazio, il più eſpoſto;
Tuo capo un colpo fende,
Che in duo di quà, e la pende.
Più la tua ſantitade
Che degli altri era in grido;
Tu a piè le ondoſe ſtrade
Varchi da lido a lido;
Ligio t' è ogni elemento,
E n' ha Inferno ſpavento.
Appo te dipinta era
Della Vergine Madre
L' immago e viva e vera,
Quali ſolean leggiadre
Di man di Apelle uſcire,
Sembra che parli, e ſpire.
Eſſa dei fidi in petto
Teneri affetti deſta;
Quinci con più diſpetto
L' empia ſchiera ſi appreſta
Lei di fango bruttare,
E ſotto i piè calcare.
Ma non ſalda tenaglia,
Che tien ferro rovente,
Il gran vigore agguaglia
Di tue man ne anco ſpente,
Onde trarre il bel pegno
Non lice al volgo indegno.
Benchè ſua feritade
Fa che il Santo in mar balza,
Non val; che di pietade
Bel trionfo egli innalza;
La ſacra immago illeſa
Tien verſo i rei ſoſpeſa.
E impera ai ſalſi ſtagni
Pur ſenza voce, e al legno
Tien dietro in fra i compagni.
Di ſcellerato ſdegno
Chi beſtemmia, e chi pio
Verſa di pianto un rio.
Inſino allor che i rai
Il ſol nel mare aſconde,
Evvi un ſul pin, che mai
Non diſtacca dall' onde
L' occhio pietoſo, e ſolo
Reſta omai de lo ſtuolo.
A lui ſi fa vicino
L' Eroe, che ſebben privo
Di vita, inverſo il pino
Erge il pugno ancor vivo,
E a lui l' immago affida
Salva dall' onda infida.
Su queſta, mercè di eſſo,
Quinci aver vi conſente
Agl' Ignazian l' impreſſo
Sparſo ſangue innocente,
E di alleviare in lei
Caſi sì acerbi, e rei;

De'

De' quai la ſerie amara
Tereſa a lor ſorella,
Tereſa al Cielo cara
Pur ſcorgea da ſua cella
Sin nell' Iſpano lido,
Pria che ivi giunga il grido.
Un ſuo Nipote degno
Fra gli altri eletti Frati
Vedea ſul crudo legno
Scopo ai colpi ſpietati,
E di allegrezza il ſeno
Per tal gloria avea pieno.
Sebben la fama l' ali
Spieghi, far dee ſuo corſo
Per le vie de' mortali:
Ma a color che ſul dorſo
Leva ſpirto divino,
E' un punto ogni cammino.
Il Vicario di Criſto
Per sì gran fatto ſcorſe,
Che da chi fu previſto
Ciò, che sì lunge occorſe,
Non era il ſoprumano
Alto favor lontano. (*luſtri*
Ma, o Ignazio, ſe a' tuoi il-
Geſti vo' far ritorno,
Che di tua vita ai luſtri
Dier fama d' ogni intorno,
Troppo oltre agli omer miei
Sollevarmi dovrei.
Baſta per me la gloria
Che a un Avo mio Nipote
Te decanti la ſtoria;
E già il penſier mi ſcuote
Di un' Ava il buon Fratello
Nel merto a te gemello.
Di Salſette alle ſpiagge
L' animo mio ſi volta,
Da' cui gorghi ſi tragge
Gemma entro guſcio accolta,
Di Antonio a rimirare
Il merto ſingolare.
Un de' Compagni egli era
Del ſplendido Aquaviva,
Che all' Indie la carriera
Del Saverio ſeguiva,
Onde i barbari petti
A Dio render ſoggetti.
Nè Ignazio, a Antonio ſolo
(*Quai la Chieſa ne addita*)
Offriro al ſommo polo
In vittima la vita;
Di quella ſtirpe ancora
Venne un, che a par l' onora.
Un terzo, onde faſtoſa
La noſtra Europa vaſſi,
Che nel ſeno amoroſa
Tutti accolſe i ſuoi paſſi.
Tu il ſei, che pur ragione
Ne' miei carmi hai, Simone.
Te ſcelto avea il Lojola
Per ſuo Compagno fido,
E ben della ſua ſcola
Feſti più illuſtre il grido,
Procacciando a lei degni
Seggi ne' Eſperii regni.
Ma la Vergine Madre
Seppe ben far paleſe
Quai fiamme in ſen leggiadre
Ver lei nodriſſi acceſe;
Al guardo ſtupefatto
Ti ſi offerſe in dolce atto,
An-

Anzi in quell' atto ſteſſo,
In cui leggevi d' eſſa
A' fianchi tuoi dappreſſo
Ve' la Regina; è deſſa:
Fra molto or folgorante
Veſte a vario cangiante.
Oh qual dolcezza, oh quale
Gioja il petto t' inonda!
A ridirlo mortale
Voce è troppo infaconda.
Ben me dirò felice
Sorto da tal radice!
Da tua radice ſteſſa
A me prodotto al mondo
Di ſeguir ſia conceſſa
Via tale, onde in giocondo
Fine anch' io poſſa un giorno
Aver tra voi ſoggiorno.
Me il Padre, me la pia
Madre da' primi tempi
Fin dell' infanzia mia
Nodrian de' ſanti eſempj,
Dietro a' quai la lor vita
Fu pur corſa, e fornita.
Che anzi altri ancora io poſſo
Per cotai vanti chiari
Annoverar; e moſſo
Io non ſarò più guari?
Reſtando a dietro tardo,
Frà ſnelli il ſol codardo?
Alme felici, in porto
Voi che ſicuro ſtate,
Ne' flutti quaſi aſſorto
Il legno mio mirate;
Ah non avrò io roſſore,
Nè ſcuoterò il torpore?
Che ſe io pur me conoſco
Del voſtro amore indegno,
Con occhio irato e loſco
Non ſate d' ira ſegno,
Ma di pietà piuttoſto,
Nè in obblio venga io poſto.
Voi che farlo potete,
A favor del Nipote
Appo Dio vi apponete
Con ſupplichevol note,
Affin che dopo morte
Poſſa eſſervi conſorte.
Me a voi di ſangue unito
La morte non divida
In quel dì ſtabilito,
Dì, che fia, che decida,
O ch' io mi ſia beato,
O in eterno dannato.
Ma i miei compagni intanto
Di voſtra gloria lieti
Innalzino a Voi il canto
Sopra gli altri Poeti,
Giacchè niſſun Poema
Ebbe più eccelſo tema.

DE NOCTE NATALIS DOMINI,

Qua etiam Vates natus eſt.

O Cælum! qua nocte Deus, qua naſcitur hora,
(Vivere debueram tempus in omne memor)
Lenta prius fluxere decem, dein ſæcula ſeptem,
Sol tredecim repetit per ſua ſigna vias,
Tunc ego vitales prodiſſe in luminis auras
Glorior, & templo proxima Mater erat.
Huc Pater accurrit, quando ipſa doloribus angi
Incipit, & præſens, dum licet, eſſe cupit.
Atque oculis, ubi Myſta ſacer faciebat ad aras,
Præbebat facilem parva feneſtra viam.
Æra notant populo Dominum ſub imagine panis
Oſtendi, atque Parens flexus humi genua
Pectora ter quatiens venerabile Numen adorat.
Surgit, & advolvit lumina: natus eram.
In templum junxiſſe manus, tendiſſe propinquum
Brachia, narrat adhuc fama relicta loco.
Sed ſitus, & potuit ſuadere hæc teſtibus hora,
Non temnenda animo ſunt tamen ipſa meo.
Quid tot ſigna juvant, ſi me non excitet omni
Tempore, quod ſignis calcar ineſſe ſolet.
Patruus exultat, cui cura eſt tradita templi,
Nec ſinit infantem, Matre abeunte, vehi.
Sic pariter duo luſtra domo numeramus eadem,
Et fueram caro gloria blanda ſeni.
Oh utinam morum exemplar permitteret ætas
Noſcere! quam diſpar forſitan ipſe forem!
Non tamen auſus ero mortem incuſare rapacem;
Non imitanda minus cum Patre Mater erat.
Summe Deus, natum, quo tempore naſceris Infans,
Me placido ſemper lumine conſpicias.

TRA-

TRADUZIONE

DEL NOBILE SIGNOR CANONICO

GIOVANNI MODESTI GASPAROLI FANESE.

VOlgea la notte veneranda, e l'ora,
Che ſceſe a confortar l'egra Natura
Sotto uman velo il Verbo, all'or ch' io fuora
Uſcj dell'alvo dalla ſtanza oſcura.
Ben io dovea per grato affetto ognora
Portar ſcolpita in cor l'alta ventura;
Ma ſe addietro nol fei, l'eccelſo dono
Voglio de'carmi ora eternar col ſuono.

Secoli dieci e ſette han con le penne
Lente traſcorſo già l'aereo voto;
Tredici volte ai ſegni uſati venne
Pur anco il Sol col remeabil moto,
Dacchè l'evento memerando avvenne
Bella cagion del mio piacer divoto.
Stava la Madre a dar vicina al Tempio
Di tenera pietà ſolenne eſempio.

Quando il turgido ſen da un aſpro duolo,
Che del parto è forier, morder ſi ſente,
Il Padre a que'ſuoi lai corre di volo,
Che brama al mio ſpuntar eſſer preſente:
E' giugne quando in ſe raccolto, e ſolo
Offre il Miniſtro a Dio l'Oſtia innocente:
Tutto ei vedea, che l'ineffabil opra
Feneſtra anguſta gli ſcoprìa di ſopra.

Già

Già il Nume ſceſo dall' Empirea chioſtra
Chiuſo dai grandi accenti in bianco velo
Annunzia un piccol ſuono, e già ſi proſtra
Tremando il Padre al gran Signor del Cielo;
Tre volte il ſen percote, e sì dimoſtra
Coll'atto umile il riſpettoſo zelo:
Sorge, ſi ricompone, e a ſe vicino
Vede, gli occhi in girar, nato il Bambino.

Che le braccia io tendeſſi, allora inſorſe
Fama, e di quella voce è pieno il loco.
Dal Miſtero, e dall' ora eſſa fu forſe
Moſſa; ma non degg' io prenderla a gioco.
L'alto preludio, che al Natal mi porſe
Propizio il Cielo è per me nulla o poco,
Se al cor quel forte ſpron poi non aggiunge,
Che al magnanimo oprar n'eccita, e punge.

Gode il Zio, cui del Tempio era commeſſa
La cura, e colla Madre andar mi vieta;
Due luſtri avermi nella caſa iſteſſa
Fu del buon vecchio dolce gloria e lieta.
Oh perchè a quella età non fu conceſſa
La conoſcenza di ſua nobil pieta!
Che di ſanti precetti il cor coſperſo
Troppo or ſarei da quel che or ſon diverſo.

Non accuſo io perciò morte rapace,
Che de' primi anni in ſul fiorir mel tolſe:
Pari innocenza, e pari onor verace
Il ſaggio Padre, e la pia Madre accolſe.
Eterno Dio, la cui pietà ferace
Con ſi diſtinti pegni a me ſi volſe;
Gira ognora ſu me benigni i lumi,
E i miei paſſi diriggi, e i miei coſtumi.

DE BIBLIOTHECA ET SANCTUARIO SUO.

EPIGRAMMA.

DIvitias alii quærant, mihi curta ſupellex,
Si lato excipitur Bibliotheca ſinu.
Divorum exuvias ſimul ara domeſtica ſervat,
Oh utinam ornatu conveniente forent!
Corpora bis octo, tum millia quatuor addas
Fragmenta ex regni civibus ætherei.
Cum tribus eſt genitis Mater, ſed nomina neſcis;
Corpora nomen habent quatuor, octo carent.
Cum tot præſidiis inopem fortuna juvaret,
Debueram fieri doctus, & eſſe pius.
Seſe excuſandi vanas ſibi fingere cauſas
Forte aliquis poſſet; ſed mihi nulla favet.

R. P. MICHELI DE AMARAL.

CUR Sophiæ tenebras, & barbara diſcere verba,
Semper in obſcura degere nocte mones?
Nil prodeſſe mihi, te Judice, carmina poſſunt;
Et ſtupidi vates futile nomen habet. (*a*)
Hæc ais: oblitum Sophiæ me denique credis,
Utque trahant totum carmina grata times.
Et tamen Euclidis me cuncta elementa notaſti
Solvere, quæſitis omnibus expoſitum.
Et Phyſicæ leges, & quid Natura miniſtrat,
Materies fuerat theſibus ampla meis.
At doleo, ſpernas quod nomen amabile vatum;
Quod ſtultum effutit vulgus, in ora trahis. (*b*)
Non bene conveniunt ſemper ſua nomina rebus,
(Hic tamen, ingenio me prohibente, moror)
Luce caret lucus, bellum bellum eſſe negamus,
Parcere parca nequit, Barbara culta fuit.

No-

Nomina ditis amat Pluto, ſed dulcia, quiſquis
Ambit opes, eadem nomina ditis amat.
Qui fatuos dicunt Vates, venerantur eodem
Nomine, queis Numen mentem agitare ſolet.
Inde nihil prodeſſe inquis mihi carmina? teſtem
Te volo, pluſne metrum proderit, an Sophia?
Salgama, Paſtillos, Fructus, Bellaria, verſus
Non mihi lucrantur quatuor, inde decem? (*c*)
Hæc puero merces, patre exultante voluptas
(Teſtis ut adfueras) quam ſit habenda, vides.
Carmina nil proſunt? doctum certamen inivi,
Cum ſacra Jeſuadum jam mihi veſtis erat.
Carmina certanti tu ſcis duodena dediſſe
Præmia, & auxilio prima fuere tuo. (*d*)
Paſtorem teneros numerantem vidimus hœdos,
Sæva noverca hœdos bis numerabit, ais.
Inde tibi in mentem verſi venere Maronis.
Quædam ibi vox fuerat finibus apta meis.
Quin duo verſiculi (nihil eſt pretioſius illis)
Argenti jungenda Uncia dimidio; (*e*)
Hoc lucrum peperere; alia & mihi carmina tale
Si parerent; Cræſo ditior ipſe forem.
Laudavi conſtructa novo duo pulpita templo,
Præmia ſunt laudes magna ſequuta meas. (*f*)
Carmina Doctorem in Sophia (quis credere poſſet?)
Conſtituunt, tanto doctor honore ferar. (*g*)
Annulus in digito, pendentia fila bireto,
Cæruleæ & veſtis, dona Poeſis erunt.

(a) *Hanc parvam elegiam inter rejectas ſepoſueram, ſed ab amico, cui contradicere nefas duxi, rogatus hic addo, cum prolixis, quibus indiget, annotationibus. Timebat P. Amaral finito magiſterio Rhetoricæ, quo totus in Pindo fueram, ut Philoſophiæ ſtudium faſtidirem, ad quod poſt ſex annos deſtinari debueram.*

Reſpon-

Reſpondeo me in magnis Theſibus de Phyſica & Hiſtoria naturæ, & in omnibus elementis Euclidis, quorum examen ſubii, oſtendiſſe non ita eſſe ab his ſtudiis alienum.

(b) *Solent Luſitani vocare vates, illos, qui veluti ſtolidi nihil advertunt, ſed vates pariter vocant, qui carmina pangunt, & nomen vatis ut in primis eſt lepidum, in ſecundis eſt venerabile, & glorioſum.*

(c) *P. Paes, qui ſupra nominatur pag.* 308. *ſimul cum P. Amaral hoſpites fuerant in domo vatis, cum quatuordecim eſſet annorum: fuerunt a communi amico invitati omnes ad prandium, & cum in fine appoſita de more fuerit orzya cum lacte & ſaccharo vulgo in Luſitania* Arroz doçe, *& mihi oblata, reſpondi:*

He juſta rezaô aceite — Porem eſſe arroz agora
Favores a toda a hora, — Nao he para mim deleite.

Ad lætitiæ incitamentum poſt prandium concentus muſici adhibiti ſunt, & amicorum concurſus; & nullo propoſito argumento inſtitutum eſt: Oiteiro, *quilibet verſum excogitabat* (Motte) *quo difficile eſſet carmina terminari. Convivii dominus nomine Petrus de quo dicebatur talem truci viſu terrorem incutere, ut homines ab eo devorari timerent, cum animum omnino a vultu diverſum haberet, quo nihil jucundius & amabilius; hanc puerilem opinionem in jocum vertens, hunc verſum propoſuit:* Huns homens que Pedro come. *Subito mihi in mentem venit quomodo in hoc verſu decem finirem, & indicto ſilentio, ita exclamavi:*

Motte. Huns homens, que Pedro come. Gloſſa.

Pedro eſteve moleſtado — E eſtà morrendo de fome,
De huma doença taô forte — Eſta nova me conſome,
Que eſteve as portas de morte, — Mil affliçoens me vieraô,
Dos Medicos deſconfiado; — Mas ja hoge me diçeraô
Dizem naô prova bocado, Huns homens, que Pedro come.

Placuit Patri meo tam reſponſio ad Oryzam, quam hi decem

decem verſus, & plura mihi bellaria donavit, quod factum ſupra etiam commemoro in Epiſtola ad P. Paes, qui ſimul aderat cum P. Amaral, ſupra pagin. 310. *verſu* 45. Quando ipſe parentem Bis potui lepidis exhilarare jocis.

(d) *In Provincia Luſitania Rhetores primi anni in una aula, Rhetores ſecundi in alia, in tertia Philoſophi conveniebant Dominicis Julii, poſt communionem, facta deinde in Refectorio collapſione, quia plurimi uſque ad occaſum ſolis in ea morabantur aula. Ibi dato argumento, ſeorſim ſcribebant. Quinque erant certamina: Compoſitio oratoria, 2. Heroica. 3. Elegiaca. 4. Epigramma. 5. In lingua Græca. Non ſubſcribebatur nomen, ſed præfectus ſtudiorum appoſitis numeris, nomina apud ſe ſervabat. Judices a Rectore eligebantur, & poſtea menſe ſeptembri coram omnibus præmia diſtribuebantur primum, & ſecundum. Unde ſingulis annis triginta præmia. Ego hoc inivi certamen quinque annis, quinquies in anno, unde viginti quinque vicibus, duodecim obtinui præmia: hæc pretio æquivalebant, majora quatuor ſcutat. Roman., minora cuti cum dimidio. Barbariſmi magnæ erant infamiæ, ſed maximæ ſollectiſmi. Primo anno, cum adhuc nimis tyro eſſem, materia nobis propoſita eſt pro Elegia de duabus matribus apud Salomonem de filio decertantibus. Ita incepi.*

Mutua Rex Salomon, ſe præſide, bella videbat,
Cum ficto verus bella movebat amor.
Pugnat enim duplex uno pro pignore mater,
Et cupidæ partes utraque matris agit.
Vindicat una ſibi, ſibi vindicat altera natum,
Sæpius iſta ſuum nominat, illa ſuum.
Cum fruſtra aſſertum documenta probantia quærat,
Ore truci Salomon: Utraque vincat, ait:

Scin-

Scindamus puerum, ceſſent ut bella; triumphi
Dimidium, ferro judice, quæque ferat.
Heu dolor! heu genito gravis eſt mihi pœna carere;
Pœna minor ſola parte carere mihi eſt.
Ergo ſcinde meum, lictor fere, ſcinde puellum,
Mater ait, monitu cognita falſa ſuo.
Fida tamen Mater, quia vera, libentius optat
Jam vinci, & genito provida ſponte caret.
Deſtinet oppoſito rapidiſſima corpore ferrum,
Miſtaque cum lacrymis talia dicta dedit:
Sint aliena, licet mea ſunt hæc pignora, ferrum
Contrahe, quod potius pectore conde meo.
Adde, quod innocuus puer eſt; ſine crimine mortem
Incutis? in pueros dedecet iſte furor.
Adde quod alter ego puer eſt; quo vulnere natum
Læſeris, ipſe mei funeris auctor eris.

Cætera omittuntur; hæc tranſcripſimus, ut Judicum objectio per ſtudiorum præfectum communicata referatur, quod nempe in hoc penultimo verſu alter *erat generis fœminini, ſiquidem* ego *cum quo concordare debet, eſt Mater. Quæcumque in dictionariis, & in Latinæ linguæ commentariis, invenire potui, omnia bono in lumine collocare ſtudui, ſed ſuſpicatus ſum Judicibus non ſatisfeciſſe. Poſt aliquot dies iter agendo cum P. Amaral, vidimus Paſtorem hœdos numerantem, & venerunt nobis in mentem duo Virgilii verſus:*

Eſt mihi namque domi pater, eſt injuſta noverca,
Biſque die numerant ambo pecus, alter & hœdos.

Ambo *debet eſſe maſculinum, quia cum* Patre *&* Noverca *concordat; ſed* Alter *concordat cum ſola* Noverca, *& tamen a Virgilio maſculinum ponitur. Subito ex itinere curſorem miſi Coimbriam cum hoc Virgilii textu, & opportuno tempore præmium obtinui. Vere diſticon, cui hæc nota correſpondet, inter obſcuriſſima,*

ſima, & inintelligibilia recenſeri debet, ſed ſcribebam familiariter amico facti conſcio.

(e) *Inter præmia, unum in epigrammate obtinui, quod minimum eſt, at cum uncia & dimidia argenti conſtaret, & Epigramma unico diſticho clauderetur, ſatis eſſet vati, ſi tale lucrum ex tot carminibus reportaret. Materia erat:* Tyrannus, qui ne inſidiis ſubjaceret, nullo famulo utebatur, ſibi victum & omnia parare ſolitus.

EPIGRAMMA.

Imperium ut ſerves, ſervos quid ſtulte recuſas?
Servi ubi deficiunt, deficit imperium.

(f) *Præfectus Templi S. Antonii cum pulpita nuper conſtructa laudaſſem, plura mihi munuſcula ſcholaribus dari ſolita, generoſe largitus eſt; pulpita laudata videri poſſunt hoc tomo a pag.225. ad 231.*

(g) *Lepidum eſt præmium mihi conceſſum ob carmina, nempe laurea Philoſophica, ut videri poteſt in fine Epiſtolæ ad Generalem tomo primo pag.231. ſed tamen experimenta jam omnia feceram a ſex annis, habebam omnia requiſita, unde carmina non fuerunt meritum, ſed excitamentum. Ultimun diſtichon notat doctorum in Philoſophia inſignia.*

Demum mirabere, cum res etiam minutiſſimas memorem, nihil de operibus Romæ vel in obſequium Benedicti XIV., vel ejus juſſu editis hic invenire, ſed tempus non ſupererat, ut animum ad carmina diverterem. In primo opere Poetico a me vulgato, nempe in Deſcriptione Venetæ Urbis *obſervare potes me ita incipere:*

Ille ego, qui quondam ſtudiis per luſtra ſeveris
Quatuor addictus, Cytharam ad Capitolia fregi.

Admodum R. in Chr. Patri P. Ignatio Schſvarz S. J. Lucernæ Rectori. Emmanuel de Azevedo ejuſdem Soc. Salutem (Epiſtola ſcripta anno 1755.)

CUM bene apud memores ſtet amantis gratia Patris,
Fixa meo tua ſemper erit clementia corde.
Tu me læto animo venientem amplecteris, omni
Sollicitus ſtudio, quæ ſint mihi commoda, quæris.
Tu, quam Præſul habet, noſtras cum circuit ædes,
Jeſuadum Præſul, cui dat Provincia Nomen,
Das aulam rite inſtructam, fornacula flammis
Continuis ardere jubes, ſed frigora pellens
Veſtibus, inſuetos petii removere calores.
Viſendi ſtudio luſtravi Palladis arces,
Quas habitat duodena cohors; diffundis in omnes
Lætitiam, ſemel a ſtudiis nam ſponte vacare
Indulges, non poſſe meo contingere donum
Lætius adventu, & geſtu, & clamore fatentur.
Prandia dat præſul Romanis miſſus ab oris
Nuntius officii ratione ac nomine dictus,
Tu noctu ſupplere ſtudes, & ad omnia præſens
Oſtendis quantum valeat ſtudioſa voluntas.
Vina paras pretioſa, doles non poſſe potiri,
Cum tantum ſim potor aquæ, ſed provida cunctos
Adventu gaudere meo tua dextera fecit.
Atque ut Jeſuadæ mecum præſente fruantur
Nobiliore hauſtu, ad lautæ convivia menſæ
Ut ſemel aſſideam, mira dulcedine cogis
Comiter invitans, poſtquam dilata facultas,
Non votis Præſul tantum annuit, at ſimul ultro
Improviſus adeſt menſæ comes additus, omnes
Aſſurgunt, tantoque excreſcunt hoſpite plauſus.
Quid referam officia, & certamen amabile charos
Inter Jeſuadas! Sinicos hic preparat hauſtus,

Hic

Hic ſale Braſilico potum commiſcet amarum.
Certatimque omnes (Italus nam deficit uſus)
Mexiacos latices agitato turbine verſant.
Utque etiam gratum efficiat ſaba Turcica potum
Copia lactis adeſt, ſemperque oblata parantur
Fercula, deliciæ, atque oblectamenta palati.
Quæq. etiam in mentem veniunt, (quis credere poſſit)
Ingenioſus amor veluti divinat, & ultro,
Siqua paranda forent pretio, munuſcula donat.
Hos inter Rutiman (mihi nomen amabile) larga
Frater uterque manu generoſum oſtendit amorem.
Quid referam humanos ſincero ex corde favores,
Præclaroſque viros, moderatoreſque ſanatus,
Qui me tot ſignis gratum eveniſſe probarunt?
Nomine fauſta meo precor omnibus omnia dicas,
Lucerna ex animo nunquam excidet, ac memor omnes
Jeſuadas charo amplexu reverenter adoro,
Qui me ſunt fixis (cimba fugiente) ſecuti
Diſcedentem oculis, & candida deinde per auras
De longe elatis agitarunt lintea dextris,
Quiſque animum, donec licuit, patefecit amicum.
Luna quater latuit, pleno quater orbe recrevit,
Et longum mihi reſtat iter, dubiuſque futuri,
Dum me Roma vocat, revocat Germania, & urbes
Tres etiam Italiæ vellent retinere morantem,
Et perago peragenda, & cæcus obedio, nuſquam
Fixus adhuc: nunc vix aliquid conſiſtere poſſum,
Et ſubito mea cura fuit tibi ſcribere, tuque
Scribere ſi cupias, mittatur Epiſtola Romam,
Ut facio, tutum Emporium, quo poſſumus uti.
Idibus Auguſti me docta Bononia ſervat,
Jamque vale: tibi fauſtam opto, cunctiſque ſalutem.

CHARISSIMO, & CLARISSIMO VIRO.

R. P. Carolo Noceti S. J.

CHare Parens, quamvis noſtrum nil ducis amorem,
Quamvis non charus ſim tibi, chare Parens.
Nobilius, quam quæſieras, ſacrum accipe munus,
Tum parvo includi limite neſcit amor.
Parva petis, quod parcus ames; ea munera ſperas,
Quæ quæſita tuus vix dare poſſet amor.
Non menſura tui meus eſt (ſi credis) amoris,
Menſura eſt meritum, vel ſine amore, tuum.
Verba (negare nequis quæ me meruiſſe) negaſti,
Quid quæram ulterius, ſi mihi verba negas?
Divorum exuvias tibi mitto; has capſula duplex
Servat nominibus cuncta notata ſuis.
Criſtallum exornat faciem, qua parte videntur,
Ne manibus tangi pignora ſacra queant.
Parte alia rubro ſunt obſignata ſigillo,
Quod crucis in formam ſerica fila tegit.
Mitte exoptatum peregrinas munus in oras,
Mitte, & amicitias perge fovere tuas.
Munera, quæ magno credet quæſita labore
Accipiens, de te dicet amicus, amat.
Dicat, & expenſis redamet te Carole noſtris,
Hoc merito major ſit tua culpa meo.
Non tamen ut mecum facis, inconſulte Nocetti,
Sed tecum ut facio, tu quoque fac reliquis.
Invenies alios, queis ſis chariſſimus, at quem
Non cures, & amet, non alium invenies.

DE CL. VATE XAVERIO BETTINELLI omni litteratura cultiſſimo. Vaticinium.

MUſarum immortale decus, nova gloria Pindi;
Deliciæ Charitum, quo vinci gaudet Apollo,
Perge ornamentum noſtri ſpectabile ſecli
Sortis ad invidiam ſublimem oſtendere mentem.
Ipſe tuos ortus Nymphas celebrare coegit
Mincius, impexumque urna caput extulit, ore
Fatidico, quaſſans udos de more capillos,
Laudibus innumeris, nec ſolo carmine tantum
Heroo facundus erit, (tunc talia dixit)
Xavier exoritur, morum dulcedine charus,
Tullius Hetruſco ſermone, ut limpidus amnis
Excurret, ſed miro œſtro, ingenioque feraci
Vatibus exemplum, multis pudor, omnibus idem
Nobile calcar erit, toto celebrabitur orbe,
Vulgabit cedro incidi digniſſima, nec jam
Mantua Virgilio fæcunda ſuperbiet uno.
Ite alacres; cytharam, quercu quæ pendet ab alta
Per bis ſecla novem, naſcenti tradite vati.
Dixerat; hæc eadem Muſis patefecit Apollo,
Scenna bipartiti qua ſummo in vertice montis
Laurea marmoream circundat Numinis ædem.
Sed Famæ indixit, quæ ſacro in monte vagatur
Imperio ſubjecta Dei, ut per luſtra moretur
Quinque prius, tum magna tubæ argumenta ſonoræ
Fulgebunt, ſemperque dein majora recurrent.

In morte Doctiſſimi viri Fabii Danzeta S. I.
EPIGRAMMA.

MÆſta ſepulchralem ſapientia proſpicit urnam,
Et lente accedens fletibus ora rigat.
Muta ſtupet primum, tum me, Danzeta, relinquis,
Ante alios natis annumerande meis,
Clamat, at introrſum vox reflua faucibus hæret,
Impedit & voces, & monet ire dolor.
Te quamquam abſcondat tua rara modeſtia mundo,
Solis ut abſcondunt nubila denſa jubar.
Ille per obſtantes radios diffundere nubes
Aſſolet, ut ſtabilis perſtet in orbe dies.
Te, licet invitum, ſolio proſpexit ab alto
Princeps, qui felix, ſi velit, Argus erit.
Lambertinus honor ſæcli, ſapientibus aſtrum
Omnibus effulgens, urbis & orbis amor.
Numinis Interpres, cæli quoque claviger idem,
Alter Romano culmine Gregorius.
Cumque viris doctis ſummum præſtaſſet honorem,
Solus inaudita laude receptus eras.
Non ſimilem agnovi: ſic dicere ſæpe ſolebat
Doctrinæ omnigenæ nobile prodigium.
Quin gaudet ſocium ſtudiorum ſponte vocare,
Ipſe tamen tanto clarus honore lates.
Omnia ſolicitis renuiſti præmia votis,
Obtinuiſſe tibi poſſe latere, ſat eſt.
Civibus æthereis notus regnabis Olympo,
Hic animi dotes, quæ latuere, patent.
Talia dicentem, ſed dicere plura parentem
In lacrymas ingens cogit abire dolor,
Sic nova conanti lacrymarum flumina voces
Impediunt, & adhuc humida capſa madet.

Cla-

Clariſſimo concionatori Ignatio Veninno in templo S. Laurentii communi omnium plauſu concionanti. Ode Alchaica.

ROmana cedunt Roſtra, nec Atticæ
Clamant Athenæ; muta Demoſthenis
Dicente Veninno, diſerti
Muta ſilent Ciceronis ora.
Non eloquentis ſic rotat ignea
Uterque linguæ fulmina, ſeu vafri
Dolos Philippi, ſive mollis
Inſidias retegit Tyranni,
Quantum hic potenti vocis acumine
Inſanientis falſa proterviæ
Deliria, & mores iniquos,
Atque Erebo male nata quondam
Profligat ardens crimina, quid tamen?
Diverſa prorſus his agitur; ſuas
Illis facultates tueri
Contigerat, Patriaſque leges.
Sublimiorem providus eligis
Orator arti materiem tuæ,
Veninne; dicturoque tantum
Hic ſcopus eſt: Vitium inſequendum,
Laudanda virtus. Macte animo! hæc tua
Eſt meta ſacro Rhetore dignior:
Læſi perorandam affluenter
Numinis arripuiſſe cauſam.
Vides ut ædem confluat in ſacram
Permiſta plebi Nobilium cohors,
Immota dicentem coronat,
Et bibulas Tibi præſtat aures?
Atqui ſuavi percita faſcino

Vix ad loquentem ſuſpicit, intimo
Senſu moveri, deinde retro
Vela dare, atque iterare curſus
Dudum relictos cogitur; hiſpidam
Virtutis ultra non reputat viam;
Delicta formidat, dolenti
Fixum animo eſt ſcelera expiantes
Verſare fletus, & lacrymis pium
Placare Numen; ſic animos ſacro
Succendis æſtu, ſic amoris
Corda jugo obſequioſa ſubdis.
Perge eloquenti concitus impetu
Datura meſſem ſpargere ſemina;
Orco obſtinatos amovendo
Quære tibi ſocios Olympo,
Cælo adlaboras, eloquio potens
Cælo triumphas! Juraque Numinis
Intacta ſubſiſtunt, fremitque
Tartareæ dominator aulæ.
Fremat; tot amplis quandoquidem jacet
Preſſus trophæis. Interea excipe
Vultu benigno geſtientem,
Dum merito tibi plaudit, Urbem

Eodem metro, ſed feliciori vena Cl. Venini Romæ Concionantem laudavit Eruditus & omni ſcientiæ laude conſpicuus D. Joſephus Marinovich, quem amicitiæ cauſa nominare geſtio, ejus oden ſubjicio obſequioſo furto ſublatam.

QUalem ruentem gurgite turbido
Valles in imas, arvaque concitis
Vaſtantem aquis amnem, atque in æquor
Præcipiti fata læta curſu

Paſ-

Paſſim trahentem, quem gravis imbrium
Ultra ſtatutos copia terminos
Deſævientem parte ab omni
Propulit aggeribus revulſis:
Illum Coloni molibus obviis
Sepire certant, ſed violentior
Factus mora, horrendumque ſtridens
Scindit iter medios per agros.
Qualemve rivum, qui pede limpido
Jugo volutus ſcrupea labitur
Saxa inter, & vicina leni
Prata rigat taciturnus unda:
Hic rupe ſenſim proſiliens cava,
Agros hiulcat cum Canis arida,
Laſſo Viatori levamen
Dulce ferens cupidam refringit
Sitim: ille flores Divitis educat
Claros in hortis, ille Potentium
Menſa ſuper diſtractus aureis
Lucidus in cyathis renidet,
Senſit Veninum Turba Quiritium,
Dignamque ſumpſit Roma ſuperbiam,
Ætatis & noſtræ ſagaci
Tempora judicio probavit,
Duxitque priſcis temporibus mage
Laudanda, tanti fulmineam Viri
Mirata vim dicentis, atque
Eloquio ſtupefacta tanto.
Torrentis inſtar crimina vivido,
Moreſque pravos proterit impetu;
Premitque formidandus ira
Perniciem minitans ſceleſtos.
Illi poteſtas inſidet incluſa
Fronti ſuperbæ; nutibus imperat;

Pa-

Palmaſque pervaſit metendo
Auſonias velut ignis urbes.
Quocumque greſſum detulit, illicet
Injecta turpi frena licentiæ;
Jactata Virtus tuta ubique
Perſtitit, edomuitque noxam.
Urbanus æquo ſubſequitur pede
Lepos vigorem; gratia dulcior
Se prodit hiblæo liquore,
Ambroſia mage dulcis ipſa.
Quantoque cunctis robore tollitur;
Lepore tantum par decus arrogat;
Et vim, venuſtatemque nodo
Conciliat ſapiens eodem.
Nunc more rivi leniter influit
Virtutum amorem callidus ingerens;
Nunc cordis invadens latebras
Omne nefas procul inde pellit,
Hac arte magnus pectora Judicum
Molliſſe fertur Tullius, & reos
Inſtantis a cædis periclo
Magnanimo eripuiſſe niſu;
Hunc exerentem laurigerum caput
Cavo ſepulcro (ſacra Veninius
Arcana dum pandens ſtupentem
Eloquio Populum moratur)
Sic elocutum fama refert memor:
Hic unus, hic eſt præripit omnibus
Qui laudis æternos honores
Quot fuerunt, quot erunt Patronis:
Huc uſque noſtrum nomen in ultimas
Manavit oras; hactenus unicus
Orator & votis & ore
Tullius unanimo ferebar.

Dam-

Damnoſa laudum jam tulit æmulum
Ætas Nepotum, jam prope dixerim
Oblivioſa nocte condor
Præſidium Latiæ loquelæ.
Condor libenter ſed tamen, æmulo
Nam laudor ipſo; duplicet Itala
Tellus decorem, meque faſtis
Poſteritas ſociet Venino.

Ad Cl. Scriptorem Com. Jo. Bap. Roberti de cultiſſimo Poemate: Le Fragole.

CArmine dum pingis tua humi naſcentia fraga,
Viſa mihi dulci lingua ſapore frui.
Sic roſtro volucres inhiabant Xeuxidis uvas.
(Picturæ ingenium viva poeſis habet.)
Hoc deſcrimen ineſt: volucres pictura fefellit;
Mi, ſi fraga ederem, non mage grata forent.

P. Antonius de Torres, dum vati diffideret, gratiam ab eo impetrari rogavit, eo tempore, quo exercitia ſpiritualia peragebat.

QUod tua ſolicitus commiſſa negotia curem,
Charta, tibi quam mitto, probat, me namque pu-
Oblitum fortaſſe tui, ſed mollia fandi (tabis
Tempora captavi, pluſque improviſa placebit
Gratia, dumque procul cura ſemotus ab omni
Angelicos inter Juvenes, cæloque, Deoque
Sponte vaco, bis quinque dies mihi redditus uni
Eripior mundo, atque hominum commercia vito,
Te ſolum excipio, te quem monuiſſe recordor
Jeſuadum me caſtra ſequi, dubioſque Parentes
Firmaſti, ſortiſque meæ mihi cauſa fuiſti.

Te

Te duce ſum felix, memorem me ſemper habebis
Ipſe tui, noſtro injuſte diffidis amori.
Neſcio quid livor nos inter ſpargere curat,
Et quamvis incaſſum, aliquid remanere ſiniſtrum
Mente ſolet, ſi jacta ſemel ſub corde fuerunt
Semina diffidii placidam turbantia pacem.
Aſt inimicus homo pœnas luit; omnia tempus
Edocet; incedunt claudo mendacia greſſu,
Quæ facile aſſequitur mens inſcia fraudis, & odit
Cauta dolos, quanquam ingenio ſimulentur, & aſtu,
Non poſſunt latuiſſe diu, verique magiſtra
Unica te noſtri certum experientia reddet.

AMICO DIFFIDENTI

BASSANO CATTANI.

SIſte quid immeritis crucias mea pectora curis?
Parce precor pectus dilacerare meum.
Quidquid ago, ſenſu detorques facta ſiniſtro,
Et bene cum merear, me facis eſſe reum.
Nec ſatis eſt noviſſe prius, levis umbra nitorem
Offuſcat mentis, dulcis Amice, tuæ.
Cumque ego nil timeam, pede tuto incedere credo;
Me tamen obliquas credis inire vias.
Et loquor, & verbis fraudem latitare doloſam
Aſſeris, aut ſaltem judice corde times.
Si ſolo fortaſſe eſſem tibi nomine notus,
Vix aliqua injuſto cauſa timore foret
Nam ſincera fides (niſi me mea fallit imago)
Fida comes ſequitur nomen ubique meum.
Cum tibi ſim plures comes additus ipſe per annos;
Debueras animi conſcius eſſe mei.

Quid

Quid juvat elapſo ſine fraude agnoſcere luſtro,
Re modo ſi parva fingis ineſſe dolum?
Nos ſimilis conjungit amor, quo Numen amamus,
Nullaque diffidii ſemina pectus habet.
Mutuus a pura niſi ducat origine fontem,
Res eſt ſoliciti plena timoris amor.
Crede tamen: ſancto magna eſt in amore voluptas,
Et nulla imminui ſuſpicione poteſt.
Sæpe ego te vultu averſum, & quæſita negantem
Suſtinui, invenit nulla querela locum.
Ille alias, dixi, volvit ſub pectore curas,
Nil mecum adſpectus, quem mihi monſtrat, habet.
Sæpe aliquis monuit: cur tanto fidis amico?
Diffidet ingenio nam procul ille tuo.
Subridens, pretium, dixi, quis detrahat auro?
Quod parva immixtum fœce recondat humus.
Exornant merita ampla meum, nec fallor, amicum;
Et tenue eſt, poſſit ſiquid habere mali.
Quiſque ſuos patitur manes, quique auſpice cælo
Urgetur minimis, ille beatus erit.
Sic inter minimos reputabam crimina nævos,
Siquid, quod forſan diſplicuiſſet, erat.
Ac veluti viridi qui perſpicit omnia vitro,
Miratus ſimili cuncta colore putat;
Non aliter quemcunque oculo ſcrutaris amanti,
Nil ibi, quod dignum non ſit amore, notas.
Sedulus intruſo lolio ſua rura colonus
Purgat, ut in fructus libera meſſis eat.
Sic bene, ſi ſapias, radicibus erue primis,
Quæ mala ſunt animo ſemina jacta tuo.
Hactenus in cunctis tibi me placuiſſe fateris,
Nullaque præteritus vulnera ſenſit amor.
Nunc pariter (dices) niſi te tua decipit umbra,
Signa eadem prodit ſat manifeſta ſui.

Au-

Audior: ancipites pepulisti corde timores;
Audior: in sedem Pax redit alma suam.

Dulcissimo Amico Bassano Cattani S. J. Emmanuel de Azevedo S. J. Salutem.

Ne cymba (vulgo gondola) vehi timeat.

QUid timor ancipiti removet te credere ponto?
Et levis injustos excitat aura metus?
Non Zephiro Boreas, Aquilo quoque pugnat, & Auster;
Non pelago venti bella timenda gerunt.
Nec modo decrescit, modo surgit in æthera fluctus;
Nec sævo impulsu mœnia nostra ferit.
Sed placido occursu sibi mobilis obviat unda;
Crispatur sulco pulsa, repulsa levi.
In latus ipsa ratis passim inclinatur utrunque;
Sed motu exhilarat tædia lenta suo.
Stagnantem optares, velut est aliquando, Lacunam;
Et late immotam cernere planitiem.
Crede mihi: non ista movet levis aura procellas;
Prævia nubifero sunt sua signa polo.
Quid timuisse juvat, nulla est ubi causa timoris?
Desine fallaces credere semper aquas.
Aspice tot celeres volitare per æquora cymbas,
Lataque sufflanti pandere vela noto.
Nauta senex regit hanc, & nauta puellulus illam;
Nullaque solliciti signa timoris habent.
Ille canit teneros, dum remum impellit, amores;
Tutus dum vento ducitur, ille sedet.
Felix, quem faciunt aliena pericula cautum;
Plus nimio cautus non tamen esse velis.
Est aliquid certas animo præscribere leges,
Et docile in dubiis pectus habere suis.

Fre-

Heu quoties lethum non cauſa timoris, at idem
Attulit incautis, dulcis amice, timor!
Adde quod ipſe timor graviora pericula reddit,
Certaque de dubiis reddere damna ſolet.
Inque ipſo plus mens patitur confuſa periclo;
Non timida, in rebus cauta ſit illa ſuis.
Omnia ſi timeas, quæ non patieris, oportet
Damna pati, damnum ſpernere ſæpe juvat.
Tela minus feriunt prævisa; impervia tutus
Deſpice; quæ poſſunt tela ferire, fuge.
Plura quidem pelago, ſed ubique pericula paſſim
Per vitæ nobis inſidiantur iter.
Projectum temere quoties fert miſſile ſaxum,
Vel tegula e ſummo lapſa repente necem!
Vel vitio interno nil tale timentibus unquam,
Cum minus expectent, mors inopina venit.
Hic miſer Elpenor tecto delapſus ab alto,
Ille perit ſævæ raptus ab ungue feræ.
Hic premitur vel lapſus equo, vel præpete curru;
In nullo nobis eſt via tuta loco.
Vivere, ſed morti ſemper juvat eſſe paratos,
Huncque ſalutarem ſemper habere metum.
Spernere ſed forti pueriles corde timores
Digna quidem, & magno debita cura viro eſt.
Te tibi, te ſociis ingratum reddere perges,
Totque animi dotes hæc levis umbra tegit.
Tu quoque miraris, dum juſto examine tecum
Te confers: ego, te Judice, victor ero.
Finge, age, te parvæ nigro ſub fornice cymbæ
Cum ſociis Venetas ire, redire vias.
Divertens recto in tranſverſum cymba canalem,
Ad latus huc, illuc flectere ſæpe ſolet.
Heu pereo, exclamas; vel mœſta ſilentia monſtrant,
Quod rapida mergi te modo credis aqua.

Cim-

Et tu pergis adhuc tua membra reponere lecto?
Dixit, quo Luſus dixerat ante ſono.
Quid tamen in rebus jucunda exempla ſeveris
Miſceo, res agitur pondere digna ſuo.
Audaces fortuna juvat, timidoſque repellit,
Non audax, timidus non nimis eſſe velis.
Recta tenenda via eſt: medio tutiſſimus ibis,
Extrema in vitium flectere ſæpe ſolent.
Si plures timeant, timeas ſapienter oportet,
Regula nam fallax unus, & alter erit.
Per virtutis iter non recte immitabere plures,
In reliquis plures lux tibi rebus erunt.
Ergo age, teque tibi; te redde ſodalibus, æquor
Invitat, ſocios cymba parata vehet.
Ne timeas, motas agitat levis impetus undas,
Nil tamen in cælo, quod minitetur, adeſt.
Non animo fingas, brevis eſt via noſtra, procellas,
Fidimus expertis, tu quoque fide, viris.
Quæque domi poſſunt inopina pericula naſci,
Dum te, noſque vehit parvula cymba, fugis.
Adde, quod in Venetis laus eſt ea maxima nautis,
Ni prius admoneant, nulla pericla manent.
Ergo importunos jam pellere diſce timores,
Mentis & arbitrio diſce timere; vale.

Dulciſſimo Amico Andreæ Michelini Forolivii commoranti apud Illuſtriſs. ac Rev. Epiſcopum. Emmanuel de Azevedo. S. P. D.

DUlcis Amice, redi, quæ te mora lenta retardat?
(Juſta, nec inficior, ſit tibi cauſa moræ)
Eſt aliquid longum adventu lenire dolorem,
Sive brevi ſcripto ſpem recreare meam;

Sæpe quidem ſcripſi, ſed tu reſponſa negaſti,
Nec dolor hoc ſaltem dulce levamen habet.
Quam grato conſperſa foret tua littera fletu!
Imprimeremque tuis oſcula blanda notis.
Obvius amplexu, ſeu te veniente, volarem,
Chartaque ſæpe mihi lecta, relecta foret.
Quod non reſcribas, te finximus eſſe propinquum,
Ad tua ſollicitus limina ſemper eram;
Quam fixo intuitu procul obſervare feneſtras,
Atque alia adventus quærere ſigna tui!
Irrident famuli toties, dum nuntia quæro
Dumque tuas fruſtra pulſo, repulſo fores.
Non tamen irrident, adſunt ſi forte nepotes,
Me quærente tacent, meque dolente dolent.
Si dicto ſtares, in patria tecta redires,
Vix ubi ſol eſſet ter tumulandus aquis.
Tempora ſi numeres, bene quæ numeramus amantes,
Non venit ante ſuum noſtra querela diem.
Tertius incœpit jam nunc decurrere menſis,
Atque ſuo dudum Felſina cive caret.
Sæpe ego per campos, per prata virentia pergo,
Quoſque vehant currus, ſedulus inſpicio;
Te procul adventare reor, ſed noſcere cogor
Errorem (curru proximiore) meum;
Jam nova rheda venit, rurſus te cernere credo;
Cernere nam credit, quod nimis optat amor.
Tum celer accedo, ſed ſum deceptus, & omnes,
Quamlibet innocui, cor mihi dilacerant.
Rumpe moras charo, ſanctiſſime Præſul, amico,
Tu vel reſponſum mitte, vel ipſe redi.

Ami-

Amico ſuo dulciſſimo P. Paſchali Carapelli Emmanuel de Azevedo ſalutem. Venetiis Torcellum.

HAnc tuus Emmanuel lento tibi mittit amico,
Nil mihi reſcribas attamen, ipſe veni,
Vivere nec poſſum ſine te, nec vivere curo,
Alloquio dulcis ſit mihi vita tuo.
Sæpe tuas ego pulſo fores, clavique manuque
Tento: carens Domino cogor abire meo.
Atque iterum pulſo: an ſit qui reſpondeat, aures
Applico: vocem intus noſcere credo tuam.
Ut quem multo auro fallacia ſomnia ditant,
Si vigilet, vacuas invenit eſſe manus; 10
Sic me fallit amor plus juſto credulus: error
Me magis hinc cruciat, quo mage gratus erat:
Surgo mane: ſubito tua mentem abſentia turbat;
Menſa vocat: non eſt, qui ſolet eſſe, comes.
Hinc exire domo, caroſque reviſere amicos,
Mens eſſet: maneo ſed tamen uſque domi.
Non fora, non campi, non compita pulcra per urbem;
Non mihi grata alias, te ſine, cymba placet.
Totque inter ſocios videor mihi ſolus & exul,
Sat mihi pro reliquis ſi tamen unus adeſt. 20
Dulcis amice, abſunt tecum mea gaudia: ſolus
Tu cor, vita, ſalus, dilitiæque meæ,
Dimidiumque mei ſine te mihi deficit; imo
Si mihi deficias, deficit alter ego.
Adde quod hinc animum dolor alter acerbius urget;
Ut pluviis torrens undique creſcit aquis.
Tres mihi namque dies heu tempora longa videntur;
Spes quanquam reditus ſit mihi certa tui.
Sed bene contemplor, cum non rediturus abibis,

Imminet iſte ingens, dulcis amice, dolor.
Eſt aliquid ſperare brevi ſolamen amoris,
Atque dolor magnus fit brevitate minor.
Nunc placidas contemplor aquas, properantia cerno
Lintea; jamque hilaris, forſitan ille venit,
Dico: meos oculos cymba altera, & altera fallit,
Non tamen illudet ſpem mora longa meam.
Perveniet: primo intuitu dulcedine plenus
Accurram exclamans, dulcis amice, vale.
Amplexus iterum dulces, & dulcia figam
Oſcula, quidquid amor ſuppeditabit, agam.
Nec timeo inſtantes aquilone inflante procellas,
Nulla tuum exturbat cauſa timoris iter.
Nam ſcio qui nautæ, quæ te cita cymba reducet,
Exagitat curas hinc mora ſola meas.
Triſtia venturo jam nunc præludia fato
Experior, quid ſit te caruiſſe, doces.
Perque duos tantum, comes heu ſuaviſſime, menſes
Te fruar: Iſte dolor cor mihi dilacerat.
Qui mihi tunc animus, brevis hæc abſentia monſtrat;
Expertum credas me ſatis eſſe: veni.

De moderatione animi qua Cl. Vir Xaverius Lampillas Litteraturam Hiſpanam erudite defendit.

DUlcis amor Patriæ: Patriam qui lædit iniquo
Vulnere (Lampillas, tu mihi teſtis ades.)
Ille quidem pariter nos vulnere lædit eodem;
Vindice quis prohibet vulnera ferre manu.
At tibi vulneribus ſatis eſt adhibere medellam,
Atque cicatricum tollere ſigna cupis.
Bella fugis juſtos prudens emittere queſtus,
Ut tua vox aliquem gignat in hoſte metum.
Te vigilante, ſuos Hiſpania ſervat honores,

Fœ-

Fœcunda Heroum ſemper, & alma Parens.
In patria Heroum naſci ſunt munera ſortis,
Heroas laus eſt inter habere locum.
Martem alii Hiſpanos dicant, & fulmina bello;
Quam ſtudiis gens eſt ingenioſa, doces.
Patria (dum confersque decus, recipiſque viciſſim)
Laudibus adjunget præmia digna tuis.

In laudem Cl. viri Thomæ Serrani Martialem ab injuſta nota defendentis, Epigramatum ſcriptoris feliciſſimi.

DUm ſtabilire ducem inſudas epigrammatis arte;
Falleris, & laudi detrahis ipſe tuæ.
Felleris, at merito Patriæ defendis honorem;
Dux erit Hiſpanus, ſed tamen alter erit;
Sunt bona, ſunt quædam mediocria, dixerat alter;
Sed tua magnum implent optima cuncta librum.

Ad Cl. Virum Emmanuelem Marques de Doctiſſimo, & cultiſſimo opere, quo defendit Cultum SS. Cordis JESU.

PAuper ego luſus, tu docta volumina vulgas,
Ingenio quam ſit diſpar uterque, patet.

Ad Eundem.

COrda offert, teneroſque animi gens Lyſia ſenſus
Divini JESU cordis in obſequium.
Ante aras ſupplex renovat pia vota quotannis,
Et feſtum celebrat Relligioſa diem.
Reginæ exemplum populi de more ſequuntur;
Quam pietas Regum nobile pondus habet!
Sed tibi felicem ſapientia præbuit anſam,
Lyſiadas valeas ut ſuperare tuos.
Poſtquam magnanimus ſenſus & corda ſacraſti,
Ingenii partus, & tua ſcripta ſacras.

Ad dulciſſimum Amicum Emmanuelem de Sampaja.

QUiſquis in exilio mæret caruiſſe Parente,
Jure ſuum lætus te vocat ipſe Patrem.
Nam pius invigilas, atque omnibus omnia factus
Conſilium Patris, viſcera Matris habes.

Ad Eruditum Virum Joſephum da Motta.

DOctrinæ omnigenæ vidi te ſolvere nodos,
Qua magis emineas, noſcere non potui.

Ad dulciſſimum Amicum Sebaſtianum da Veiga.

QUI lepidos luſus, placituraque carmina pangis,
Qui ſophiæ obſcuros noſcis adire ſinus,
Jura fori, & cæli penetralia doctus adire;
Quid parva nulli notus in urbe lates?
Cur tamen ingenii mens eſt attingere laudes,
Si dotes animi præmia laudis habent?

Ad D. Joſephum de Andrada.

PArva domus, ſed grata oculis, & pulchra ſupellex,
Offerri hoſpitibus qui ſolet hauſtus adeſt;
Dum lepor ante fores venientibus obviat, intus
Mundicies partes invigilantis agit.
Quanvis difficilis lateas in culmine montis,
Efficis, ut feſſo non via diſpliceat.

Re-

Rev. Dom. Franciſco Xaverio Igaregui prope Lojolam nato in urbe Brittinorenſi ſacris ordinibus initiato, & in Fanenſi primum Sacrum celebranti Emmanuel de Azevedo.

QUod dudum ad ſacras proſtratus Numinis aras
Optaſti, tandem votis penetrabile Cælum
Indulſit; jam nos invitat ad oſcula dextræ
Alma Fides; (miranda loquar) tractabilis offert
Se manibus Deus ipſe tuis, qui regnat ab alto,
Qui mare, qui terras, nutu qui cuncta creavit.
Volve animo, quam purus amor, quam pura voluptas
Debeat ad tantum mentem diſponere munus!
Cum ſocium Domini celebrant ſacra templa Philippum,
Ut diſcas, quæ grata placent conſortia cælo,
Ut tibi ſit clarum exemplar, tibi regula morum,
Ordine te primum ſublimi Præſul inunxit,
Cumque libro tibi vaſa manu tractanda fideli
Tradidit, obſignans numquam revocabile votum.
Et locus omen habet, nam cuncta in vertice montis
Geſta docent Patriam ſolum adſpirare ſupernam;
Et Præſul, cui dat nomen ſine felle Columba, (*a*)
Excitet ad placidos exemplo, & nomine ſenſus.
Cumque deinde Crucis feſtos celebramus honores,
Qui Crucis effigiem venerando pectore geſtat,
Infula cui crines, digitos ſimul annulus ornat,
Ille manum capiti impoſuit; tibi tempus in omne
Sit crux fixa animo; vanos fuge cautus honores,
Et cum ſponte Deus pro te ſit plurima paſſus,
Sit tibi dulce pati: jam nunc a flore juventæ.
Illuxit tum chara dies, qua maximus olim
SERVATOR, poſtquam devicta morte ſalutem,
Et vitam humano generi per ſæcula tutam

Conſtituens, patrio nobis commercia cælo
Interdicta prius foribus permiſit apertis;
Tandem immortali (ſacro ſpectante ſenatu)
Indutus, quo nos etiam exornabit amictu,
Ultima diſcedens charus documenta Magiſter
Præbuit, & celeri petiit ſupera aſtra volatu.
Hæc quoties labente anno lux alma recurret,
Excitet affectus teneros; tunc ipſe Sacerdos
Te primum æterno potuiſti ſiſtere Patri.
Cum Genitus cælum ingreditur prope limina cæli,
Tu Geniti merita ampla offers, hominumque ſalutem
Quæris, ut ad ſedes valeant tranſire beatas.
Fluxerunt bis quinque dies; in imagine flammæ
Quondam dius Amor cælo deſcendit ab alto,
Incenditque viros tam magna ad dona paratos.
Oh utinam ſimili te nunc ardore flagrantem
Excipiat templum, cum jam ſine Præſule ad aras
Accedis, jam ſacra Deo te veſtis adornat!
Dulcia non referam quæ gaudia pectus inundant,
Deliciaſque animi; namque hæc mortalibus ægris
Poſſe frui conceſſum, haud poſſe expromere verbis,
I felix, curaque para te ſemper eadem,
Nam mihi de Cælo nunc deſcendiſſe videris.
Te dius præcedit Amor, ſanctumque timorem
Fert ſecum, caſtuſque pudor dignoſcitur oſtro,
Religio, & morum candor comitantur euntem,
Emicat in placido demiſſa modeſtia vultu,
Atque humilis totum informat reverentia corpus.
Injuſſæ erumpunt lachrymæ, cor æſtuat intus:
Ipſe Deo plenus jamjam incipis ordine certo
Grande miniſterium, jam multa e mente reponis,
Jamque legis Cæli referentem oracula librum,
Inde ſalutiferæ renovans miracula Cœnæ
Panem offers, nec jam panem, ſed Numen adoro;
Om-

Omnipotens veneror vini ſub imagine Numen.
Hæc portenta Fides oculis contraria noſcit,
Quod non Virgo Parens, quod non potuere cohortes
Æthereæ, tu voce potes: procul eſte profani,
Æra ſonant; revocate omnes pia ſenſa, ſtupeſcant
Aligeri, præſtent juſtum cæleſtia honorem
Agmina, namque homini (dum verba potentia profert)
Filius ipſe Dei, rerumque Creator obedit.
Tanta Sacerdotem decorat conceſſa facultas!
Ille poteſt bibulas præbere fatentibus aures,
Et veniam indulgere reis, & reddere Numen
Placatum, Dominique vicem exercere ſupremi.
Oh felix Franciſce! tuo de nomine clarus
Ille fuit, quinque impreſſit cui ſtigmata quondam
Dius Amor, renovata Dei patientis imago;
Non ille eſt auſus tantum ſibi ſumere munus,
Heu timuit fragiles oneri ſupponere vires.
Sed tamen audendum; Cælo placuere timores,
Prævaleat nunc dius Amor, tibi nomine compar
Indorum cultor, quo te tua vota ferebant,
XAVIER ardores generoſi inſtillet amoris.
Sed propius nativa domus præclara miniſtrat
Geſta Viri (quo ſemper erat ſuccenſus, ab igne
Nomen habet) tibi norma aderit, tibi nobile calcar,
Et corda inflammet, patria translatus eadem,
Præſule Faneſtri factus Loyola Sacerdos.

(a) *Illuſtriſſimus, ac Rev. Dom. Franciſcus Maria ex Comitibus Colombani Patritius Foroliv. Epiſcopus Brittinorii, & Marchio.*

(b) *Vincentius Neguſantius Patrit. Fanenſis & Epiſcopus Arbenſis, qui D. Ignatium Lojola Venetiis Sacerdotio initiavit.*

Pi-

Ad dulciſſimum amicum Salvatorem Perez, Raimon Gonzalves, Thadæum Vergara Eugubii commorantes.

EPIGRAMMA.

HOſpitio me ſæpe tuo, dulciſſime Perez,
Invitas, veteri junctus amicitia.
Sat ſæpe agnovi quam ſis generoſus in omnes,
Sic ſincera tui ſenſa patent animi;
Et mage (ſint noſtris quamquam frugalia menſis)
Condita ingenuo fercula corde placent.
Adde quod innumeris mentem quoque paſcere libris,
Et lepidis dictis exhilarare ſoles.
Sed Raimon pariter, pariter Vergara morantem
Increpat, urbanis ſolicitatque modis.
Omnia ſunt noſtro ſuaviſſima nomina cordi,
Et foret alterutro diſplicuiſſe nefas.
Cogimur ire tamen, ſed ſæpius ire coacti,
Hac tantum hoſpitio poſſumus arte frui.

Storeæ Menochii.

LÆta per hebdomadam quoties lux illa recurrit
Qua ceſſat labor, & ſtudia intermiſſa quieſcunt,
Muſarum, aprici qua cæli purior hauſtus,
Noſque ſuburbanæ recreant rara otia villæ,
Menochius noſtris jam longo tempore menſis
Aſſuetus, ſtoreas, quas ex farragine rerum
Multiplici, nimium placiturus texuit auctor,
Explicat ante oculos, & jucundiſſimus unus
Dura levat ſemper mutæ faſtidia menſæ.
Uſque adeo illa animis ſtoreacea lectio ſeſe
Inſinuat, longoque potens inolevit ab uſu,
Ut totidem in nobis (quotquot ſub ſigna vocaſti
Ipſe tua) adſcitos magnæ dux optime genti,
Menochios totidem numeres: ſic ſcripſimus ergo
Nos etiam ſtoreas, & vos centone tenemus
Jam vario: quis non patientem accomodet aurem?

Pi-

Picturæ Poeticæ. Venationis ingenium.

O Dea, quæ virides lucos, ſtabula alta ferarum
Incolis, & ſummis flumina lapſa jugis.
Quæ trepidos urges nemora inter frondea cervos,
Et molles ſtricto figis aves calamo.
Seu te nunc celſus frondoſo vertice Pindus,
Sive habet umbroſis Naxos amica jugis
Huc celer appropera rapidis inſtructa ſagittis,
Protegat & nudum picta pharetra latus.
Tecum etiam Faunique leves, facileſque Napeæ,
Et fuſis adſit ruſtica turba comis.
Me juvat umbroſas canibus circundare ſylvas,
Et juga diſpoſitis cingere ſumma plagis.
Quando nos curæ, cum ſpes incerta futuri
Exercet, requies nec datur ulla mihi.
Vos ſequar, O montes, domus opportuna ferarum,
Teque pharetrati dux nemoroſa chori.
Ferte citi galeas, longo venabula ferro,
Ferte venenata perlita tela manu.
Ire juvat, caſtæ ſtudia exercere Dianæ,
Et variis cervos illaqueare dolis.
Ire juvat, ſylvis mihi mens nunc errat in altis,
Et videt excitas, inſequiturque feras.
Aerei circum colles clamore reſultant,
Ictaque confuſo murmure ſaxa ſonant.
O ſi vel tigris, celſis aut montibus actus
Irruat exerto dente protervus aper!
Ille truces nequidquam animos, ſetaſque comantes
Arriget, & ſpumas fervidus ore vomat.
Corripiam vinclis, ſplendentique ilia ferro,
Tranſadigam, lato vulnere vita fluet.

At

At potius leporem oſtendant mihi rura fugacem,
Nec timida implexo ceſpite deliteat.
Hic ſaltem propter flaventia culta coturnix,
Applaudens oculos obſtrepet ante meos.
Hic liceat turdos jaculis, aut alite plumbo
Sternere, ſit cædi nec mora, nec requies.
Nec dextræ erranti Deus obſit, miſſaque cornu
Perdicis lævum figat hirundo latus.
Nec pietas faciat tutas nativa columbas,
Nec noſtro liber vulnere turtur eat.
Ergo veni, expectata veni, mea ſola voluptas,
Fauſtaque des Martis ſigna diurna tui.
Sic ſeſſam liceat curis abducere mentem,
Atque procelloſo ſolvere corde metum.

Blateronis ingenium.

ESte procul, Pueri, linguiſque, animiſque favete
Ingenio præſtante viri, date vocibus aures.
Non olim tam digna Deo, tam magna locuti
Lapſa per Auſonias jactant quot ſæcula terras
Aurea, non illum Phœbeæ æquare ſorores
Eloquio valeant, & carminis auctor Apollo.
Non ita montano violentus flumine torrens
Perſtrepit, adverſaſque abrupto vortice ſylvas,
Obſtanteſque trahit lucos, quantum iſte fragore
Hinc hominum innumeras condenſat & inde catervas,
Vocis ad horrendæ ſonitum; ruitura videres
Horrendumque gravem minitari tecta ruinam
Ingenti concuſſa ſono, non impete tanto
Torquetur fulmen, quanto fera verba furore
Fulminat impatiens iræ, ſæpe ore tonanti
Terrificat ſontes, pœnas quin ſæpe minatur,
Et ſedet, & ſurgit, pede pulpita pulſat utroque,

Nunc

Nunc manibus plaudit, nunc alta ad ſydera vocem
Tollit, & obtutu fixus nunc hæret in uno.
Attonito ſimilis nunc hos, nunc increpat illos;
Inſultatque minans, bacchanteſque excitat iras.
Sæpius ille etiam (dicendi tanta cupido eſt)
Fertur in abſentes, ignotos inde Britannos
Alloquitur, Turcaſque feros, duroſque Gelonos,
Æthiopumque undas, & Nilo conſcia regna,
Infernoſque lacus, loca nocte ſilentia late,
Scrutaturque vices ſuperum; qui denique fando
Cuncta feret, magnoque volumine ſingula ſperet
Complecti, & molem tantarum evolvere rerum.
Non ita præcipitem, pelagoque immane ferentem
Nauta timet Boream, clamoſa ut voce loquentis
Quiſque pavet, tanto vocis tonat ille fragore.

Scurrile ingenium.

TOſtam hominis faciem, petulans caput, ære rigenti
Conflatum, quidquam non de ſtatione movetur.
Contrahit an frontem? num concava lumina flectit?
Hæret in obtutu fixus, non edere riſum
Certus, diſparibus quanquam centum ora figuris
Deducas, tactuque aures, patulaſque moleſto
Pertentes calamo nares, ſtimuliſque fatiges.
At tu blande comes, ſocium nunc, qua potes arte
In riſum compelle tuum; diriſque laceſſe.
Congere nunc fictis convitia mixta querelis,
Et faciles quoſcunque jocos, quoſcunque lepores,
Ipſe nihil; firma immotus nec fronte movetur,
Quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.
Heus age, converſa ſcena modo ſerius eſto,
Si potes: anne vides varias ut ſcurra figuras
Induat, & ſpecies ſeſe tranformat in omnes?

Ut

Ut pueri mores, curaſque imitetur aniles?
Sæpe leves motus, metitur ſæpe choreas,
Provocat & celeres iteratis curſibus auras,
Atque pedes quandoque librat, quandoque retardat?
Sæpe etiam voces ſuſpenſus inhæret ad omnes,
Et varios geſtus, ad ſingula verba cachinnos
Immiſcet lacrymis, & triſti dulcia luctu
Gaudia, ſingultuſque trahit velut Anthlia ſicca,
Incertiſque micat digitis, a fronte ſalutat,
Objicit a tergo, deerunt quæ cornua fronti.

Ingenium hominis a mortalibus curis abſtracti.

O Mentem, o animum, geminum qui legibus orbem,
Et ſummo regat imperio, date ſceptra, recentes
Ferte citi lauros, ſolioque imponite regem.
Huc celeres quotquot cæca caligine merſi
Conſilii melioris egent, hinc diſcere mentem,
Hinc lucem haurire, & tenebras juvat uſque fugare.
At quid vana loquor? numquid frons nubila ſemper,
Triſte ſupercilium, ſemperque minantia ſomnum
Tempora, pallenteſque genæ, mentumque caducum
Non ſtupidum, attonitumque hominem redolere videtur?
Sæpius obtutu, pede ſæpius hæret in uno
Plurima diſcordi taciturnus mente volutans.
Heu quoties illum ſecum videre loquentem,
Tendentemque manus, atque incomperta vomentem
Et ſylvarum umbræ, & patrii penetralia tecti!
Non ille elato propior ſi factus ad aurem
Ore voces, non ſi reſones bis terque quaterque
Audierit ſonitum, ſed membra carentia ſenſu
Stant immota diu, donec concuſſa vocantis
In latus impingunt; dubitat, circumſpicit, hæret,
Certat cum famulo officiis, pileumque reponit

In-

Inverſum capiti, pileo quin ſæpe per urbem
Aſpera nocturno male tectus tempora pergit.
Inſertas digitis chirotecas ima vel inter
Scrinia, vel pluteo ſuper in penetralibus altis
Oblitas queritur, nec quærere deſinit enſem
Affixum lateri comitem, ſtrophiumque requirit,
Quod latet in pera; cernis quam deſlua nutet
Cæſaries capiti, quam ſit male pendula veſtis?
Nunc iter accelerat, veluti qui preſſus ab hoſte;
Nunc ſocii indiget impulſu, nunc voce ſuperba
Omnia magna loquens, nunc ſit mihi parvula ſedes,
Inquit, & hirſutus parvo cum fœnore campus.
Nil æquale homini tanta inconſtantia menti eſt.

Taciturnorum ingenium.

PArvus at ille Cato, quo non præſtantior alter
Multa ſilet, nova multa licet ſibi cognita ſoli
Jactitet, apta nigra medium ferrugine ſolem
Obruere, atque imis evertere ſedibus orcum.
Ipſe ſuæ conſultor opis, nullius egenus
Mille animo verſat curas, rerumque volutat
Eventus varios, & dedignatus amicos
Conventus hominum refugit, non ille per urbem
Errare, & totos viſus diſcurrere vicos.
At tenebras inter denſa caligine cæcas,
Secretoſque aditus penetralia cæca domorum
Vivit lucifugo defixus lumina vultu,
Triſtis ad extremum ſtimulis agitatur iniquis,
Et penitus rerum ambages, cauſaſque latentes
Molitur ſervatque alta jam mente repoſtas.

Gra-


image
not
available

Ut fluvios armenta petant, nemorumque receſſus?
Langueat ut ſiccis pallida ſylva comis?
Eja agite, o precibus faciles, veniæque paratæ;
Currite præcipites per ſata, perque vias.
Excipiet niveis vos ruſtica fœmina mulctris,
Excipiet ſicco terra peruſta ſinu.
Hei mihi, nil lacrymæ proſunt! nil vota precantis!
Heu ſunt ad noſtras nubila ſurda preces!
Tu, Pater omnipotens, Tu fluminis auctor, & imbris
Quem Dominum agnoſcit mundus uterque ſuum.
Tu, precor, orantis precibus ſi flecteris ullis,
Optatam pluviæ, quam potes, affer opem.
Grates lætus agam, votivaque munera ſolvam;
Et memori ſemper carmine gratus ero.
Audior: en ſubitis concreſcit nubibus æther;
En ruit effuſis roſcidus imber aquis.

Tempore nivis cadentis ab aere ludunt pueri globos invicem jactantes.

ALCAICON.

VIdes ut alto candida tegmine
Tellus juventam per fora per vias
Invitat ad bellum jocoſum,
Dum facili parat arma tactu?
Nam prona ludos arripere obvios
Imberbis ætas, æmula ad invicem
Ut ſigna conflictus propinqui
Edit ovans animoſa voces.
Depræliantes vidimus hoſtium
Globo phalanges ludere miſſili!
En grandinem effuſe pluentem
Artifici jaculantur aſtu.

Nova arma dextris arripientibus
Labore nullo ſuppeditat ſolum,
Nec frigus arcet, bellicoſis
Quando animi incaluere curis.
Fervet tumultus, nec bene dirigit
Utrinque pubes arma reciproca;
Tegunt phalanges dimicantes,
Qui nivei ejiciuntur orbes.
Sed dum dealbant in medio aera
Ipſos refrictu vidimus obvio
Illidi, & hinc fragmenta labi,
Quæ tenues imitantur imbres.
Plures in hoſtem perveniunt globi,
Et ora pingunt non ſine noxio
Vel pectus ictu, aut impotenti
Ante pedes cecidere jactu.
Ebullientem vidimus undique
Volare nubem vorticis impetu,
Ut turbo creſcit pertinaci
Concutiens nemora alta motu.
Deliberato Marte ferocius
Dum ſpiſſa ſtrages agmina ſulminant,
Diſparuere, & læta cauſas
Turba novis petiit cachinnis.

Currus, vulgo Slitta.

SAPPHICUM.

NON rotis ſemper volitare currus
Credite, experti; nivibus caducis
Dat ſolum æquatum quaſi ſponte labi
Mobile pondus.
Noſtra non cervos habiles doceri

Antra

Antra producunt, ſed onuſta lento
Corniger greſſu patiens laboris
Plauſtra revolvit.
Quique feſſorem recipit ſuperbum
Nobilis dorſo ſonipes amico,
Non timet forti trahere alligatum
Pectore currum.
Nunc via ex poſcit ſuperanda molem
Semitæ ignaram; neque plana binos
Imprimet ſulcos facilis moveri
Partibus æquis.
Irruet præceps celeri volatu,
Acrius current ſolito jugales,
Poſſumus noſtra ſapienter uti
Sorte beati.
Concavo jungas duo ligna flexu,
Circuli quartas imitata partes,
Inde tranſverſis medio ligabis
Utraque lignis.
Hic domus ſedem tibi parva præbet,
Clauſa ſi mavis, vel aperta ventis,
Mollis excuſſas parat hic ſedenti
Culcitra plumas.

Urſi albi, quales ſunt in ſeptemtrione, hiberno tempore in criptis latent ſiniſtrum pedem adlambendo.

EPIGRAMMA.

UT torpent albi terris glacialibus urſi,
Nullaque ſub nivibus pabula ſoliciti
Quærere, ſemotis proſtrati terga cavernis
Vires & molem corporis imminuant;

Prægnantem interea ſalibus, nitroque ſiniſtram
Adlambunt ; longam diſſimulare famem
Crediderim, aut animo ad prædas ſævire parato;
Solis ut adventu longa recedet hyems.
Tu cave; plus furit humani ſitibunda cruoris,
Quo tibi ſe præbet bellua candidior.

Hirundines ſeptentrionales hiberno tempore admotis invicem roſtris in lacuum fundo ſe ſubmergunt, quod niſi experientia doceret, incredibile videretur.

ELEGIA.

FRigoris impatiens noſtræ regionis hirundo
Exulat, & liquidum trans mare captat iter.
Nempe renaſcentis ſequitur cunabula veris,
Et proprios ſervat ſede in utraque lares.
Sæpe quidem pluviæ, ſive aura ferocior obſtat,
Torpet & officio debilis ala ſuo.
Tum ſe (invita licet) nautæ tractabilis offert,
Seu peregrina avidis piſcibus eſca datur.
Sed plaga, quæ diſtat ſeptem ſubjecta trioni,
Immenſam pennis impedit ire viam.
Quid faciet? Crevere nives per tecta per agros,
Stagna pigro torpent, fluminaque alta gelu.
Flumina ſed ſolum retinent, & ſtagna teporem,
Quo liquida inferius clauditur unda vado.
Conveniunt illuc volucres, roſtroque viciſſim
Admoto, ſtagni aut fluminis ima petunt.
Certa fides: trahis e fundo ſi forte ſepultas,
Nulla quidem vitæ ſigna prioris habent.
Pone ubi vicinis caleat domus integra flammis,
Abdita concepto vita calore redit.

Et

Et choreas fingunt læto per inane volatu;
Atque diu muto ſolvitur ore melos.
Reptilis hibernum ſi vipera tranſiit ævum
Sub glebas, volueres purior unda fovet.

DE FASCINO ET EFFLUVIIS.

CUM timidi lepores longe curſare moloſſos
Proſpectant; curſu præcipitante abeunt.
Vix tetigere ſolum, quaſi currere fulmina dicas,
Sed qua prætereunt, fixus odor remanet.
Quique ibi fixus ineſt, per totam ſpargitur auram,
Sede priore tamen denſior, hinc tenuis.
Forte canis prædæ intentus per rura vagatus
Rura agili ſentit tacta fuiſſe pede.
Olfacit, atque ipſum fugientis noſcere callem
Doctus, idem ſubito lætus iter relegit.
Ut pedis effluvium, quo pars tenuiſſima oberrat
Corporis, ad nares permeat uſque canum,
Sic egó ſæpe homines, quibus indidit ira venenum,
Crediderim fixis poſſe nocere oculis. (*a*)
Hiſtricis in morem virus jaculantur in hoſtes,
Et nocet occulto parva pupilla dolo.
Parvaque per bibulam late fluit aera moles,
Et minimis virtus maxima rebus ineſt.
Semina forte vocas tenuem fugientia tactum,
Quos mittit nigros Indica terra globos (*b*)
Si quis odore gravi capitis vertigine nutas,
Effuge, parvo afflat ſemine tota domus.
Naribus objicitur varia ratione animantis,
Qui volat effluviorum omnium acutus odor.
Et per plura licet minuatur ſæcula corpus,
Parte ſui, haud oculis percipitur minui.

Ipſe per immenſum diffunditur æthera Phœbus,
Judice te, moles quæ fuit ante, manet.
Flebilis attrahitur queſtu philomela ſonoro,
Quam ferit intentis vipera luminibus.
Tu baculo frangas, quod permeat aera, virus;
Eluſo hoſte fugax libera cantat avis.
Utque trahunt oculi volucrem magnetis ad inſtar,
Sic nonnunquam oculos crede ſagitiferos.

(a) *Vide Lacerdam in Virg. faſcinat agnos.* (b) *Muſchio.*

DE CELEBRI CANALI FOLGANO.

ARS ignota tibi, qua cymba extollitur undis,
Forſan erit; nunc prata vides, campoſque jacentes,
Et molles violas, & mentam adlambis odoram.
Nunc viret arboribus, quo te miraris euntem
Monte minor collis, campo tamen altior æquo,
Sulcatamque viam ſubjecto in flumine cernis.
Et ſolcant quamvis ſemper deſcendere fluctus,
Tu cymba incluſus paulatim aſcendis in altum.
Fluminis in medio domus eſt, cymbæque paratur
Porta duplex, primam ingrederis, quæ clauſa repente
Frænat aquas, quas porta ſuis vomit altera rimis.
Sic domus ad nutum injecta variabilis unda
Ditior efficitur; commotam interflua noſcit
Cymba ſuperficiem undarum conſcendere ſenſim,
Seque trahi ſimul, & fluctus æquare ſupernos.
Tum via ſublimis portis reſeratur apertis,
Et rivo jam cymba novo ſecat altior alveum.
Ducere ſic poteris naves a fluminis ortu
Portarum auxilio, atque altos conſcendere montes.

In

Mures, cum domus aliqua ruinam minitatur primi ſentiunt, & relictis ſuis foraminibus aliud ſibi habitaculum quærunt. Ex Eliano.

DIducta incipiat ſi forte fatiſcere rima,
Parietibuſque domus ſtet male fulta ſuis:
Infauſti quicunque habitat ſub tegmine tecti
Mus collapſura primus ab æde fugit,
Atque alias quærit ſedes ſibi tutior hoſpes
Signa ruinoſæ non timet ulla domus.
Muribus ergo datur caſus ſi noſſe futuros,
Cui placeant, ullo ſi ſine mure, lares.
Fallitur unguifero quicunque ſatellite mures
Inſequitur, tanto dum monitore caret.

In Culicem nocte jugiter obſtrepentem imprecatio.

SIT male ſtridenti Culici, qui nocte ſilenti
Jugiter excurrens, vigiles circumſonat aures!
Somno inimica lues, ut nunquam lumina poſſim
Claudere, & optatæ dare languida membra quieti!
Exploſa bis, terque manu captare per auram,
Parieti affixum ſubjectis urere flammis
Tentavi; bis, terque alis; ut limina primum
Ingreſſus cellæ, ſummi in laquearia tecti
Ille fugit, ridetque dolos venantis, & aſtum
Abſtruſus rimis, non obſervabilis ulli.
Inde face extincta, lapſus nigro, ut ante, tigillo
Rurſus adeſt propius, ſimul & vigilantis in aures
Carmen idem recinit, triſte & lacrymabile carmen.
Nequicquam velum infelix circumque ſupraque

Intendo, lectum, muro qua jungitur, intrat,
Insultatque, fremitque intra in penetrabile textum:
Non mihi tam cantu galli, ranæque paluſtres
Abrumpunt ſomnum, quam tu teterrima peſtis.
Sulphure ſuccenſo hanc perhibent, ſumoque fugari,
Punica quem mala efficiunt, triſteſque lupini.
Omnia tentavi fruſtra; inclementia cæli
Huic reor iram acuit; miſerum quo dente laceſſat
Acrius.

Ex Vino Poetarum œſtrum.

CUR Muſas, Phœbumque vocant in carmina vates?
Et Phœbo, & Muſis cur ſua plectra vovent?
Quid Muſæ, aut vani quid numen Apollinis? Unum
Qui Bacchum authorem carminis eſſe neget?
Auſpice quis Baccho cytharam damnavit inertem?
Atque rudi cecinit carmina dura ſono?
Fac multo caleant ferventia pocula Baccho,
Et ſpument valido corda ſepulta mero,
Jam ſalit, inſano jam percita turget ab œſtro,
Atque furit toto mens agitata Deo.
Ultro jam facili decurrunt carmina vena,
Jamque chelyn pulſat facta magiſtra manus.
Sed qui, Bacche potens, tua ſpernit munera, ſolo
Et de Pegaſeo pocula fonte bibit,
Numquam alios inter caput exeret; atque minori
Infelix vates de grege ſemper erit.
Nulla placere diu, nec vivere carmina poſſunt,
Quæ ſolet ignavæ ſcribere potor aquæ.
Huc ades, ergo tuis redimitus, Bacche, corymbis;
Tu mihi Muſa omnis, tu mihi Phœbus eris.
Tu Phœbo ſuccede, precor, tu culmina montis
Aonii meritis debita ſcande tuis.

Hic

Hic omnem vulſis radicibus erue laurum,
Et vites creſcant, quo ſtetit illa, loco.
Fons ubi diffundit vitreas Heliconius undas,
Excurrat verſis Bacchicus humor aquis.
Et quiſquis mecum promptas in carmina vires,
Et faciles optat plectra ad eburna modos,
Aoniis hauſtas e fontibus expuat undas,
Purpureoque velit fonte levare ſitim.
Nulla dies abeat, quo non ſpumantia dulci
Plena mero lætus pocula mille bibam.

Egre quidem tulit Academicus e noſtris unus Bacchum Poetis Præſidem pro Apolline uſurpari, & eo, quo incendebatur juventutis ardore, ſe ſuæ artis injuriam ultum iret, niſi irarum ſtimulos prudentia compeſceret; ita tamen animo ſatis incenſo repoſuit.

Iſte, quid inſano ſacra carmina, ſtulte, Lyeo
Jungere? diſcordes auſus & ipſe Deos?
Longe abeant, puras temerant qui Caſtalis undas,
Nec pudet heu! toties immaduiſſe mero.
Dulcis enim vatum furor eſt, ſed Bacchicus amens;
Convenit hic rapidis, mitibus ille furor.
Carmina proveniunt animo deducta ſereno,
At furias animo vina proterva movent
Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia quærunt,
Non venit a Baccho vatibus ulla quies.
Pes, ratioque labat nimio ſuccenſa calore,
Si tua vitiferum Numen in ora fluat.
Verba movet titubans ratione carentia Bacchus;
Arte ſua voces cultus Apollo regit.
Arte ſua nequiit temulentus Horatius uti,
Dum gaudet veteres evacuare cados.

Poſt-

Poſtquam longa quies decoxit nocte Lyeum;
Tunc poterat ſolers arripuiſſe lyram.
Sit (fateor) docto mens ebria carminis œſtro;
Ebrietas placidis convenit iſta viris.
Et nemus, & frutices, & poma rubentia vallis
Aoniæ, & murmur dulce jocantis aquæ,
Pectora demulcent vatum; digitoque micanti
Fila minutatim pulſa, repulſa lyræ.
Finge tibi mentem ſomno, vinoque ſepultam,
Deliciis poterit talibus illa frui?
Ergo omnem vulſis radicibus erue vitem,
Et creſcant lauri, quo ſtetit illa, loco.
Eſto procul Bacchus, frons laurea vitibus extat
Utilior, quanquam fructibus illa caret.
Aſt aliqua ſtomachus ſi debilitate laborat,
Nec tibi nativo concoquit igne cibos,
Utere tum modico (per me licet) utere vino;
Non illud menti proderit, at ſtomacho.
Vina quidem (ſed non vates: vos alloquor, ægri;)
Tam moderata juvant, quam repetita nocent.
At medicam ſeu poſcis opem, ſeu vatibus addi,
Artis Apollineæ munus utrumque dabit.

C O N V I V I A

Tempore Bacchanalium frequentiora fovendæ amicitiæ gratia. (recitatum in Arcadia Fauenſi)

VInCula amicitiæ miro convivia nexu (paſcunt.
Adſtringunt, mulcentque animos, & corpora
Unica, quæ miſeris remanent ſolatia rebus,
Quæ placidas dant ire horas, & corda ſerenant,
Seu gaudes, hoc fonte novo tibi gaudia creſcunt,
Sive doles, hac arte juvat ſopire dolorem.
Sic potuit diro exilio, curiſque gravatus
Utile ſolamen, ſociis afferre Tobias.

Sic

Sic potuit Raguel communia reddére amicis
Gaudia, cum novit defenſam a Numine Saram.
Quin Raphael cælo Princeps, qui proximus adſtat
Numinis ante thronum, non invitare Gabellum
Erubuit; comes ipſe viæ ad convivia ducit.
Quod mirere magis, ſuperi Regnator Olympi
Quondam homines inter Matri comes additus ultro
Cum ſociis menſæ non tantum accumbit, at hauſtu
Deficiente, jubet de fonte haurire liquores,
Atque undæ, jam non undæ, ſed nobile vinum
Vaſa coronatis implet ſpumantia labris.
Quid ſimiles rerum eventus elapſa recurrens
Sæcula commemorem? variis natalibus una
Conveniunt ratione homines, moremque vetuſtum
Hiſtoriæ monumenta docent; ſed amabile noſtri
Paſtoris modo ſufficiat, quo ſæpe beamur,
Ingenium, quo corda ligat, quo charus in Urbe
Efficitur, dulcique animos ſibi fœdere jungit.
Ac velut amittit vires, minuitque vigorem,
Si nimium inflexus ſemper conſtringitur arcus,
Haud ſecus amotis debent ſua tempora curis
Reſtaurare animi robur; modo ſufficit annus
Lætitiæ titulos, dum Bacchanalia florent,
Cuncta micant, gaudent juvenes, nec pigra ſenectus
Mæſta ſedet; cunctis animum juveneſcere credas.
Nam modo frigus iners animal ſociabile cogit
Mutua vicinis conſortia quærere flammis.
Mutua ſic claros inter convivia cives
Non injucundam lætis ſermonibus anſam
Suppeditant, firmumque ſimul teſtantur amorem.
Namque animum recreare, inamænum fallere tempus
Quiſque cupit, lepidiſque jocis operoſior inſtat.
Ipſe focus facile invitat, circumque ſodales
Excipiunt medio diviſa ſedilia gyro;

Hic

Hic nova ſoliciti flammis alimenta miniſtrant
Seu tenues ramorum artus, ſeu fragmina quercus.
Candida quæ ſalices ablato cortice præſtant,
Et flamma innocua depellunt frigora, noſtris
Sunt ignota focis, Venetis gratiſſima regnis.
Hic ſupplent tenues inciſo palmite vites
Faſciculo unitæ, vel amici vitibus ulmi.
Hora vocat; famuli accedunt, aptantque viciſſim
Menſam ex ſegmentis confectam, atque arte politam,
Dum ſuper imponunt tela mantile niavali
Floribus inſperſum textis, hinc inde trahentes
Ad ſeſe applicuere duo; certantque viciſſim
Complanare manu, minimo ne ruga tumore
Parva ſuperficiem deformet, & aſperet æquor.
Intentiſque notant oculis an rite per orbem
Deſcendat tela, & limbo dependeat apto.
Convivii arma locant alii; cocleare, tridentem,
Et cultrũ, & mappam, & Cereris cũ munere diſcum.
Accumulant alii lances, & ſede propinqua
Seponunt, pariter cyathos, ſic mente ſagaci
Omnia præveniunt, ut ſi mutanda ſupellex,
Vel condire dapes opus eſt, mora nulla retardet.
Parte alia menſæ ſeponunt dona ſecundæ.
Ecce autem lautis flagrant genialia menſis
Fercula, fumantes oſtendit aperta paropſis
Pulticulas; Cum fumo Indi ſparguntur odores,
Gratus odor jam convivas ſatiare videtur.
Cuique ſuas partes magnum cocleare ſcorſim
Dividit, incipiunt regnare ſilentia menſis,
Tum ſtridor ſequitur, lacerant cum dentibus eſcas,
Vocibus alternis gratus tenet ultima rumor.
Jamque ſecas cultro dextra, lævaque tridenti
Reddere qui nequeunt, quamvis naſcantur ab ovo,
Fæcundas Matres, bubulæque trementia fruſta,

Plu-

Plura ſimul variis acuunt quoque liba ſaporem
Nominibus, blandoque patent mordentia ſucco
Salgama, delitiæ, atque oblectamenta palati.
Tum jecur, & cerebrum vitulæ, pataſoque tenellus
Candidus & rubeus fruſta in ſubtilia ſectus
Additur, atque ales cauda ſtellante ſuperbus,
Nec tenues deſunt volucres, nec ventre capaci
Paſtilli gravidi; quæ longa cuſpide quærit
Gallinago cibum, dulcique embammate perdix.
Aſpicis & toſtas alica ſtillante palumbes,
Infixoque veru pullos, anatreſque paluſtres.
Ova ſimul cum lacte cibum, ſi ſachara miſces,
Efficiunt gratum, qui concolor emicat auro.
Non triſtes herbas, quas craſſior educat hortus
Nunc adhibere licet, rubro ſpinachia caule,
Pheniculi, betæque humiles, & ſectile porrum,
Atque comis aſper raphanus, viliſque phaſellus,
Ervum injucundum, teretique cucurbita forma.
Inſipidæque fabæ; vel amaris candida fibris
Intiba, & invitas lacrimas factura ſecanti
Cæpe, cicer tenerum, miſeræ ſervata culinæ
Criſpa comas lactuca manet, ſeu nigra reciſis
Braſſica culliolis, nitidi cui fruſtula lardi
Diſtillant pingues ſuccos, acuuntque ſaporem
Tonſa minutatim, ſtridenti & frixa butirro.
Sic præbent ſapidas duris meſſoribus eſcas
Alia, ſeu lentis conſumpta vaporibus Halec.
Fercula nunc noſtros meliora parantur in uſus:
Interea variis expreſſæ collibus uvæ
Sufficiunt gratos hauſtus, quid dulce Phalernum,
Quid vetus Arviſium, quid jactet Horatius urnam
Nectare divino ſecum naſcente repletam?
Jactet, at externis Fanum non invidet agris,
Alloquor expertis; Fanum pretioſa miniſtrat

Vina ſuis; quæque Hiſpanis naſcuntur in oris.
Gallica quæ nobis tellus, & Hetruria mittit,
Affrica quæ nutrit, quæ ſunt oriente profecta,
Diſpicienda forent, ſi noſtro induſtria Fano
Perficeret vigili naturæ munus ab arte.
At vino interea ſervato ad læta fruamur
Prandia, nec deerunt peregrina in vaſe minori.
Eja age: nunc liquidum Dominus tibi porriget aurum,
Nunc tibi purpureo cyathus ſplendeſcet ab oſtro.
Lætitiam alterni calices ſitientibus addent;
Nam moderata juvant, nimium repetita nocerent,
Sed nunc miſta epulis normam minus eſſe ſeveram
Vina docent, nunc lætitiæ laxantur habenæ,
Dum miris exculta modis victum inter, & hauſtus
Vincula ſinceri ſenſim ſtringuntur amoris.

Ad Rempublicam gallinaceam de Bacchanalium exitu Conſolatio.

PAſſa graves nimium gens gallinacea curas,
Et longo ſquallens dum regnant orgia luctu,
Tolle animos, meliora manent te fata, tibique
Poſt varios caſus, rerum novus incipit ordo.
Tempus adeſt felix, quo pace fruare ſequeſtra,
Quove tuas liceat tandem reparare ruinas.
Pone metus; nulli poſthac violanda Tyrano
Pax regni tranquilla tui: Sat ſanguinis hauſtum,
Indomitæque gulæ, nimia ſat cærde libatum:
Proh quot funeſtæ nuper, quot ſtragis acervos
Edidit in pingui coquus omnisubique culina?
Quis triſtes avium caſus, quis funera fando
Temperet a lacrimis? mortis genus omne cruentæ
Gens miſeranda tulit, cæco data præda furori.
Pars altos inter latices undantis aheni

In

In pœnas elementa (licet contraria) ſenſit
Conjuraſſe ſuas; & magno fluctuat æſtu.
Pars infixa veru lento torquetur ab igne,
Crudeli circumacta manu; pars ignibus ardet
Subjectis, unctaque ardens ſartagine replet
Ingenti ſtridore domum; graviora parantur
Supplicia interea miſeris, namque arma furentes
Ocyus expediunt, mediaque cadavera menſa
Carnifices epulanda locant, quiſque intus adacto
Tranſadigit ferro coſtas, & quærit apertis
Pectoris in latebris quotquot coquus abdidit eſcas,
Dilicias, avidique irritamenta palati.
In nova quiſque ſuo pendet conviva tridenti
Vulnera, diſcerptoſque ferus depaſcitur artus:
Sedula turba canum circum latratibus inſtat,
Pabula & imani ſibi debita poſcit hiatu.
Projecta horrendum ſtrident ſub dentibus oſſa,
Eruiturque latens lingua lambente medulla.
Ipſi etiam felles errant cænabula circum,
Et ſævis lacerant ſemeſos unguibus artus.
Cætera cur memorem? infandum renovare dolorem
Mens refugit, ſeriemque ex ordine pandere rerum.
Oh fortunatæ volucres! Crudelia Bacchi
Sacra abeunt, mœſtique dies; jam certa ſalutis,
Jam ſpes pacis adeſt; feſtivos incipe cantus,
Vivis adhuc tanta quæcunque ex clade ſuperſtes.
Jam bello turbentur aquæ, Neptunia regna,
Omnis in occultos piſces dæſeviat ira;
Inſidiis & fraude potens jam tendit opimam
In prædam piſcator, & omnibus irruat armis:
Retibus oceanus jactis agitetur & hamo,
Seu quæcunque ſolum fœcundior alluit unda.
At multos miſerata ferant niſi cærula piſces,
Fluminaque, & latis collectæ in vallibus undæ,

Inque omni facilis ſaliat niſi gurgite præda,
Quas tibi (væ miſeræ!) gens gallinacea clades
Præſagit' deluſa fames, quæ bella minatur?

FABULA PRIMA

Moralis Miſta.

QUidam animi curis, ſtomachique laboribus ægri
Cum non ulla foret tot medicina malis.
Sæpe necem exclamans quanto potis ore, vocabat;
O mors prima omnes inter habenda Deas.
Seu mare, ſeu tellus, ſeu te tegit urna jacentem;
Sive agis in mediis intumulata viis,
Huc ades, æthereas volucri pede lapſa per auras,
Et mea lethifera lumina claude manu;
Nam lacrymæ fugient, & pallida turba timores,
Adventu fugient cura, dolorque tuo.
Tu miſeros ægro ſubducis corpore ſenſus;
Tu tergis luctus, tu mala cuncta levas.
Aurea præcluſi tu pandis limina Cæli,
Et facis ut noſtro ſint adeunda pede.
Sic miſero in votis, mors triſti ſemper in ore eſt;
Et penitus tota mente recepta ſedet.
Hanc amat, hanc optat, ſola ſuſpirat in illa;
Hæc juvat; hæc pretio quolibet empta placet.
Sæpe via ſpectans ſolemnia funera duci,
Funeris hæc, dixit, ſit quoque pompa mei.
Sæpe brevi feſſus declinans lumina ſomno,
Mors utinam ſpecies ſit mihi mortis, ait.
O utinam miſerum me mors jam læta tuliſſet;
Clauderet & cineres funebris urna meos.
Tunc ego non flerem vanis mala tanta querelis;
Non quererer lentis paſſibus ire dies.

Eja

Eja age rumpe moras, noſtris precor annue votis;
Nec dura voces aure repelle meas.
Tam ſæpe increpuit, totieſque in vota vocavit, *Mortem*
Ruperit ut tardas pene coacta moras. *Mors* 30
Adfuit excarnis: longa, & cineralia quantum
Tempora! Frons, oculi fata minantis erant.
Pulvereum fert læva vitrum; fert dextera falcem,
Hoc numerat, medios hoc ſecat illa dies.
En adſum, quam quæris, ait: nec plura; bipennem
Extulit, adverſum ſcindere certa caput.
Ora ubi nocturnis informia vidit in umbris,
Armaque tot miſerum cæde cruenta virum;
Et fera pendentem, pronamque in vulnera dextram;
O bona mors, viſu territus æger ait. 40
Verbum audi; ſum ſurda, nihil mors audio; *verbum*
Ore: Do veniam; dic age, tolle moras;
Non ego te (falcemque loquens, dextramque minantem
Inſpicit; ima ingens concutit oſſa tremor.)
Non ego te tam ſæpe mei, ſed conjugis ergo
Accivi; affini quæ jacet ægra thoro.
Lucis enim ferre impatiens jam tædia, dicit
Se non poſſe ultra vivere, velle mori.
Hanc petit infrendens, hærenſque in limine primo,
Siſtit: Non ego ſum, quam petis, uxor ait. 50
Eſt nunquam moriens octogenaria Mater,
Cæca, attracta manus, ulcere clauda pedes.
Hæc dudum vivax ferè perteſa ſenectæ
Te ſæpe ore gemens deficiente vocat.
Aſpicis, ut vetulis te chare amplectitur ulnis?
Audis, ut natam te vocat illa ſuam?
Quid facit in terris ultra? Quid inutilis annos
Exigit, & patrios occupat uſque lares?
Noſtra nihil jam vota valent, tua dextera, Diva,
Poſcitur, hæc medicæ ſuppleat artis opem. 60

Quid Anui contigit.

Scis quęque uxori, quæque evenere Marito;
Hiſtoriam vetulę ſorte requiris anus:
Mors optata veni, me triſtibus exime curis,
Inquit; ſi pietas, vel tibi cura mei.
Audiit has querulas omnis vicinia voces,
Audiit has, ſocerum non bene paſſa nurus.
Criſtata hęc puerum galea, & fulgentibus alis
Induit, Angelici cui decor oris erat.
Hunc prius admonitum vetulę intra proxima mittit
Limina, qua ſolita eſt fundere parte preces.
Ille: Dei ſummo tibi nuntius Æthere mittor,
Lætus ait: votis annuit ille tuis.
Craſtina lux tibi meta tui ſuprema laboris,
Craſtina Cęleſtis prima quietis erit.
Scilicet hac ipſa ſpirabis leniter hora;
Jamque vale; unde abii, rurſus in aſtra feror.
O ſuperi pars una chori, pulcherrime rerum
Aliger; audi, oro; tum bona dixit anus.
Hac vice, non alia poſthac; Domino hac vice tantum
In nullo inventam me refer eſſe loco.

FABULA SECUNDA

Moralis.

NEſcio quo pacto, vel amoris fœdere junctus
Ibat honos una, ventus, & unda via.
Perque viam vario curas ſermone levabant,
Cujus iter cauſam, materiamque dabat.
Currenti pariter ſimilis, ſimiliſque furenti,
Sordidus & multo pulvere ventus erat.
Unda ſequebatur placidæ ſub imagine matris;
Ubera cui vitrei plena liquoris erant.

Pro-

Proximus ibat honos, cui forma decora juventæ,
Aurea cæſaries, multus in ore pudor;
Palliolum, veſtiſque auro fulgebat, & oſtro,
Pendebat nexis cauda puſilla comis.
Summæ harum Cyprio conſperſæ pulvere; membra
Candidus, & minio calceus imus erat.
Poſt iter, & gyros varios, flexuſque viarum,
Cum jam deficeret ſole cadente dies,
Devenere locum ternas ubi proſpicit oras,
Ducit & in totidem ſemita ſecta vias.
Hic ventus tardæ veritus ſe credere nocti
(Scilicet Eoo littore miſſus erat)
Heus ſocii, quonam ſtudio properamus eundi?
Ire domum, ſero veſpere, tempus, ait.
Tempus adire domum, vox hæc fuit omnibus una;
Omnibus hæc pariter vox fuit una, vale.
Dividimur, ſed enim quando ſimul eſſe licebit,
Ut modo; facundo rurſus & ore frui?
Hic aqua; ſemper ego in puteis, fluviiſque, marique
In tectis etiam, dum pluat, inquit, ero.
Aſt ego, tum Ventus, ſummis in montibus, inquit
Turribus excelſis, plana peroſus, agam.
Horum, me quiſquis quærit, ſuper ardua reptet.
Mutus ad hæc manſit de tribus unus honos.
At tu, belle puer, primoque in flore juventæ,
Dic ubi, dixerunt, inveniendus eris?
Nuſquam dixit honos; me quærere mittite; lapſum
In nullo dabitur me reperire loco.

FABULA TERTIA.

Rationalis.

NOcte rubens cælo fulget cum luna ſereno,
Altaque cum ſuadent aſtra quiete frui.

Paſtores quondam duo Damon, & Alpheſibeus
In ſummo ſtrati vertice montis erant.
Hic feſſum curis animum, corpuſque levabant
Fuſi ambo mollem, qua dabat herba, thorum.
Horum unus ſummi ſpectans ſuper ardua Cæli
Attonitus, nunquam ceu ſibi viſa forent.
O mihi ſi culti tantum foret, inquit, agelli
Quantum oculis Cæli metior ipſe meis.
Dicite vos quercus, vos robora dicite, & orni
Quis mihi par toto cultor in orbe foret?
Tunc alius nunquam non reſpondere paratus
Ipſe etiam Cælo lumina fixus, ait;
O mihi ſi tot oves eſſent, quot in æthere ſtellas
Aſpicio, digitis enumeroque meis.
Dicite vos pecudes, vos paſcua dicite, & amnes
Quis mihi par toto paſtor in orbe foret?
Si tibi tot, quot ais, pecudes prior addidit, eſſent,
Quid faceres tanto cum grege ruris inops?
Quo paſtum, potumque ovium tot millia paſtor
Tunc ageres, voti neſcius ipſe tui?
Quo? prior adjecit: culti in tua jugera ruris;
In mea non equidem, Numina teſtor, ait.
In tua, te quamvis invito, ſidera juro,
Inquit; mactarem cum Duce quemque ſuo.
Hac etiam, atque etiam credo tibi cæde caveres;
Cura tibi vitæ ſi foret ulla tuæ.
O lepidum ingenium; tumidum caput! ad quid inanes
Hæ voces? me ne his frangere poſſe putas?
Vidi alios iſtis ſimiles, domuique minantes,
An cedam, o demens, viribus ipſe tuis?
Ad fævas a voce manus (nec plura) pedeſque
Venerunt; præceps hæc dedit arma furor.
Nec mora: dum ſeſe jam quiſpue amplexibus arctnt,
Et trahit, & retrahit non memor ipſe ſui.

Vin-

Vincere dum certat, manibus per mutua junctis,
Corruit a ſummo lapſus uterque jugo.

FABULA QUARTA

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Moralis.

FOrte Lupus, Vulpeſque rapax, & ineptus Aſellus
Criminis actus erat, Regem reus ante Leonem;
Jamque dies aderat, qua cauſam dicere quiſque
Juſſus erat, prono ore lupus, crura inter operta
Cauda humilis vulpes; dimiſſis auribus adſtat
Tandem Aſinus. Solio judex ſublimis in alto
Incipit a primo, cui multa objecta, quid inquis
O Lupe? Nonne ſatis teneros cum matribus agnos
Diſcerpiſſe ſuit? quin inſuper ore cruento
Paſtoris (jam noſtis ait) ſine crimine Trojam
Ictu oculi abriperes? longa me teſte ſenecta
Non ullos aptam Domini fore rebar ad uſus.
At cur parva etiam miſera cum Matre voraſti
Pignora? Ea ablata, fieri non poſſe putabam
Ut vitam ultra agerent; lenta ne morte perirent,
(Qua reliquis parco) motus pietate voravi.
At tu, quadrupedum longe teterrima vulpes,
Dic age, cur illo in clauſtro, cætuque piorum
Relligione Patrum, Gallum cervicibus altis,
Elata in cælum cauda clam nocte ſilenti
Ediſti? Quod ſæpe ferox fera prælia miſcet,
Et clamore ſuo præſcripta ſilentia rumpit.
Præterea febri, gravibuſque doloribus ægri
Multi adſunt, quibus hic ingrato carmine ſomnum
Impedit. Ad tardum demum devenit aſellum,
Objectum cui crimen erat, quod ſtramina triſtis
Educta e domini ſoliis in prandia nuper

Ederat; hic vero demiſſis auribus hæſit
Mutus, & elinguis: Non illic eſſe putabam:
Quare? Tardum animal tacuit: reliquiſque ſolutis
Unum damnatur ſceleris; ſic ante tribunal
Judicis, omnis ineſt valet excuſatio.

FABULA QUINTA

Moralis.

CReverat annoſæ vicina Cucurbita Cedro
Aurea dum lætæ tempora meſſis erant.
Creverat in latam ſolito ventoſior alvum,
Vixque oneri palus jam ſatis unus erat.
Ut ſeſe toto ſuperantem vertice cedrum
Vidit, cui nuper repſerat ante pedes;
Hortenſis Regina, throno ſpectabilis alto
Nata recens genti ponere jura ſuæ.
Verbaque cum plauſu mirantis ut auribus hauſit
Hoſpitis, ex ipſo prætereuntis agro;
O ego, quid video! quam vaſta cucurbita! nullo
Rure (& multa adii) par mihi viſa prius!
Intumuit magis, atque magis, nec gaudia mentis,
Nec faſtum poterat diſſimulare ſuum.
Eſt quoque fortuito magis aucta ſuperbia caſu,
Debuerat prudens unde venire timor.
Forte levis ventus Caulem capita alta ferentem
Illius impellens volverat ante pedes.
Ille ſalutatum ſeſe prono ore putavit;
Et dominam, dixit, me colit ille ſuam.
Quem mihi non tribuent horti plebs infima cultum?
Intuba quin ponant, aſparagique caput?
Et ſiler, & fatuæ plebis convivia betæ,
Lens & divitiis ambitioſa ſuis;

Sci-

Scilicet è collo pretioſa monilia pendent;
E foliis flores pectora ſumma tegunt.
Emeritos Cedri contemnere cœpit honores;
Atque hos, aut ſimiles edidit ore ſonos.
O male communis mecum vetus arbor agelli
Incola, plus ipſo ſegnis, inerſque gelu.
Dedecus arbutei generis, ſpes vana coloni;
Qui fruſtra de te quærit, & optat opes.
Aſpice quam modico tibi par ego tempore crevi,
Floribus, atque amplis conſpicienda comis?
Lætaque per ramos, turgentibus undique natis,
Ut tua ſunt pomis poma minora meis?
Ut cervix, cauliſque tuo mihi major, & alvus;
Vix numerat menſes nunc mea vita duos.
Jamque tuos ſupero ramos; jam culmina inumbro,
In celſo degens celſior ipſa loco.
Par tibi, qui mecum jam tot labentibus annis
Degis in hoc fruſtra deſidioſa loco.
Fruſtra hauris terræ ſuccos, & lumina ſolis
Aſpicis, Æthereo ſparſaque rore mades.
Ille nihil: nec tot jacentem vana moratur;
Sed tacite: veniet frigida, dixit, hyems.
Spero equidem collum, ventremque abdomine tardum,
Spero altum pones arida facta caput.
Frigida venit hyems, gelidæ venere pruinæ;
Diriguit ſubito terra peruſta gelu.
Tum vero nudis vitiata cucurbita ramis,
Tum deprenſa ſuis orba cucurbiculis.
Cortice diducto miſere putrefacta patebant
Viſcera; pars formæ nulla prioris erat.
Pars bona formicis, pictis pars rapta lacertis,
Pars quoque præda avidi muris, aviſque fuit.
I nunc, cedrus ait, cauſa meliore ſuperba;
Argue ſegnitiem rurſus, ut ante, meam.

Lentius æthereas mea ſe tulit arbor ad auras;
Extulit & ſumma molle cacumen humo.
Lentius at creſcens radices altius egit;
Hinc manet in primo fixa, tenaxque ſolo.
Ventorum furiis, & miſta grandine, nimbis,
Inconcuſſa caput, major & invidia.
Tu velut in vernis florentia gramïna pratis,
Florea dum primi tempora veris eunt,
Vallibus aut imis natus pluvio æthere fungus,
Orta, & adulta brevi, viſa perire brevi es.

Manlius Torquatus oculorum valetudinem excuſans, conſulatum recuſat.

COnſulis auguſtos ſiſtit tibi Patria faſces,
Et leges ambit ſponte regenda tuas.
Non tamen ipſe preces audis, & publica vota,
Caligare oculum queſtus utrunque tibi.
At quod quiſque optat, dum noſti ſpernere faſces,
Uti oculo ſapiens non meliore potes.

ALIUD.

ACri oculos quereris morbo torpeſcere, Roma
Ne te iterum pergat conſule velle regi.
At cæca, Torquate, licet ſis noctua fronte,
Argus ſi fueris mente, præeſſe potes.

Apud Sybaritas morte plectitur, quicunque mortis mentionem fecerit.

GRande nefas, Sybarita, putas, & morte piandum,
Si cui, ſi mortis nomen in ore ſonet.

Nec

Nec triſtes pannos, nec triſtia funera fando,
Nec licet extremum commemorare diem.
Et cui ſi nimium triſtis vox excidit ore,
Crudeli infelix ille ſub enſe cadit.
At tibi qui mores, Sybarita? ubi morte magiſtra;
Turpe putas vitam compoſuiſſe tuam.

Smiadirides Sybarita roſis incubans præ nimia lecti duritie ſe dormire non poſſe conqueritur.

IN patriis quæcunque tibi roſa naſcitur hortis,
Purpureoſque aperit ſole oriente ſinus;
Ante ſuo quam ſol deſæviat altior æſtu,
Undique ſollicita carpitur illa manu.
Circum prædo ferox errat, nec parcitur illi,
Ulla ſatellitio nec roſa tuta ſuo eſt.
Ad tua juſſa celer per amœna roſalia fertur,
Florenteſque ſoli depopulatur opes.
Utque aggeſta vides plenis ſpolia ampla caniſtris,
His mollem gaudes compoſuiſſe thorum.
Ergo ſuis ſpoliata rubis roſa ſternitur omnis,
Atque alias aliæ nec ſine lege premunt.
Jamque alta ſurgunt tibi pulvinaria mole,
Fœtaque multiplici culcitra flore tumet.
Hanc ſuper impatiens ſternis te corpore toto,
Florea & immani pondere ſtrata premis.
Vix tamen ipſe thoro recubas reſupinus in alto,
Cum tibi dura nimis ſtrata ſubeſſe doles.
Imprimis quereris ſub floribus addita ſaxa,
Et circum hirſutis obſita membra rubis.
Non ſecus ac ſubito febris ſuccenſus ab æſtu,
Molli hinc, inde agitas languida membra thoro.
Inque utrunque latus, parteſque volubilis omnes
Infremis, & ſomnum longius ire doles.

Nulla

Nulla tibi conceſſa quies, ſed triſtia lecti
Cogeris inſomni tædia nocte pati.
Deliciis, Sybarita, tuis hæc debita pœna eſt:
Ut miſer in mediis excruciere roſis.

Archimedes Speculo Romanam claſſem incendit.

QUA Syculas fervens mare præterlabitur undas,
Preſſa ſub æratis claſſibus unda fremit.
Jamque Syracuſæ Marcellus mœnibus urbis
Imminet, & cives obſidione premit.
Supremam late caſtris circundata cladem
Urbs timet, atque ſuis ingemit ægra malis.
Et jam victori trepidantia pectora cedunt,
Romanoque parant ſubdere colla jugo.
Ecce autem Patriæ ſummo in diſcrimine, civis
Unus adeſt certam ferre paratus opem.
Hic ſibi ſe ſolo Patriæ defendere muros
Poſcit, & in medio perdere caſtra mari.
Ocyus ergo altæ conſcendit culmina turris,
Unde oculis late caſtra inimica patent.
Et ſocium ſecum pugnare Geometra ſolem
Cogit, & ex alto patria ſigna ſequi.
Nam grandes ſpeculorum orbes ad lumina ſolis
Objicit, objecta dum ſine nube micat.
Et jam collectis criſtallina machina flammis
Ardet, & in puppes ignea tela jacit.
Excita Romana ſerpunt incendia claſſe
Non ſuper infuſi mole premenda freti.
At poſitis elementa odiis cocuntia certant
Utraque in excidium, naufraga Roma, tuum.
Omnia devaſtant flammæ, flammiſque ſuperbis
Siquidquam ſupereſt, vendicat unda ſibi.

In-

Inſolitos mirata ſuis de ratibus ignes
Victa verecundos abdidit Ætna rogos.
Nec fruſtra: æternos nam fama enutriet ignes,
Quos nova Sicaniis protulit Æthna fretis.

Diogenes Puerum male moratum aſpiciens ejus Pædagogum fuſte percutit.

INnixus baculo Cynicus dum circuit urbem,
Obvius it petulans ore, habituque Puer.
Pone venit longa venerandus veſte magiſter,
Non minus inceſſu, quam gravis ore ſenex.
Conſtitit, elatoque alte, quem dextra gerebat,
Percuſſit Cynicus fuſte ſenile caput.
Parcitur at puero, nam quod peccatur ab illo,
Improbe, te, cuſtos, non prohibente, tuum eſt.

Diogenes Philoſophus ad coquendas lentes Herculis ſimulacrum flammis ſubjecit.

JEjuno dum dura paras ſolatia ventri,
Eſt animus rabidam pellere lente famem.
Deficiunt epulis arentia ligna coquendis,
Nec micat in toto parva favilla foco.
Frigidior nivibus cinis albicat, inque culina
Sævit Hiperboreo frigore triſtis hyems.
Ne quidquam ſiccas ſtipulas, & agreſtia quæris
Sarmenta arſuris ſubjicienda focis.
Non tibi tres palmi ligni licet omnia luſtres,
Ulla nec in tota virga reperta domo.
Ergo miſer quid agat? quo lentes molliat igne?
Qua crudeſcentem leniat arte famem?
Herculis effigiem felix ſors objicit, alto
Quæ ſurgit longe conſpicienda loco.

Emen-

Emenſuſque oculis circum undique ſculptile robur;
  Cur non hæc flammis pabula dentur? ait:
Jamque gravem toto connixus corpore molem
  Sternit, & in partes ſectile findit opus.
Supponitque ollæ clavamque, manuſque, pedeſque,
  Subjicit & lentis corpora ſecta focis.
Excito tandem repetitis ſollibus igne
  Herculeum in flammas fiſſile numen abit.
Ingens ſubjecto totum Hercule fervet ahenum,
  Et ſpumeſcentis vis furit intus aquæ;
Enatat & ſummæ nunc altum ebullit in unda,
  Nunc imis latitat triſte legumen aquis.
Tandem flammivomo moliri cœpit ab æſtu,
  Et bene dentato ſe ſinit ore teri.
Cur non biſſenis hunc fama laboribus addat
  Herculis, Herculea cacabus ardet ope.

PROLUSIO

Ad humaniores Litteras.

NON ſum neſcius, cives nobiliſſimi, plures adoleſcentulos, tametſi bona indole præditos, ſimul atque elapſo autumno de repetendis ſtudiis incidit ſermo, ſummo in mærore curſari. Illos ſæpenumero ſub litterarii otii finem inter deambulandum offendi palliolo oculorum tenus obvolutos, atque in ſe ipſis ita contractos, ut ſatis intelligerem in cauſa eſſe, quod in ſcholam propediem eſſet remigrandum. Per me vero hunc locum moleſtiarum, & difficultatum pleniſſimum ſibi fore putent quotquot negligentiæ nomine ad alterum annum in grammaticis vel inviti tirocinium ponent. At vos, adoleſcentes mihi chariſſimi, quibus ad politioris humanitatis ſtudia gradum facere contigit, nimis

nimis de propitia ſorte male mereri crederem, ſi ex triſtitia perturbatos aſpicerem; eo etenim diſciplinæ genere vobis utendum eſt in primis hilari, atque humano, ut mentem omni mæſtitia vacuam poſtulet. At mihi quidem diutius hoc cogitanti, opere pretium facturum eſſe viſum eſt, ſi idoneum tempus nactus ſtudiis præſtandi meis, quantum præclariſſima hæc facultas cum mœrore pugnet, in medio ponerem; nam quid utilius ad juventutem in ſtudiis excitandam agere poſſumus, quam ſi illam his artibus, quas ægre ſuſcipit ediſcendas, vitam jucundam fieri ſuadeamus? Vos igitur, cives clariſſimi, pro ea benevolentia, qua dicenti mihi ſemper habuiſtis gratiam, favete, adeſte æquo animo, cum ipſe præſentia veſtra confirmatus humaniores litteras vel maxime melancholiæ adverſari poeticis figmentis pergam declarare.

Ac ſi volumus nomen ipſum, quo a majoribus ars ſermones noſtros expoliendi illuſtrata eſt, conſiderare, reperiemus id illi eo inditum eſſe, quod cum melancholia nihil ſentiret; cum enim quos ſtudiis capiebat ſuis dulciſſima conſuetudine ſic deliniret, ut a fera, agreſtique vita, ad humanum civilemque cultum traduceret, factum eſt ut illam humanitatis nomine appellarint. Hinc nimirum a Poetis ut puella gratioſiſſima nobis depingitur, flavo boſtrycho, intonſa cyclade amicta, ſericulata cum clamyde purpurea Phrygio opere intertexta, & corona aurea magnis fulgentibus gemmis diſtincta, cytharam tenens exornatiſſimam auro & ebore ſaberrime ſegmentatam. Forma propterea, ac vultu adeo eleganti, ut nihil ſupra. Nunc autem ſi lubet, animum ad melancholiam advertamus, ac ut Metoſcopis ſolemne eſt, ipſius fyſiognomiam conſideremus.

Me-

Melancholiæ Proſopographia.

PAllor in aſpectu, cutis arida, & aſpera tactu
Livet, & informes ſenſim depaſcitur artus
Horribilis viſu macies, frons hiſpida torvis
Contrahitur rugis, dubiaque in imagine triſtis
Neſcio quid ſecum ſuſpenſa mente revolvit.
Introrſum ſeſe ſqualentes lumine glauco
Convolvunt oculorum acies, quas plurima circum
Sylva tegit, villiſque obtutum exaſperat hirtis.
Tempora ſubſidunt geminis effoſſa lacunis,
Strigoſæque genæ labuntur, & hiſpida longo
Horreſcunt rictu, labriſque tumentibus ora.
Quid nigram barbam, crineſque per ora fluentes,
Impexumque caput memorem, mentumque caducum,
Et patulas nares, turpeſque erugine dentes?
Hirſutaſque manus, ſetis ubi mille recurrunt
Flexibus innumeris turgentes ſanguine venæ.
Omnia mœrenti ſimilis, faciemque, coloremque,
Aſpectumque trucem, ſpecies humana refugit.

Quod ſi in ipſo oris habitu tantam habet diſcrepantiam, fateri quidem neceſſe eſt nulla alia in re convenire. Ac ſane eæ ſunt deliciæ, quibus ars noſtra perfruitur, ut nulla unquam inveniri poſſit intercapedo moleſtiæ. Tulli, & Maronis, cæterorumque Oratorum, ac Poetarum ſimpoſiis excepta ſuaviſſime occentat Tragemata, Embamata, Bellaria, & alia exquiſita cupedia apponuntur. Figuræ roſis, & floribus omnia purpuriſant; charites ſpargunt balſama; muſæ quoque canora perſonant. Quid vero melancholia epulatur?

Me-

Melancholiæ cibi.

OLli non lautis fragrant genialia menſis
Fercula, pulticulæ, gelidique coagula juris,
Libaque, paſtilli, & blando mordentia ſucco
Salgama deliciæ, atque irritamenta palati,
Quin refugit toſtas alica ſtillante palumbes,
Et jecur, & cerebum vitulæ, petaſumque tenellum,
Infixoſque veru pullos, anateſque paluſtres,
Et pingues capos, nec agreſtem flava laceſſit
Gallinago famem, dulcique embamate perdix.
At triſtes herbæ, quas craſſior educat hortus,
Arrident ventri, rubro ſpinachia caule,
Phenículi, betæque humiles, & feſſile porrum.
Atque comis aſper raphanus, villiſque phaſellus;
Et rudis aſparagus, teretique cucurbita forma,
Inflexuſque ſinum cucumis, lactucaque denſas
Circum criſpa comas, & amaris candida fibris
Intiba, & invitas lacrimas factura ſecanti
Cæpe, tenerque cicer, piſique volubile germen.
Illius at primos teneris ſibi poſcit amores
Braſſica colliculis, nitidi cui fruſtula lardi
Diſtillant pingues ſuccos, acuuntque ſapores
Tonſa minutatim, ſtridenti & fixa buriſto
Allia, ſeu lentis conſumpta vaporibus Halec.
Tum ſuper inſpergit conicumque, nucem Sabeam,
Et manibus plenis piperis mordacia dona.
Stat ſchyphus ante oculos, reſupinaque in ora refundit
Purpureos fluctus, liquidum nec ſobria Bacchum
Lympha domat: rurſus ſpumantia cymbia poſcunt
Sardula, cordillæ, tininnaque ſalſa, Botellus
Fruſtaque ſuccidiæ. Mutis tamen aſpera menſis
Cura ſedet, parviſque aptam dat luctibus eſcam.

Ex

Ex his dehinc cibis, qui craſſiſſimi ſunt, & idem difficillimi ad concoquendum, & ex reliquiis eorum phantaſmatum, quæ vigilans cogitavit, mirabiles melancholiæ exiſtunt ſpecies ſomniorum, quas hic paucis perſtringemus.

Melancholiæ ſomnia.

JAM cæli medium nigris ſubducta quadrigis
Nox tenet, & ſomno ſylvaſque, & ſtagna profundi
Acclinat, tacet omnis ager, lapſuque quieto
Flumina volvuntur, pictarum nulla volucrum,
Non hominum vox ulla ſonat. Vix pallida luna
Subrubet, & tremula connivent ſydera luce.
Illa licet ſero declinet lumina Morpheo,
Vulnus alit venis, curiſque agitatur amaris.
Ante thorum inſomnis chari genitoris imago,
Invida mors nuper quem funere morſit acerbo,
Aſſidet; ex humeris lugubri Syrmate veſtis
Defluit, & ſerpunt circum cava tempora flammæ.
Sanguineas oculorum acies circum undique torquet
Mæſtus, & ora modis attollens pallida miris
Dat gemitum, ſtridor ferri, tractæque catenæ
Inſequitur. Tremefacta novus per pectora terror
Labitur, it gelidus toto de corpore ſudor.
Nunc ſeſe Alecto palla ſuccinta cruenta
Tyſiphoneque oculos Stygiis infecta venenis
Objicit, & ſpargens per ſibila colla ceraſtas
Sulphureas quaſſat tædas, tortoque flagello
Inſonat horrendum, fumoſque eructat, & ignes.
Hinc verſa ſcena variis exercitus armis
Cum ſtrepitu confuſo, & barbarico ululatu
Irriut, & circum facta teſtudine ſedem
Jam tenet obſeſſam: furor undique, & undique terror,

Ar-

Armorumque fragor, denſuſque hinnitus equorum:
Fit via vi; poſtes ærato e cardine vulſi
Procumbunt, mediiſque fremunt penetrabibus hoſtes;
Territa tum ſurgit, vaginaque eripit enſem,
Nec dum ſomno excuſſo, huc illuc cæca furore
Fluctuat, & tenues ferro diverberat umbras.
Sæpe etiam falſa decepta ab imagine ſomni
Impexas equitare per horrida nubila Sagas,
Et tempeſtatem magico ſtridore ciere
Suſpicit; obverſi violento turbine terris
Incubuere Noti, ruit agmine ſævus aquarum
Nimbus, & horriſono per nubes torta fragore
Fulmina præcipitant, tonitru nemus omne remugit.

Quid autem rei eſt Melancholiæ cum Humanitate, in hiſce funeſtiſſimis ſomniorum terriculamentis. Enim vero ubi Entheus ille ardor mentem conſopierit, nervorum pulſu, tibiarum, vocumque concentu longe e terris ſe offert facultas humaniſſima, ac quidquid pulchrum eſt in univerſo orbe, contemplatur. Quin res ipſæ expertes corpore, ac noſtris ſenſibus remotiſſimæ poetico cultu indutæ cadunt in conſpectum, & earum natura aperta, & patefacta exhibetur. Sed plura proſequi tum anguſtiæ temporis prohibent, tum feſtinatio, ut finem faciam comparandi ea, quæ exorſus ſum. Quare hic breviter ambulatiunculas, ab ipſis inſtitutas conferamus, ac primum de Melancholia.

Melancholiæ deambulationes.

SOlis ad occaſum cum ſubniger aera veſper
Tingit, & incertis Zephyrus placidiſſimus alis
Radit iter liquidum, roſeoque obmurmurat ore,

Triſtis ad extremum deſerta per avia ſylvæ
Paſſibus it lentis, pro quanta ſilentia! quantus
Umbrarum ſpirat terror! ſtant ordine longo
Hinc, atque hinc ulmi, frondoſaque bracchia cælo
Aereæ pinus, & coniferæ cypariſſi
Protendunt, horretque comis intonſa coruſcis
Eſculus, atque exeſa ſitu latera ardua quercus
Procumbit, ramoque nemus facit una comanti.
Non avium hic dulces alterno murmure pugnæ,
Non liquidi fontes, & ſtagna virentia muſco,
Lanigerique greges, pronique ex rupibus hædi.
Aſt in convexo nemorum, qua rupe cavata
Abrupto ſubmota patet ſpelunca receſſu,
Funditur in præceps contorto vortice torrens,
Inque ſinus ſeſe frangens, & iniqua locorum
Dat ſonitum ſaxis. Tanto perculſa fragore
Terra tremit, plangunt valles, ſylvæque profundæ:
Illa tamen tacito figit veſtigia greſſu
Plura movens animo. Circum glomerantur acutis
Horrentes ſtimulis curæ, gelidique timores,
Et dolor, & ſubitis diſcordia mobilis armis,
Et faciles iræ, trepidoque inſania vultu,
Pronaque ſuſpicio, & dubiæ inconſtantia mentis.

At tandem cum ipſis monſtris faceſſant hi ſpecus, hæc nemora, atque in proſpectum cultiſſimi illi hortuli veniant, in quibus Rhetoricis excurſionibus facultas noſtra ſpatiatur, quippe ſatiari oculus voluptate non poteſt inter illam pratorum viriditatem intermicantibus floſculis picturatam, ac pergulas amœniſſimas, quas preſſæ, & retentæ manu arbuſtulæ belliſſime concludunt. In ipſo areolarum meditulio ſcatent Rhetorici fontes, qui primum argenteis aquarum vorticibus exultantes, mox per declive delapſi

flec-

flexuoſis ſerpunt mæandris, ac inter felicia arva fœcundiſſimis rivulis perennant. Ad eorum ripas Metaphora; Allegoria; Apoſtrophen; & aliæ Nymphæ ſexcentæ vel tibiis canunt, compoſitoſque dant motus, vel garrulos avium concentus, & fugientis aquæ lene murmur excipiunt: Non procul a voluptuariis hortulis in ſummo aprici collis Regia munificentiſſima aſſurgit. Quid hic ego commemorem totius domus ſtructuram mirifice architectatam? Porticus aureis columnis, inixas Aulas vermiculatis emblemmatis inſignitas; laquearia citro, & ebore curioſe cavata, picturas eximias, quarum gratiſſimo aſpectu oculorum acies quamlibet defatigata reficitur. Etenim majora ſunt, quam dicendo aſſequi poſſim. Quapropter veniam ad ſedem Melancholiæ, quæ quantum diſtet ab hac elegantiſſima, vobis judicandum relinquo.

Melancholiæ domus:

GUrgite qua triſti per opaca ſilentia Ditis
Turbidus it cœno Phlegeton, fremituque ſonanti
Præcipites torquet ſcopulos, atque horrida late
Littora Cocyti fumanti involvit arena,
Eſt domus, umbriferis quam pallida ſylva cupreſſis
Urget, & aerio ſurgentes vertice montes,
Abruptiſque premunt ſaxis pendentia ſaxa.
Hic ſibi funereos fixit Dea mæſta penates.
Exterior facies fuligine tincta vetuſta
Squalet, & æratos patulo ſub fornice poſtes
Hinc, atque hinc latis humeris, flexiſque lacertis
Suſtentant gemini converſa fronte Gigantes.
Veſtibulum ante ipſum, piceis ubi nixa columnis
Porticus excurrit, longo fluit æquore in orbem
Area muſivis lugubre intexta figuris.

Circum pallentes ſcalpro debentia vultus
Marmora, ſolicitæ curæ, rigidique dolores;
Præficæ & implexa tergentes lumina palla.
Verum in conſpectu gradibus ſuſpenſa reductis
Inter barbaricum ſe findit ſcala theatrum,
Illinc Dædaleo replent nigra clauſtra labore
Horribiles forma Fauni, Satyrique bicornes,
Stymphalides, Scythæque truces, pictique dracones,
Setigerique ſues, phonique, leveſque Paredri,
Junguntur, fugiunt ſeſe, caudaque retorta
Mille per errores, indeprenſoſque meatus
In ſe iterum coeunt, curſus, alioſque recurſus
Orbibus impediunt, & flexus flexibus urgent.
At late in medio panduntur maxima tecto
Atria; diſpoſitis circum pictura tabellis
Sævit, & inſano quidquid correpta furore
Efera mens hominum potuit committere, rurſus
Objicit ante oculos: ſpirant crudelia telis
Crimina, & ardentes mutus color induit iras.

Quoniam igitur humaniores litteras a Melancholia tot in rebus abhorrere vidimus, bono animo eſte, adoleſcentes ingenioſiſſimi, ac inter amœniſſima hæc ſtudia æque beate, ac ſapienter vitam a vobis inſtitutam iri pro certo habete. Equidem ea ſum lætitia expletus, ut mihi temperare non poſſim, quominus extremum vale jam dicam.

Pallentes procul hinc abite curæ,
Vitæ ſupplicium laborioſæ,
Cordis pernicies, abite curæ.
Jam mens inſolito lepore capta
Se nubes ſuper atque in aſtra ferri
Ardet prætepidans, ſtudetque amice

Se

Se conjungere fœderata cæli.
Hypocrenides inclytæ Puellæ
Huc e Caſtaliis cito viretis
Pulchrum ducite Pegaſon minaci
Collo nectite lora, gemmeiſque
Argutum caput illigate ſertis.
Ludorne inſolito furoris œſtu,
An curru ſuper igneo ſedentem
Aurigantibus Africis, & Euris,
Et blandis Zephyris; Favoniſque
Me lenes rapit alipes per auras.
Et jam penniferis coruſca ſylvis
Longe culmina Lyſia, atque Ibera;
Quin retro ſcopulis minax acutis
Apenninus abit, ſupraque nubes
Lætus tranſilio, & voluptuoſam
Jam ſedem teneo elegantiarum.
Hic quantum eſt hominum beatiorum;
Hic dulces charites, facetiæque
Et riſus hilares; jocique molles,
Indulgent modulis, volatilique
Plauſu mille agitant leves choreas.
Oh dulces comitum valete cœtus.
Has inter placidas amœnitates
Ruris deliciis fruar beati.
At vos interea hinc abite curæ
Per ſedes Erebi tenebricoſas,
Illuc unde negant redire quemquam;
Cordis pernicies, abite curæ.

Cum mihi Venetiis injunctum fuerit, ægrotante Cl. viro; tunc Rhetorices Magiſtro Hieronymo Fattori, ejus vices ſupplere per quatuor menſes, placuit ſcholaribus, quos optime inſtruebat, ejus recuperatam valetudinem publica proprii laboris ſignificatione celebrare. Alia publice re-

citarunt, præcipue in laudem D. Aloysii, sed amissa sunt. Amor meus erga Venetos optima indole præditos, & erga dulcissimum amicum, qui laudatur, me inducit, ut quod tunc, ut Magister correxi, nunc ut editor publici juris faciam.

PRÆFATIO.

CRedo vos certe, Auditores humanissimi, vehementer mirari, quod nunc extra consuetudinem ad hujusce litterariæ nostræ exercitationis Academiam accingamur, studii ac laboris nostri progressus qualescumque sint, ante oculos vestros exhibituri. Sed si hujusce Academiæ causam, rationemque cognoveritis, una, & id quod intendimus probabitis, & magna nos esse dignos laude procul dubio arbitrabimini. Quum enim erga Præceptorem optimum tot sint grati animi rationes, muneris nostri esse duximus hanc gaudii attestationem exhibere. Nam, cum optimus Præceptor affectæ valetudinis damna nuper senserit, in nos omnes communis dolor, & animi mæror derivatus est; tantumque affulsit omnibus gaudium, vix eum valere accepimus, ut non aliud cogitare liceret, non aliud exercitationum nostrarum argumentum exhiberi poterat. Eo mens nostra volabat, ubi cor erat. Quæ cum ita sint, communi omnium consensu de affecta primum valetudine nostrum omnium questus, ac dolorem proferre judicavimus, deinceps de ipsa recuperata valetudine nobis ipsis, & bonis omnibus, & optimarum litterarum amatoribus gratulari. Vos igitur, Patres ornatissimi, precor, ut bona cum venia excipiatis nostræ mentis fructus, ac labores, & si quid minus cultum excidere observabitis, id temporis angustiæ adscribite: solita enim, qua præditi estis benevolentia, animum nostrum, non rem ipsam existimabitis. *Antonius Ongaro.*

Let-

Lettera degli Scolari al Padre Maeſtro. Elegia.

QUa (niſi tu dederis) caritura eſt ipſa, ſalutem;
Mittit ab Aonio turma relicta jugo.
Quiſque ait: heu triſtes cogor modo ducere ſoles!
Quiſque ait: heu caro cogor abeſſe Duci.
Te voco; ſed fruſtra repetunt tua nomina colles;
Quæ modo cor feriunt, dulce levamen erant.
Te monet abſentem querulo levis unda ſuſurro;
Quæque per umbroſum murmurat aura nemus,
Ut ſolet amiſſa dare queſtus conjuge Turtur,
Sic oblita ſui languida cantat avis.
Hæc nemora, hos lucus tibi Muſæ, & ceſſit Apollo;
Te bene cunctorum ſubſtituente vices.
Docta Minerva ſuos, ceſſit quoque Pallas Alumnos;
Quiſque libens tanto ſub duce miles erat.
Sed modo cum fletu contemplor Apollinis Ædes,
Et quam Pallas amat, quamque Minerva domum;
Somnus abit noctu; cum ſurgit ab æthere Titan
Nox animo exoritur non minus atra meo.
Quando erit illa dies, quo quiſque accurrat in aula
Obvius, & venias in tua caſtra redux?
Sive opus eſt vigili ſomnum depellere cura,
Sive uti parco (nam vocat hora) cibo.
Primus eram; non lectus iners me mane tenebat;
Fruſtra longa dabat veſpere menſa dapes.
Diſcere quæſieram cari documenta Magiſtri,
Tu decus, & ſtudii norma probata mei,
Ingenuos mores ſimul inſtillare ſolebas;
Aſſiduus cuſtos, nobile calcar eras.
Sic monita (ut clara in ſuperos pietate vigebas)
Exemplo fuerant utiliora tuo.

Semita virtutis teneræ dilecta juventæ;
Per te dulce aliis fasque, decusque fuit.
Nec minus urbana potui simul esse corona,
Et placuit gravibus gratia culta viris.
Optimus instruxit juvenem (dixere) Magister;
Erubui, merito quod probor ipse tuo.
Laus tibi sola fuit: laus æqua duobus inesset,
Si foret. & curæ par mihi cura tuæ.
Quid tamen imprudens earum, dolor improbe, Patrem?
Quid tamen immeritum, febris iniqua, petis?
Tot laceras, male sane dolor! tot corda lacessis!
Ægrotant uno in corpore centum animæ!
Hos pete, qui nimio titubant per compita vino;
Nam scelus (ut morbo corripiantur) habent;
Seu quibus arridens lautæ convivia mensæ;
Attulit heu nimius plurima damna cibus;
Qui cithara fidicen noctu tota urbe vagatur,
Tempus & in magno præterit omne foro;
Nec timet hyberno nocuis simul esse theatris
Frigore, sit vitæ prodigus ipse suæ.
Si tamen heu! cæco febris impia percutis ictu;
Meme, adsum, ferro percute cæca tuo.
Ah quam dulce meos tibi substituisse dolores;
Dum nobis valeas, care Magister, erit.
Tunc patiar solus, nec tot patiemur amantes;
Nec patiar, nam te sospite sospes ero.
Sed quid ego? Tu dexter ades, potusque salubres
I, celer, & medica defer, Apollo, manu;
Nec frustra plantæ assurgunt Heliconis ad undas;
Quas blande aspergunt Bellerophontis aquæ.
Audior, & sonitum visa est levis aura dedisse,
Ante oculos Phœbus, non ego fallor, adest;
Namque bipartito properans de vertice montis,
Dux, inquit, valeat vatibus ille meis.

In-

Inde ſalutiferas, quas attulit, exprimit herbas;
Teque brevi gaudet reſtituiſſe tuis.
Febris abit, reliquus fugiet de corpore morbus;
Vive age; præſagit nuntia læta animus;
Vive age: nec renuas noſtrum, Præceptor, amorem
Hic legere: hæc cordis littera teſtis erit.
Perlege, nam triſtes cum morbo abiere dolores,
Nil mihi reſcribas attamen, ipſe veni.

Carolus Peracca.

La ſalute, e l' allegrezza ci portano la felice novella.

ESAMETRI.

EJa agite, o ſocii, triſtes deponite queſtus;
Curę abeant triſtes, nec pectora veſtra laceſſant.
Huc ades oh Medicina mei ſuaviſſima cordis,
Lętitia, atque hilari difundas gaudia plauſu.
Nam modo Pręceptor morbo languebat acerbo;
Unica, ſed poteras animos ſolare jacentes.
Indocilis ſervare modum, ſpargenſque venenum
Febris iniqua diu triſtes comitata dolores
Immeritum premit, & teneros depaſcitur artus.
Sed modo priſca Salus hilari redit impigra vultu;
Lętitiamque affert; duplices a limine divas
Excipite; ut vobis jam nuntia læta ferentes.
Vivit io, clamant, vivit nova gloria Pindi;
Plaudite vos juvenes, mœſtos attollite vultus,
Veſter adeſt Pręſes, quo ſoſpite vivimus omnes;
Vive diu felix tanto ſub Pręſide pubes.

Petrus Robaccini.

Si moſtra l' allegrezza degli Scolari nel riſtabilimento del Padre Maeſtro.

S E L V A.

SIccome allor che pel ſereno Cielo
Oſcure nubi, e denſe
Stendon repente tenebroſo velo,
Toſto di meſto orrore
Il bel terreno cuopreſi d' intorno,
Nè ſplende più del lieto manto adorno;
Così pur noi qualor febre nemica
Acerbe doglie amare
Scacciata avean da te la gioja antica,
E fra le ingrate piume
Oppreſſo ti teneano crudelmente
Ogni piacer da noi fuggì repente:
Ma poichè al fine il livido pallore
Da te fuggiſſi altrove,
E il volto pinto del natio colore
La Dea dei Vati amica,
La bella ſanitade a te ritorno
Fece di verde olivo il crine adorno;
Al riedere di te bramato oggetto
Di dolci carmi eccheggia
Queſto alle Muſe, e a te ſacro ricetto;
Anzi pur quelle dell' Aonio Monte
Cinte d' allor la fronte,
E con giulivo piede
Incontro a te ſi fanno,
E al ſolito ſplendor che in te riluce
Te chiaman Padre, e riconoſcon duce:
Duce per cui ſovente

Vid-

Vider di Cigni eletti
Fuor dell' uſato gir liete le ſponde
Delle Caſtalid' onde,
E ſeguendo fedei l'orme onorate,
Che pel nobil ſentiero al vulgo ignoto
Vedevanti ſtampar poggiare arditi
Di gloria, e di ſaper all' alte cime,
Tal che fia che Parnaſo, ed Elicone
Del chiaro Nome lor ſempre riſuone.

Lodovico Giovanelli

Gli Scolari ſenza Padre Maeſtro greggia ſenza Paſtore.

ESAMETRI.

SEU quando amotus ſua linquit ovilia Paſtor,
Diſperguntur oves, nec prodeſt cura Moloſſi;
Si lupus inſultans, & prædæ intentus opimæ
Adveniat celer, aut circum Leo rugiet agnos.
Quin etiam (amoveat nam tanta pericula Numen)
Huc, illuc diſperſa cohors ſine lege vagatur,
Ballat ovis, reſonant colles, nec paſcua noſcunt,
Aut fontes, hauſtum queis præbeat unda ſalubrem,
Non alius ſupplere vices, & munera Paſtor
Forte putet, vocem ignorant, ſpernuntque monentem.
At ſuus ut redeat, teſtantur gaudia nutu,
Compoſitiſque greges redeunt in priſtina rebus.

Aloyſius Licini.

Fe-

Febo, e Minerva difendono il Padre Maestro.

EPIGRAMMA.

ALmè Parens, ſancto inſpiras qui numine Vates,
Et Tu progenies, diva Minerva, Jovis,
Munus ut eſt veſtrum, qui nos ſacra veſtra docebat
Præceptor claro nobilis ingenio.
Eja agite, & morbo, veſtrum haud patiere Clientem
Affligi, & febrium vulnera dira pati;
Sic dignum ſervet Ciceronis laude Minerva,
Sic quoque Virgilium ſervet Apollo ſuum.

Jacobus Licini.

Apollo, le Muſe, e gli Scolari ſi rallegrano della ricuperata ſalute del P. M.

ODE SAPPHICA.

JAM procul triſtes abiere morbi!
Euge muſarum decus, & dolorum
Ne time aſſultus, nec iniqua pectus
Febris aduret.
Vidimus ſparſas Helicone divas
Graminum faſces ſimul alligare,
Ut ſalutares premat ad medellam
Dextera ſuccos.
Immemor grato reſonare cantu
Sedulus clamans media cohorte,
Urget, amiſſa cithara, labori
Dexter Apollo.
Jam Deæ in Pindo repetunt choreas,

Per-

Perſonat lęto nemus omne plauſu
Fila jam Phæbus digitis ſonora
Pulſat eburnis.
Quid novi miror? viget, atque ſoſpes
Inter hos cantus redit ad Palæſtram
Redditus caræ juvenum cohorti
Inclitus Heros,
Carminum cultor; duce quo receſſus
Arduos vincit ſtudioſa pubes,
Et bipartito juga celſa montis
Vertice luſtrat.
Soſpes optantes redit ad Clientes;
(Lęta per ſylvas reſonabat Echo)
Currite, & ſacras properate ad aras
Fundere thura.
Interim lauros, pueri obſequentes,
(Qua redux morbo graditur relicto)
Spargite; & myrtus, nec odora florum
Copia deſit;
Lilia, & vernans Hyacinthus hortis;
Quæ ſolo ſternunt violæ tapetes;
Quæque gemmantis roſa lęta prati
Ridet ocellus.
O diu vivas reliquis ſuperſtes,
Care Pręceptor, vocitate læti,
Signa dent voces manifeſta cordis
Indice vultu.

Petrus Mileſi.

ANACREONTICA.

OR torni l'aurea cetera
Al diſuſato canto:
Torni con novo vanto
Queſt'onde a rallegrar:
Muſa non più ſi giaccia
L'Ecco dell'Adria in riva,
E il ſuon che intorno udi-
Ritorni a replicar. (va
Aſpra cagion triſtiſſima
Lungo ſilenzio impoſe:
Le corde armonioſe
Vietommi di ferir:
Ne già poteva eſprimere
Col ſuperar ſe ſteſſa,
L'alma dal duolo oppreſſa
L'interno ſuo martir:
Poichè Tu, il volto pallido
Ed affannoſo il petto
Giaci ſul duro letto
Vinto da febre oſtil:
Tu Tirſi, che delizia
Sei d'ogni mente, e cura,
Tu, cui donò natura
L'animo il più gentil.
Al tuo languir languivano
Punte da doglia anch'elle
Le Apollinee ſorelle
Uſate a ſtar con te:
E quella che meſtiſſima
In frà l'orror notturno
Di dorato coturno
Cinge l'argenteo piè:
E quella che d'armonico
Plettro la deſtra armando
Và l'armonia temprando
Che raro, o mai ſi udì:
E quella che del vario
Moto degli aſtri gode,
Se dalle noſtre prode
Fugge il chiaror del dì.
Ma non doveva offenderci
Più oltre avverſo fato:
Troppo è Tirſi pregiato
Dai Numi di laſsù: (ſtati
Già viene Apollo e appre.
I buon ſucchi ſalubri:
E dice: i dì lugubri
Non torneranno più.
Reſpira Tirſi amabile:
Roſeo color di vita
La guancia tua fiorita
A pinger già tornò;
Or chi potrà le armoniche
Frenar leggiadre rime?
Febo ſull'alte cime
Dell'arpa anch'ei s'armò.
Però torni la cetera
Al diſuſato canto:
Torni con novo vanto
Queſt'onde a rallegrar:
L'Abitatrice deſtiſi
Ecco di queſta riva:
S'oda dei lieti viva
Il ſuono replicar.

Girolamo Ruggia.

L'amo-

L' amore degli Scolari ſi conoſce nella malattia del Padre Maeſtro.

EPIGRAMMA.

DUM caput inſultat, dum ſe per languida ſpargit
Membra dolor, dum te febris acerba premit.
Sollicitæ Muſæ accurrunt ad Apollinis aram;
Proque ſuo (vultu ſuplice) Vate rogant.
Ne timeas dilecta cohors (reſpondet Apollo)
Juſſa dedi, atque brevi tempore ſoſpes erit:
Nam juvenum, quos ipſe docet præceptor, amorem,
Sollicitumque animum noſcere mens fuerat.

Carolus Piſani.

Ad imitazione di M. A. Flaminio.

ENDECASILLABI.

GAudete ingenui mei ſodales
Jamque omnis timor exulet, Magiſtrum
Salvum, atque incolumen redire noſtrum
Gaudete; ut capitis dolor receſſit;
Languebat febrium cohorte dira,
Quæ nos ſollicitos diu timore
Vexavit; citò jam nos reviſet
Dilectus Pater, omniumque noſtrum
Plauſus gaudia gratulationes
Lætus excipiet, manuſque caras
Nobis jam dabitur deoſculari.

Joannes Antonius Stella.

Il Padre Maeſtro difeſo da Apollo.

ODE ALCAICA.

Accurro pubem lætus in obviam
Me major ipſo; vivit, & anxios
Solatur adſpectu clientes
Pieriæ vetus hoſpes oræ.
At unde tanto plenus Apolline
Sublime textum carminis ordiar?
Quis ſplendida verſus inuret
In ſilice, aut adamante ſcribat?
Qui gurges, aut quæ ripa per Adriam
Ignara laudis? ſerpere lubrica
Te fama decantat per urbes
Et celebrat ſuper aſtra vatem.
Sic febris artus urere pertinax,
Injurioſo morbus anhelitu,
Audetis inſani dolores,
Immeritum cruciare corpus?
Corpus volantem mittere providum
Mentem per orbes ſidere lucidos?
Conſortio aſſuetam deorum
Doctam alias recreare mentes?
Parere amamus rebus in arduis
Qui celſa muſarum incolimus juga,
Voceſque tradi temperandas
Vocis ad arbitrium magiſtræ.
Illiberali nobilis otio
Vox preſſa languet! ſurge, age, vindicem
Aſſume, quam jactas, ſagittam
Jonio valuiſſe Ponto,

O Phœ-

O Phœbe cuſtos addite vatibus;
Confige morbos; agmina febrium
Fugata, & expulſi dolores
Ad Stygias revocentur umbras.

Franciſcus Novello.

SONETTO.

QUando in mezzo al cammin del ſacro Monte
Febbre ti aſſalſe inaſpettata, e ria,
Il giovine drapel che te ſeguìa
Smarrì il ſentiero del Caſtalio fonte.
E con dimeſſa, e doloroſa fronte,
Mentre voti, e querele a Febo invia:
Caccia deh caccia replicar ſi udìa,
L'empio moſtro alle ripe d'Acheronte.
Udillo Apollo, e accinto alle difeſe
Maledì la nemica ingiuſta ſorte,
E pieno d'ira il guardo intorno ſteſe.
Lo vide ella, e per vie cieche, e diſtorte
Pallida in viſo, ed anelante ſceſe
Ai tenebroſi regni della Morte.

Giacomo Panzani.

I difetti degli Scolari cauſa della malattia del Padre Maeſtro.

EPIGRAMMA.

IMpia quid morbo afflictum langueſcere vatem
Muſa ſinis? ſummus qui tibi ſplendor erat.
Non mea, ſed veſtra eſt, juvenes, ea culpa (reponit)
Plangite vos tanti cauſa fuiſſe mali.
Ecce illum reddo, ut multos fervetur in annos;
De vobis ſemper gaudeat ille, precor.

Catharinus dall' Acqua.

Perdono gènerale de' mancamenti commeſſi nell' aſſenza del Padre Maeſtro.

EPIGRAMMA.

QUem tibi ſubſtituis (ſi quid peccavimus) ultro
Indulget veniam, te ratam habere precor.
Ille dat hanc nobis, ut præmia juſta laborum,
Hæc noſtri per te fructus amoris erit.

Melchior Coſta.

ECLOGA.

Thyrſis. Amyntas.

Am. QUid modo tu, Thyrſis, gelida proſtratus in umbra
Molle paras tenui deducere carmen avena?
Fert aliud tempus carmen, tua, Tityre, iniqua
Membra urget febris, & ſylvas te linquere cogit.

Th. Illud erat præter ſolitum, quod turtur ab orno
Triſtia ſæpe meas iterabat carmina ad aures.

Am. Ipſe malum hoc lævis poteram cognoſcere ſignis:
Sole ſub ardenti, per frigida rura capellæ
Dum forte errarent, conſedi feſſus ad ulmum;
Et vocem extollens, qua ſe reſonabilis Echo
Objicitur; perculſa tacet mihi vocis imago,
Fiſtulam & obtuſis mirabar ſtridere cannis.
Tityrus hinc aberat, tibi, Tityre, læta ſonabant
Antra, tuos grato geminabant murmure verſus.

Th. Eſt fagus, noſtrum ſurgit quæ plurima propter
Amnem, hic in denſis ſuevit Luſcinia ramis
Dulci cum ſocio jucundos promere cantus:
Rupibus at nunc in ſolis, & vallibus imis
Amiſſum quærens ſocium, dat pectore quæſtus.

Am. Tityre, quando aderas, avibus nemus omne ſonabat
Et gregibus, feſſoque dabat cum fraxinus umbras

Pa-

Paſtori, irriguis deerant non gramina pratis.
Nunc nemus omne ſilet, nec jam dat fraxinus umbras
Paſtori; ſiccis langueſcunt gramina pratis.

Th. Non poma arboribus, gelidis non fontibus undæ,
Non flores apibus deerant, non floribus humor.
Te ſine, & ipſi apibus flores, & floribus humor;
Et poma arboribus deſunt, & fontibus undæ.
Omnia rapta ſimul Paſtorum gaudia tecum.

Am. Felices pecudes! ſolis in montibus ibant
Tutæ, parcebat pleno lupus acer ovili,
Frigora myrtetis, grando uvis, imber ariſtis.

Th. Ah! febris inviſo cogit te, Tityre, lecto,
Nos dulces grata Zephyros captamus in umbra?

Am. Vos oh! vos liquidi fontes, nemorumque receſſus,
Et quæ tantum illi placuiſti, frigida rupes,
Quo feſſus medio ſe ferre ſolebat in æſtu,
Et captare umbram, & tenues tentare cicutas,
Dicite quanta feret crudelis tædia morbus.

Th. Hic tecum calamo certavit, Tityre, Alexis,
Et cantu Alcimedon; inciſo cortice ſervat
Laurus adhuc numeros, dependet fiſtula ramis.

Am. Quid modo te lenti cœperunt tædia morbi
Purpureum ceraſus de colle oſtendit honorem,
Fraga rubent, & lilia cana, roſæque leguntur.

Th. Parcite nunc pecudes muſcoſum accedere ad antrum
Namque gregem hac iterum fœcunda paſcet in ora
Tityrus; oh procul eſte greges, procul eſte capellæ.

Am. Ante canis rabido findat quam ſidere campos,
Floreſque, & cultis gramen langueſcat in hortis,
Tityre care, redi; ſed jam nova gaudia campis
Diffuſa, & flores, & poma rubentia motu
Lætitiæ dant ſigna ſuæ, jam prata vireſcunt
Dulcius; omnis ager, vivas, o Tityre, clamat.

Th. Eſt tibi ſepoſito, qui floret acanthus in horto,

Sunt virides lauri, nam lauros ſemper amaſti,
Hic umbræ, & flores gelidis fons irrigat undis.
Am. Tytire care, redi, ſubmittent gramina colles,
Florebunt horti, foliiſque recentibus orni
Sufficient pecori, ac feſſis Paſtoribus umbram.
Th. Tityrus ecce redit, mœſtum jam deſine carmen.

Joannes Baptiſta de Leonardis,
Et Jacobus Dominichini.

La ſalute del Padre Maeſtro ci fà godere con più piacere li preſenti ſpettacoli.

EPIGRAMMA.

ADria feſtivo celebret ſpectacula plauſu,
Mirentur ludos extera regna ſuos;
Adveniant vicinæ urbes, urbeſque remotæ,
Perque omnes volitent gaudia ſparſa vias.
Feliceſque dies, felicia tempora dicat,
Quiſquis in Adriaca nunc trahit urbe moras:
Sed nobis tamen invideant; tam læta per urbem
Nulli tam felix extitit orta dies.
Eſt aliquid Nato reducem obſervare Parentem;
Gaudia vera putes, quæ movet intus amor.
Imo etiam læto cernam ſpectacula vultu
Publica; lætitiæ cor modo præbet iter.

Antonius Mrae.

Ringraziamento agli Uditori,

SUnt inculta quidem turbatæ carmina mentis,
Optima qui poſſet reddere, cenſor abeſt.
Non tamen ingenium; ſenſus cognoſcite noſtros;
Munera nec Numen computat, aſt animum.

Antonius Ongaro.

Nunc

NUnc celebrare juvat, mundo qui terga dedere;
Et quæ ſponte vacat caſta puella Deo.

Juvenis Amico ſuo in Canonicorum Regularium ordinem (quo Conſanguineus præceſſerat) ſe recipienti, non obtentis Nuptiis, quas ambibat.

QUid fuit ut ſpreto des terga fugacia mundo?
Unica ſit ſummo cura placere Deo.
Sanguine conjunctus, qui te præceſſerat olim,
Nunc erit incæptæ duxque comeſque viæ.
Delicias, & opes, perituraque gaudia temnis;
Et veſtem indueris, qua tumulandus eris.
Indueris veſtem, qua morum in imagine candor
Emicat; haud templo dignior ulla foret.
Heu timeo! inflictum doluiſti in pectore vulnus,
(Nec me, quod potuit corda ferire, latet).
Scis bene quam ſtabili tibi ſim conjunctus amore?
Quam te, reſque tuas fidus ubique notem!
Nam cum forte doles, plus me tua vulnera lædunt;
Inque uno ſaltem tela duos feriunt.
Mobilis aſſidui curas illudit amoris
Fœmina, nec pactam ſervat, ut ante, fidem.
Non ea cauſa tamen; nam tu ſapienter amabas,
Dum fuit obſequiis digna Puella tuis.
Nunc docet humanis homines non fidere rebus,
Quod ſolum ſtudeas Numen amare, docet.
Nam ſi Numen amas, tu plus redamaris ab illo;
Præparat & meritis præmia digna tuis.
Gratulor, indoleoque ſimul; cogorque probare;
Singultu tenues impediente ſonos.

Inque vicem vocis, mittit ſuſpiria pectus;
Perque genas lacrymæ fluminis inſtar eunt.
Indoleo, quod noſco tuas dulciſſime dotes,
Quod ſolamen eras, deliciæque meæ.
Te vigor ingenii, te nobile mentis acumen,
Te morum integritas ornat, & alma Fides,
Gratior eſt pulchro veniens a corpore virtus,
Sic etiam nobis hac quoque parte places:
Emicat in vultu charitum ſuaviſſima ſedes,
Cum gravitate decor, cumque lepore jocus.
Ipſaque dulciſonas dictat facundia voces;
Si loqueris, guttæ mellis ab ore fluunt.
Ergo ego non ultra pendebo loquentis ab ore?
Non ultra aſpectu perfruar ipſe tuo?
Heu quid agam ſine Te? Miſero quid denique reſtat?
Per ſora perque vias incomitatus eam?
Vivere non poſſum, nam tu mea vita fuiſti,
Pars melior cordis, dimidiumque animæ.
Et minus Æneam fidus dilexit Achates,
Niſus & Eurialo non ita carus erat.
A Pylade Æmonio numquam deſertus Oreſtes;
In Fratrem pietas Caſtoris æqua fuit.
At ſi quiſque ſuum noſtro præponat amori,
Nunquam quid ſit amor noſcere dignus erit.
Tecum lætus eram, pereunt mea gaudia tecum,
Nam mihi pro cunctis dulce levamen eras!
Compenſare tamen poteris cum fænore damnum,
Si memor extiteris tempus in omne mei.
Dum precibus mulcere ſtudes placabile Numen,
In me ſerva animum dulcis amice tuum:
Nec pietas minuit, ſed perficit intus amorem,
Ut mihi corde manes, ſic tibi corde ferar.

ECLO-

ECLOGA. DORIS.

Cum Ex. D. Joanna Filia Exc. D. Flaminii Cornelii Monaſterium S. Zachariæ ingreſſa eſt.

ARGUMENTUM.

Lycidas & Tityrus, hic ſenior ad proram, junior ille ad puppim naviculæ (vulgo gondola*) ductores, de Doride Nympha inter ſe confabulantur. Hæc Paternæ domui nuper reddita ad aliarum Nympharum conſortium, a quo diſceſſerat, ſe iterum confert. Doris dicitur, quod nomen ſit inter Nymphas a Veterum fabulis Oceano adſcriptas nobiliſſimum. Cornelia etiam Virgo, dum apud ſuos degit, ex Paterna origine nuncupatur. Pro Nympha intellige nobilem Virginem omnibus animi & corporis dotibus præditam. Poeta ſervato perſonarum decore, & aureæ ætatis cultura, mores & modum cogitandi in Venetis navicularis, ſimilitudines & alluſiones, quibus utuntur, imitari curat. Dolet Tityrus de amittenda brevi Domina; lætandi rationes Lycidas congerit, Doridemque ſummis laudibus unanimes proſequuntur.*

LYCIDAS. TITYRUS.

Lyc. TItyre, quid parvæ nigro ſub fornice navis
Otia lentus agis? Mollis tibi culcitra ridet?
Nec ſocium aſpectu ſaltem dignaris amico?
Me juvenem ſpernis, feſſamque labore ſenectam
Excuſans, jura ætatis ne perdere poſſis,
(Officio perfuncta ſuo vix bracchia ceſſant)
Linea depoſito mutas induſia remo,
Atque obducta intus claudit cortina jacentem.

Interea talos ſudor mihi manat ad imos;
Atque ligare ratem, Dominique capeſſere juſſa
Debeo: quæ nobis eſſent peragenda duobus,
Solus ago: cogorque tuæ inſervire quieti.
Ergo age, rumpe moras, te noto accinge labori;
Naviculæ puppim qua ligno exurgit acuto
Promptus habe; Dominis jam jam venientibus apta
Interiora domus; ſtratum diſpone tapetum;
Molliaque excuſſis tria redde ſedilia plumis.
Interea generoſa meri duo pocula quæram,
Quæ nobis vires addant: egò, Tityre, prora,
Tu puppi, audaci ſulcabimus æquora pulſu.
Tit. Garrule quid vocitas? Quæ te cura anxia tempus
Ante ſuum acceſſit? Dumque expectabis in horas,
Noſtram importuno turbas ſermone quietem?
Scis equidem, non bile caret, non viribus ætas;
Incautuſque gravem tamen inſultare ſenectam
Sæpe audes; dictiſque moves pungentibus iras.
Parcius iſta tuis nec viribus apta nec annis.
Ni facias....
Lyc. Ne care Senex torvo aſpera reddas
Verba ſupercilio: & ſocio iraſcaris amico;
Lætitiam qua ſæpe ſoles ſeu carmina Taſſi,
Carmina ſeu Paridis, Comitum plaudente corona,
Jucundis recitare modis, tibi ſume priorem.
Si juvat amiſſam ſomno inſtaurare quietem,
Cymbam iterum repetas: notum tibi culcitra lectum
Præparat, atque arcet bene clauſa domuncula ventos.
Tit. Ah Lycida, parvæ nigro ſub fornice navis
Multa agitabam animo, non otia lentus agebam.
Nec ſomnus, nec grata quies, medicina laborum
Unica, ſed triſtes tenuerunt pectora curæ.
Ah quoties hac nocte graves in corde procellæ
Somnum oculis pepulere meis, dum Luna ſereno

Splen-

Splendebat cælo, & ſimilem referentia formam
Sparſa videbantur placidas nitida aſtra per undas.
Nec te ſollicitum (cum ſit mora longa) parandæ
Naviculæ cura exagitet; non ſæpe remenſo
Tramite, nec ſolita fluctus agitabimus hora.
Siſte gradum: generoſa meri ne pocula quæras,
Quæ nobis vires addant; non flebile tempus,
Nec breve poſcit iter, reparent quæ pocula vires.
Lyc. Qualiter horriſono commiſtus turbine ſævit,
Atque improviſo miſcens maria ampla tumultu
Puppibus exitium Boreas, nautiſque minatur;
Sic tua verba meo exagitant in pectore fluctus,
Tityre: dic tanti quæ ſit tibi cauſa doloris.
Lætus ego placidos mira dulcedine ſomnos
Tranſegi, & feſſos recreavi ſuaviter artus;
Non juvenum cantus, non quæ gratiſſima dulci
Turba puellarum modulatur carmina voce,
Dum vehit huc illuc in aprica nocte vagantes
Parvula cymba, meloſque arguta imitatur arundo.
Non ingrata canum rauco gravis ira latratu,
Nec quæ noctivagum accivit riva aſpera vulgus.
Ut Corydon, plenuſque metu narrabat Alexis:
Nam procul adſtantes noſtri timuere ſodales
Somno exturbati mixtis verba horrida pugnis,
Confuſaque minas, & ſaxa volantia tectis.
Nulla meam abrupit vox importuna quietem.
Tu tamen, heu! vigilas ventis agitatus iniquis?
Quæ tibi tam ſævam nubes movet atra procellam?
Tityre, dic tanti quæ ſit tibi cauſa doloris?
Tyt. Tu ſolus vel corde cares, vel pectora ſervas
Ferrea: vel ſolus noſtra es peregrinus in urbe?
Lyc. Falleris: inter aquas ut ſit mea ſpongia mollis;
Sic mihi cor tenerum: quod ſim peregrinus in urbe,
Non adeo verum eſt: nam ſi meliora pararo

Vi-

Vina cupis, loca plena dolis & neſcia fraudum
Oſtendam, juſtosque docebo expendere numos;
Non alia (excipias victum, ſomnumque) requiro.
Gens ea, cui tangunt cupidam nova publica mentem,
Lenta ſedet foribus, flammis ubi toſta miniſtrat
Cum ſale Braſilico gratos faba Turcica potus.
Sed mihi cur adeo durum eſt. Te judice, pectus?
Judice te, noſtra cur ſim peregrinus in urbe?
Tyt. Immo domi peregrinus; ubi jam tempore multo
Mecum una parvam deducis in æquora Cymbam. (vit?
Lyc. Proh Superi! forte in dominos mors improba ſæ-
Tyt. Mortua jam mundo, nobis Cornelia Virgo
Mortua, quæ Nympharum inter conſortia Doris
Dicitur: heu! abitura brevi, vix reddita nobis,
Doris delitiæ, atque oblectamenta Parentum,
Nobile navis onus, Doris, gratiſſima Nautis.
Lyc. Vivit adhuc, vivetque diu: quid mortua Doris?
Exultat feſtiva domus, lætoque ſuſurro
Sæpe adeunt redeuntque Viri: ingenuæque puellæ,
Matronæque graves; eadem vox omnibus una:
Vivat io, ter vivat io, dulciſſima Doris.
Vidi ego præ foribus pendentia, perque viarum
Compita, perque manus populi læto ore legentis
Carmina, felicem referentia carmina Nympham.
Sæpe quidem titulum aſpexi, qua linea major
Seſe oculis ſponte objicitur, felicia noſtræ
Doridis expoſitæ referebant nomina chartæ.
Ipſe domi nuper penetralia juſſus adire,
Mirabar ſimul intentas adſtare puellas
In Dominæ obſequium, varios hæc pectine gyros
Ordinat, intortos circumligat altera crines.
Crinibus hæc gemmas (tenues a ſole revulſas
Particulas, ſeu nexa ſimul parva aſtra putares)
Alligat: & nigros nive contegit illa capillos.

Se-

Seligit hæc pulchros ſtudioſa indagine flores,
Pulchrius ante alios qui nobile pectus adornent.
Hæc dextræ ornatum, pictum mira arte flabellum,
Præparat: hæc parvum globulum, quem præpete motu
Intus agit, ſpatioque movet rota plurima certo.
Exrerius fit vile aurum, ſi ſingula poſſes
Attentis luſtrare oculis: hic littora feſſos
Excipiunt nautas; illic meria alta tumeſcunt,
Et vehitur fictas dum parvula Cymba per undas
Parte alia ludunt juvenes, & remige dextra
Penſile corpus aquis agitant: hic retia piſces
Late implent, incaute illuc capiuntur ab hamo.
Hæc forma exterior, medium ſi conſpicis orbem,
Cryſtallum obducit planam qua parte figuram,
Secta ſuperficies variis utrimque nigreſcit
Candida lineolis, currentesque indicat horas,
Horarumque minuta ſimul parvo indice ſignat.
Quodque vides audire potes, qua prominet extra
Si digito impellas, ſonituque repercutit horas.
Quid referam Dominæ quæ ſerica texta parantur,
Implexaſque auro veſtes, oſtroque ſuperbo?
Tityre, cur mundo, & nautis, cur mortua Doris?
Non bene deſignant triſtem tot gaudia mortem.

Tit. Ut moritura brevi, vittis, lauroque virenti
Exornata, ſacras ſacra Victima fertur ad aras,
Concentus inter varios, ſonituſque tubarum;
Ridet odorifero via floribus undique ſparſis
Tegmine: certatim exultat lætiſſima pubes,
Turba frequens præit, & læto clamore triumphat.
Sic legimus templis quondam eveniſſe profanis.
Haud aliter Doris faſtu ſtipata ſuperbo
Sponte abit, adque domos nunquam reditura paternas
Feſtinat, ſacroque includi carcere geſtit,

Lyc. Qua via Sclavonum de nomine dicta lacunam

Ad-

Adlambit: paulatim avidis ſe littora præbent
Proximiora oculis: ſubjecta per æquora naves
Ordine ſtant longo, & ſpiſſum nemus innatat undis.
Principio aſſurgit Templum tibi, Marce, dicatum,
Templum auguſtum, inſigne, ingens, ſeu ſingula ſparſim
Miremur, ſeu cuncta ſimul: Latera ardua cingit
Principis ampla domus; Dominum quo noſtra frequenter
Deducit, pluresque expectat cymba per horas.
Undique majeſtas fulget: facit area duplex
Ampla forum, quod utrumque ornat celeberrima turris,
Ac mirum artis opus conſtructa palatia cingunt.
Huc modo tranſivi: & quamvis notiſſima dicam,
Sæpe ego tantarum delector imagine rerum.
Quid referam tibi plura? Foris poſt terga relictis
Pons ſubito objicitur, pons alter, & inde patentem
In campum dat porta viam: Pulcherrima ſurgit
Hic templi facies: Templo domus addita Nymphas
Virginitate Deo charas, & ſimplice cultu
Includit; queis longa retro clariſſima geſtis
Nobilitas addit per plurima ſæcla decorem.
Hic procul a ſævis, quibus æſtuat unda, procellis
Secum una exultant: quoties maria aſpera triſtem
Naufragio mortem intendunt, & turbine verſant
Ventorum ancipites agitata per æquora naves;
Dum mare Nympha colit, mala cogitur omnia teſtis
Cernere, & excruciant tenerum infortunia pectus.
Nec ſine perpetuo fletu miſerata ruinas
Proſpicit, infames Syrtes, ſcopuloſque frequentes,
Quotque improviſo glomerata pericula caſu
Fallaces minitantur aquæ: ſed provida ſacram
Si petat illa domum, hic tuta ſtatione quieſcit,
Atque inter ſocias poſitis placidiſſima curis
Dulce canit, dulcique imitatur arundine cantus,
Nec pia corda dolor, neque habet pia lumina fletus;

Do-

Doridis hæc dilecta domus, quam ſemper amavit,
Quam ſemper læta incoluit, juvenilibus annis,
Dum bene fluxerunt teneræ primordia vitæ,
Quid virtutis amor generoſo in pectore poſſit
Experta eſt, ſerumque ultro præluſit in ævum.
Seligit hanc ſedem Doris ſibi: Tityre, Nymphas
Quinque hodie ſimul ad templum properare videbis,
Quas ibi perpetuo includet non carcer ut ipſe
Dicebas, ſed pulchra Domi cæleſtis imago.
Huc properat Doris, quam quatuor inde ſequuntur,
Pulchra Hyale, & grata ingenua gravitate Licoris,
Et Boroe formoſa comas, Panopeaque Virgo.
Tit. Non adeo peregrinus eras, tibi noſtra doloris
Cauſa patet: ſed quanta tuis facundia dictis
Exoritur! Dum mœſtus ego mihi funera poſco,
Lætitia exultas? Non urſos æquora ſævos
Producunt, noſtro nec ſunt in littore rupes:
Gens aſſueta mari, non ferrea pectora ſervat:
Sed placidas imitatur aquas: Tu ſævior urſis
O Lycida, atque ortus dura inter ſaxa videris.
Lyc. Non crudele etiam, aut durum mihi Tityre pectus:
Tit. Sed gaudes, cum Doris abit: ſine Doride (nautas
Doris amat) quis honor ſupereſt, quæ gloria nautis?
Lyc. Gaudeo: læta equidem poſcit ſibi gaudia tempus;
Doris amat nautas: ſit honor, ſit gloria nautis
Quod felix, quod læta abeat: quodque omine fauſto
Fortunata viam arripiat: Tu Tityre cantus
Incipe: lætus ego tenui comitabor avena.
Noſter amor ſic rite ſuo reſpondet amori.
Doris amat nautas, gaudent cum Doride nautæ,
Tit. Doris amat nautas, mœrent cum Doride nautæ:
Lyc. Care ſenex, te longa ætas ſapienter amare
Edoceat: nos Doris amat, noſtraque libenter
Tranſvehitur cymba noſtros dignata labores.

Non

Non alios nauta Doris ſibi quærit, at omni
Se privat ſponte obſequio: felicior inde
Reddita, quod Summi Doris ſit ſerva Tonantis.
Tit. O Lycida! per aquas via Doridis ultima reſtat,
Ipſa quoque optata ſine Doride Cymba dehiſcet.
Lyc. Cymba vehet caros fratres caroſque parentes;
Nuntia vel nobis, vel charta ferenda, neque ultra
Illam cymba vehet, ſed ſæpe videbimus illam.
Tit. Aſpice care puer materno in corde dolores,
Quos ſatis oſtendunt dulci pia lumina fletu;
Ad natam vult ipſa loqui, vox faucibus hæret.
Vocem in corde dolor ſingultibus interrumpit.
Inde fugit, ſua ne reliquis ſuſpiria mentem
Conturbent; & mœſta loco ſedet illa remoto.
Aſpice. Lætitiam ſi cara corona videtur
Affectare triplex fratrum, atque animoſius adſtet,
Impulſu cor ſæpe intus ſubſultat amanti,
Et lacrymis oculi ſponte erumpentibus extra
Sæpe madent; creſcuntque immenſum, & fontis ad inſtar
Aſpicitur dum cara ſoror: quid plura revolvam?
Vidiſti nuper, Lycida, ad penetrale vocatus
Et Dominos pariter, Famuloſque madeſcere fletu.
Hic pietate gravem; ac meritis ſi forte Parentem
Obſervare tibi licuit, mirabile mentis
Robur, & invictum potuiſti advertere pectus.
Obvius ille quidem ſeſe venientibus ultro
Aſpectu facilis, dictuque affabilis offert.
Vivida ſed vultu non quæ ſolet eſſe ſereno
Gratia, nec ſolito majeſtas lumine fulget.
Neſcio quid grave corda premit dum miſcet amœnis
Verba modis; ſenſimque abeunt ad ſeria vultus.
Fluctuat in mediis ceu navis onuſta procellis,
Anchora quam firmo conſtringit robore; & alta
Culmina, qua ventorum afflat violentior ira,

De-

Defendunt, ſtatioque ſinu bene fida recepit.
Huc illuc impulſa agitur, ſed mole ſua ſtet,
Atque levi motu magnam indicat illa procellam.
Interea fluitare alias toto æquore naves
Aſpicias; paſſim data præda feruntur aquarum
Vela, trabes, antennæ, & merſi in gurgite nautæ.
Sic Pater (Adriaci decus immortale Senatus)
Tempeſtate animi & ventis agitatur iiſdem,
Concutitur queis tota domus: conſtantia mentis,
Pectoris infractum robur, dulciſſima ſentit
Cor bella impetère, atque paterno pugnat amore:
Officia affectus varii ſibi mutua cedunt.
Ergo inter tantos, Lycida inconſulte, dolores
Lætaris? Te ſaltem aliis famulantibus adde,
Communemque oculis cruciatum, atque indice vultu
Aſſocia, humanos ſi ſervas pectore ſenſus,
Si noſtri te tangit amor: ſolatia mœſtis
Unica ſunt proprii ſocios habuiſſe doloris.
Lyc. Non conſtructa mihi duro præcordia ferro;
Nec me ſæva mari, canibuſque incincta marinis
Scylla tulit, natumque ſinu impacata Charybdis
Fovit, & immanes admorunt ubera Phocæ.
Crudelis noſtra non naſcitur orca Lacuna.
Nos Veneti gens blanda ſumus, gens prædita dulci
Ingenio, & tenero gens pectore: non ego tanta
Sum Patria indignus: dudum me Tityre noſcis:
Quid ſit amor, tamen ignoras; cum munus amoris
Sit mœſtos recreare animos, & prodere juſtas
Lætitiæ cauſſas, non fletibus addere fletus.
Ipſe etiam, ſi digna eſſet tibi cauſa doloris;
Tecum una in lacrymas, mi Tityre, mœſtus abirem.
Falleris amiſſa Dominos pro Doride credens
Mœrore oppreſſos: Lacrymæ, ſuſpiria, voces

Non

Non ſunt triſtitiæ indicium, ſed fructus amoris;
Quiſque hilaris ſigna internæ dulcedinis edit.
Afflantes Zephyros navis timet, attamen ipſis
Expandit vela, & curſu maria alta ſecundo
Tranſvolat, inflatoſque ſinus tutiſſima cernit
Securo, quamquam in latus inclinata, volatu.
Naufragii non eſſe putes, ſed ſigna ſalutis,
Incauti ſinuoſa adeunt cum retia piſces,
Exagitantur aquis, ſeque oblectantis ad inſtar
Mortem allaturos duplicant magno impete ſaltus.
Signa eadem dum geſtit ovans; & ludit aperto
Æquore, ſigna eadem vix noto in carcere prodit
Artificis nova præda doli, nova victima fraudis.
Frigoris hæ pluviæ, ſunt illæ ſigna caloris.
Sæpe dolor lacrymas, lacrymas dulciſſima ſæpe
Gaudia producunt: credas, mi Tityre, credas,
Cor lacrymas dulces, lacrymas cor fundit amaras.
Tit. Nonne vides, Lycida, quo mentis acumine Doris
Prædita, quæ placido ſcintillet gratia vultu,
Quam docile ingenium, generoſum, & nobile pectus
Aſpice quot titulis thalamo eſt digniſſima Doris.
Adde etiam inſignes, quot Gens CORNELIA quondam
Protulit heroas, laudis non prodiga, tantis
Nobilitata viris jam Roma ſuperbiit; omni
Imperii Regina potens dum præfuit orbi.
Si dubiam meruiſſe fidem, male conſcia veri
Incertis nixa hiſtoriis longæva veſtutas
Forte valet, certa ornemus merita inclyta laude:
Gens ea, quæ noſtris CORNELIA dicitur oris,
Heroum fœcunda ſeges jam mille per annos
Floruit, invictos animos, & neſcia vinci
Pectora, præclaroſque Duces fera fulmina bello
Protulit: Odryſiæ jam contremuere Phalanges,

Et

Et noſtris ſenſere hoſtes quod robur in armis.
Protulit illa alios, quos inſula adornat & oſtrum
Inſignes pietate viros, ſacroſque Miniſtros.
Quid referam heroas claro decora ampla Senatus
Conſilio: Patriæ ornatum, populique Parentes
Adriaco nitida aſtra Polo: queis maxima recti
Cura fuit; mira in dubiis prudentia rebus
Enituit; quorum præclaro a ſanguine fluxit
Nobilitas generoſa, & avi numerantur avorum
Conſpicui, ſeries rebus clariſſima geſtis
Longa retro? Sunt hæc CORNELIA ſtemmata noſtræ
Doridis ornamentum ingens, quibus adde parentum
Divitias: quoque in natam afficiantur amore:
Adde etiam, quam clara ornet vulgata per orbem
Fama Patrem; ſeu docta velis perpendere ſcripta,
Felicem ingenii bis dena volumina fructum.
Roma ipſa obſtupuit; caput Urbis & arbiter Orbis
Doctrina inſignis, juſte admiratur, & ambit
Publica tranſmiſſo ſociare encomia libro.
Adriacæ Muſæ, paulo majora canamus.
O Lycida! novus hic rerum mihi naſcitur ordo;
Amplaque ſeſe offert laudum ſeges: ire per omnem
(Sic amor eſt) Heroa velim: ſed gratia verbis
Deficiet, nec tanta mihi conceſſa facultas.
Non humiles nautas, tenuem nec poſcit avenam
Materies, tantoque eſſem temerarius auſu.
Lyc. Obruimur numero, atque inopes nos copia reddit,
Chare Comes: ſed ſumma ſequi veſtigia rerum
Quis prohibet? Primo ſtupefactam in limine Muſam
Ulterius compellat amor. Qui præpete motu
Sollicitos inter Socios ut ſæpe ſolemus
Cymbam agit; optatamque petit per cærula metam,
Præmia non ſemper primo advenientibus apta
Obtinet, at magnum laus eſt tentaſſe triumphum.

Tit. Non ea ſunt tantæ monumenta perennia laudis
Viribus apta meis, non omnia poſſumus omnes;
Atque ego ſi vellem cantu merita ampla referre,
Ante diem clauſo componet veſper Olympo.
Vix aliqua attingam: magno decus ille Senatu eſt,
Deliciæ Populi, Patriæ Pater, omnibus idem,
Exponenda amplo ſeu ſit ſententia cœtu,
Judicium ſeu ſolus agat, non aſper inique,
Nec nimium indulgens, quamquam indulgere paratus
Semper adeſt, ſi jura ferant: nam mille juvandi
Detegit ipſe vias, tanta eſt prudentia menti:
Tantaque magnanimo regnat clementia corde!
Protegit ille artes, querulos defendit egenos;
Utile conſilium nunc dat, nunc præbet aſylum;
Curat amans ſacraſque ædes; ſacriſque miniſtros
Ædibus adſcriptos; vidiſti nuper in auro
Inciſam effigiem, certum communis amoris
Indicium, & ſeclis documentum inſigne futuris.
Geſtit ovans, Lycida, tanto Reſpublica Cive,
Et toga nunquam alias meliori ſplenduit uſu.
Cætera quid memorem? Felix tanto orta Parente
Filia! ſe dignum eduxit par copia fructum.

Lyc. Jure equidem, cum ſit digniſſima Doride Mater.

Tit. Ni mole opprimerer, Matris ſimul addere laudes
Mens eſſet; cui frater ovans præclara per orbem
Geſta edit; merita ampla ipſis vel cognita Turcis;
Namque animi dotes tenerum reverenter amorem
Conciliant; & blanda feris corda aſpera reddunt.
Quam multis, optanda procis foret optima Doris,
Prædita tot meritis, tam clara ab origine ducta!

Lyc. Doridis illa tamen laus eſt, & gloria major,
Quod virtute animi claros ſortita parentes
Tranſcribat patrios cordis vultu indice mores,
Indoleque ingenua: nec nobilitatis honores

Rem

Rem pretio dignam ſecum æſtimet; at ſibi tantum
Et reputet ſtimulum ad bene geſta, & nobile calcar.
Immemor inde ſui, neque res, neque nomina ſervat.
Tit. Reſpuit heu Thalamos & vincla jugalia Doris,
Victima facta Deo ſua mundo impervia claudit
Pectora, nec vires, nec vulnera ſentit Amoris.
Multi illam petiere, illa averſata petentes
Non quid Hymen, quid Amor, quid ſint Connubia curat,
Tanta animo Pietas, tanta eſt conſtantia mentis!
Lyc. Inconſulte ſenex, quæ te dementia cepit?
Lætior iſta dies; Doris felicior ortu
Jam ſatis illuſtrem majori illuſtrat honore.
Reſpuit illa homines, Numen ſibi ſeligit illa
Angelicis ſocianda Choris, gratiſſima ſummo
Sponſa Deo: & puri nova vincula quærit amoris.
Tit. Omnes Doris amat, dulcemque inſpirat amorem.
Lyc. Dulcis amor, quo Doris amat, quo Doris amatur,
Numinis obſequio & ſolum ad ſupera aſtra refertur.
Doris amat; dulci langueſcit ſaucia telo.
Doris amat, ſentitque infixum in pectore vulnus:
Non homines, amat illa Deum, prudenter amorem
Collocat: & nunquam morituro tradita Sponſo
Fallaces mundi illecebras, fallacia linquit
Gaudia, nec dubios rerum timet anxia caſus,
Jam curarum expers, ſortis jam certa futuræ.
Tit. At nobis quam læta dies, quæ gloria, charos
Si thalami ſocios veheret cita cymba per undas!
Lyc. Non thalami ſocios, ſed Sponſam Numinis ædes
Ad ſacras modo cymba vehet: Laus maxima nobis
Gloriaque ex tenui nunc eſt referenda labore.
Si thalami ſocios veheret cita cymba per undas,
Hic eſſet vulgaris honor: non pluris habendum
Numinis obſequio ſemel inſervire putamus?
Dic mihi: ſi plures eſſent in littore naves,

Tityre, venturis tantum fectura procellis
Una foret, dubii cui nulla pericula ponti
Poſſe umquam (Superum auſpiciis atque omine certo)
Officere, & nullo perituram turbine ſcires,
Huc Dominum veheres: ſi ſæviat inde per undas
Crudelis Boreas, nullos tibi corde timores
Excitat intus amor; gaudes quod parvula tanto
Cymba caret Domino: quamvis modo, Tityre, nullum
Obſequium præſtare potes, laus maxima tuto
Depoſuiſſe loco, nautæ adſcribenda fideli.
Tit. Quam grata noſtrum aſpergis dulcedine pectus!
O Lycida, cogiſque animum gaudere dolentem!
Ac velut ancipites agitantur in æthere nubes,
Dum Zephyro Boreas, Aquilo quoque pugnat, & Auſter:
Sic mea diverſos patiuntur pectora motus,
Suaviter hic animum exhilarat, movet ille procellas,
Imbre madere oculos facit hic, ille excutit imbres.
Lyc. Eja age: rumpe moras, & lætos incipe cantus;
Carmina Doris amat; faciunt nova gaudia Vates.
Tit. Ad cantus ſæpe invitas, ſed miſta dolore
Gaudia conturbant animum, & conamine facto
Mens mea confuſis ſtupefacta affectibus hæret.
Nec bene ſubſiſtunt poſitis placida æquora ventis;
Expectanda brevi nautis mora juſta peritis.
Lyc. Sed quæ turba domo excedit? jam cymba paranda,
Tityre, jam nautæ accelerant; jamque ordine certo (eſt.
Limitem agunt ferro, medias quo cymba per undas
Dirigitur; nam prima oculis ſe præbet eundo
Obvia; dentatoque aſſurgit acinace Prora.
Tit. Jam breve tempus adeſt:
Lyc. Cum nota ad limina Doris
Deſcendit, cum cymbam intrat, felicia Nymphæ
Nomina, felicem referamus carmine Nympham.
Lætitiamque fidemque, & noſtrum agnoſcat amorem.

Vi-

Vivat io; ter vivat io, dulciſſima Doris.
Tit. Vive diu felix, Doris dulciſſima, vive.
Lyc. Antiquum ſibi ſervat adhuc (utamur & illo)
Amiſſura brevi Virgo CORNELIA nomen.
Tyt. Vive diu felix, Virgo CORNELIA, vive.
Lyc. Dum naves pelago excurrent, dum bracchia remos
Impellent, dum vela notos expanſa faventes
Excipient, celeres dum ſiſtet in æquore curſus
Anchora, dum fugiet demiſſa antenna procellas;
Dum quoque pontus erit, dum flumina piſcibus apta,
Retibus & piſces, & dum capientur ab hamo,
Vivat io, ter vivat io CORNELIA Virgo.
Tit. Flumina declivi dum lata per æquora curſu
Effugient patrios fontes, pelagoque recepta
Amittent dulces proprio cum nomine fluctus;
Dum mare pacificum, & firmo procul aggere clauſum
Qua data porta ruet, Venetaque interfluet Urbe,
Adriaci Domina Oceani, quam plurima format
Inſula, quæ mediis conſtructa ſuperbit in undis;
Dum Veneti Cymba utemur, pluviaſque bibemus
Semper aquas, ſed plus nautis bona vina placebunt;
Dumque ſenes, hiberna urgent cum frigora, ad ignem
Concurrent, puerique agiles æſtate natabunt;
Oſtendent dum nocte vias tota urbe lucernæ;
Vive diu, nova Sponſa Dei puriſſima vive,
Vive diu, Virgo CORNELIA, vive, triumpha.
Lyc. Vive diu, viveſque diu, CORNELIA virgo!
Vive diu nova Sponſa Dei, dum ſidera cælo
Fulgebunt, addentque decus placidiſſima nocti.
Dum Luna aſpectu vario nunc plena tumeſcet,
Cornua nunc medium ſenſim conſtringet in orbem,
Dum ſol præcipiti cæli convexa volatu
Tranſcurret, gremium auroræ, & confinia noctis
Pervigil effugiens, nunc tramite fervidus alto

Aſcendens, petet occiduas rapidiſſimus undas;
Vive diu felix; Virgo CORNELIA vive,
Mortua jam Mundo, Cælo vive, inclyta virgo;
Vive Deo; tibi vive: equidem tua gloria ſemper,
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.

ARGUMENTUM.

S. Adelheys ſplendore Natalium, ac virtutis longe clariſſima, cœnobium primo Sanctarum Virginum ingreſſa eſt: deinde ad Vilicenſe a Parentibus ſuis conditum ſe tranſtulit, in quo Præfecturam ſuaviter exercuit omnium virtutum vigilantiſſime ſtudium promovens potius exemplo quam imperio: Materno erga omnes amore maxime dum corporis infirmitate, vel quavis alia neceſſitate laborarent: Nec minus externis benefica præſertim miſeris & egenis: hos certo numero, vel urgente famis tempore non imminuto, quotidie aluit: immo eiſdem proprias veſtes aliquando elargita eſt. Hinc res temporales in cœnobio majori ſemper proſperitate affluebant, Deo etiam miraculis ſervæ ſuæ merita comprobante: ipſius Parentes ex Regia ſtirpe illuſtres pietas illuſtriores reddidit. Mater jejuniis & orationibus dedita fuit: Pater Sacrarum litterarum maxime ſtudioſus plurima vivens Sanctitatis indicia præbuit, & glorioſus poſt mortem ſe conſpiciendum dedit. Sororem ſe dignam habuit, quæ aliud cœnobium B.V. in capitolio dictum regebat. In præmortuæ ſororis Præfecturam, priori ſimul retenta, ſubſtituitur, licet invita; & utrumque cœnobium mirifice adminiſtrans meritis plena, miraculis clara in pace obiit. Cum vero Exc. D. Joanna Cornelia nomen Adelheydis ſibi aſſumpſerit in Cœnobio S. Zachariæ Ordinis S. Benedicti, ubi nunc etiam

etiam ejus ſoror nullis obſtricta vinculis educatur, epiſtolam per Angelum S. Adelheydis eidem tranſmittit, monens ut ſicut nomen, ita etiam virtutes imitetur.

ADELHEYS.

Adelheydi ſuæ chariſſimæ ſalutem.

QUam legis, e ſuperis tibi Littera mittitur aſtris,
Littera conſilii fida miniſtra mei.
Perlege: quid dulci maculatur Epiſtola fletu?
Quid timida evolvis flexa volucra manu?
Non tibi cæleſtes audire & reddere voces
Res nova: ſat ſuperum nota loquela tibi eſt.
Dum genibus flexis ſacras reverenter ad aras
Fundebas tacitas obſequioſa preces
Numinis ante Thronum facunda ſilentia vocis
Inſtar erant; nec vox gratior ulla Deo.
Omnia maturo pendens examine, quæris
Sedula, quæ vitæ norma probanda foret;
Eligis, & ſacras Benedicti pergis in ædes,
Sponſa Deo, Angelicis aſſocianda choris.
Elegiſſe putas? te cælum elegit, & ardens
Intus amor, cœli verba loquentis erant.
Commovit pietaſque loci, ſtudiumque ſalutis
Ut notam repetas hoſpita grata domum.
Nota tibi domus eſt, ubi gratia, candor, honeſtas,
Et ſincera fides, paxque, decorque vigent.
His Deus & mentem commovit, & intima Cordis;
Atque Deo docilis mens tua, corque fuit.
Ipſa ego, ſi neſcis, proprium tibi nomen ab aſtris
Tranſmiſi, atque vices Provida Matris agam.
Nec tantum accipias vacuam de nomine vocem.
Exemplar vitæ ſit mea vita tuæ.

Et genus & Proavos, & quæ non fecimus ipſe,
Virtuti ſtimulum, non decus eſſe putes.
Maximum in orbe decus ſibi gens Cornelia quondam
Obtinuit, factis inclyta, dives opum.
Romani Imperii tua ſervat ut Adria ſceptrum,
Sic genus antiquum tranſtulit inde tuum.
Quid tamen hæc memorem? Satis eſt quod mille per annos
Percelebris Veneta floret in urbe Domus.
Dexteritate animi celebres, claroſque ſagaci
Conſilio heroas protulit illa ſuos.
Sive opus eſt palmis, victoribus Adria plauſit,
Sæpius Odryſii contremuere duces.
Sive opus optatæ fructu gaudere quietis,
Dirigere & placido ſubdita Regna jugo,
Claruit in Veneto gens hæc velut aſtra Senatu
Urbis amor, bello fulmina, pace decus.
Longa retro ſeries, & avi numerantur avorum,
Nulla quibus merito laus ſatis ampla foret.
Implevere ſuum (fuit his ſua gloria) munus,
Implere & cures non minus ipſa tuum.
Hoc tibi ſit ſtudium, tibi ſit cura unica, gentis
Æmula ſic debes, ſic potes eſſe tuæ.
Nam tunc major eris, cum te minus eſſe putabis,
Oblitam, amiſſo nomine, vive tui.
Eſt tibi chara Soror, quæ nunc tibi proxima degit.
Regula tu charæ certa Sororis eris:
Degere ſi tecum feliciter eligat annos,
Accipe cæleſti munus ab arce datum:
Sit ſpeculum alterius ſoror utraque, dulce levamen
Præbe, adjutrices præbeat illa manus.
Aſt diſcendentem ſi vincla jugalia poſcunt,
Multiplicem doceas tendere in aſtra viam.
Si placeat dulci comitari ad limina fletu,
Non renuam, officium fletus amantis erit;

Atque

Atque aliquid tenero ſponte indulgemus amori,
Dum tamen huic ponat maxima cura modum;
Navis inexpertæ ſit maxima cura regendæ,
Ut bene per dubias docta vehatur aquas,
Utque per infidas vitare pericula ſyrtes
Poſſit, & irati monſtra agitata maris.
Quo minus expectat, certas inſtare procellas
Inſtrue, & hinc Boreas, & furit inde Notus.
Sedula ſic imple quod onus tibi præbuit ætas,
Conſilio ſupplens quod breve tempus erit.
Ipſa ego dilectam ſum ſponte imitata ſororem,
Diverſo nobis mens fuit una loco:
Nos Sancta inſtruxit Benedicti Regula: gratas
Edocuit puris moribus eſſe Deo.
Candor enim morum, vis mentis, gratia vultus,
Quaſque Paterna domus ſponte parabat, opes;
Splendida nobilitas titulis ornata ſuperbis
Dos erat aſſidue mille petita procis:
Sed placuit ſpreto cæleſtia quærere mundo,
Dos noſtra utilior, quo mage ſpreta, fuit.
Annuit & votis pietas generoſa Parentum,
Atque hilares vultus ſigna probantis erant.
Divitiis conſtructa ſuis domus ampla paratur
Sacra Deo, & curis traditur illa meis.
Quæ documenta dabat primis mihi Mater ab annis
Fecerat exemplis utiliora ſuis.
Doctrina inſignis, clarus pietate Puellam
Inſtruxit mira dexteritate Pater,
Inſtruxere meos exempla domeſtica mores,
Atque animi calcar ſponte volantis erant.
Tuque pios pariter cum ſis ſortita Parentes,
Provida noſce viam, qua bene ſemper eas,
Ante oculos ſemper tibi ſint pia geſta Parentum;
Natalis memorem ſic licet eſſe domus.

Cum

Cum bene tranſierint teneræ confinia vitæ;
Dimidium facti qui bene cæpit habet.
Quo tua te pietas ducit, fauſto omine perge
Terga libens mundo vertere, corda Deo.
Perge: tot invenies virtutis in arte magiſtras,
Quot ſacra eſt ſociis nobilitata domus.
Qualis apes dulci per prata virentia ſucco
Floribus extracto dulce laborat opus,
Nil niſi quod proſit, ſibi provida ſeligit ales;
Inque uſus vertit commoda ſparſa ſuos:
Sic tu, dum ſacro ſtudioſa vagaris in horto,
Diſce opportuna commoditate frui.
Namque exempla oculis ſubjecta fidelibus ingens
Pondus, vimque animum dulce trahentis habent.
Sed ſi prototypo vis omnia diſcere ab uno,
Quod tibi ſubſtituis nomen, & omen habe.
Tu mea ſolicitis pia facta imitabere curis,
Quæ diviſa potes quærere, juncta tenes.
Quamquam expers maculæ quaſi ſol nitidiſſimus eſſem,
Et ſupero arderet pectus amore meum,
Cor nive frigidius mihi ſemper ineſſe putabam,
Judice me, cælo devia ſemper eram.
Imperii, Socias inter, moderabar habenas,
Præſidis in ſummo juſſa ſedere loco.
Mater eram; atque pio ſociis famulabar amore,
Nulla in me Dominæ ſigna jubentis erant.
Ultima, ſiquid erat reliquis optabile: ſiquid
Inviſum reliquis, prima libenter eram.
Erigere oppreſſos, miſeris ſuccurrere, & omnes
Diſce meo exemplo mille levare modis.
Non ſe Matris amor ſacras reſtrinxit in ædes;
Prompta aderam cunctis ſedula Mater ope.
Si tibi contingat ſimilem venientibus annis
(Ætas nunc prohibet ſola) ſubire gradum:

Non

Non tibi quam ſerves, opus eſt præſcribere normam,
Jam tua te pietas, jam mea facta docent.
Nec longo ulterius mea currit epiſtola tractu,
Docta magiſterio ſat potes eſſe meo.
Pauca quidem ſcripſi; cum ſis, virgo optima, curis
Digna meis, tacita plurima voce loquor.
Quaſque animo voces mira dulcedine ſentis,
Ex quo proveniant, ſcis bene certa, loco.
Utor & Angelico (volat impiger ille) miniſtro;
Exigit & ſimiles, quos adit, eſſe ſui;
Utque meos monitus, tua nuntia ſæpe reportet,
Tu cura Angelicis moribus eſſe: vale.

RESPONSUM.

SANCTÆ ADELHEYDI DOMINÆ SUÆ DULCISSIMÆ.

Adelheys.

QUA, niſi Tu dederis, caritura eſt ipſa, ſalutem
Mittit ab exilio caſta puella ſuo.
Tempus erit, patrio Cum Te comitabor Olympo;
Et fruar optata non peregrina domo.
Tu mihi monſtraſti quo tramite rectius irem,
Meque per incertum prævia ducis iter.
Fixa ſolent noſtros oſtendere ligna canales,
Cymba paludoſas ut bene vitet aquas,
Oſtendit cynoſura viam, dum navis in alto
Fluctuat, oſtendit litora tuta pharus.
Haud ſecus exemplo mihi lux, mihi ſtella refulges,
Quæque nocere ſolent, quæque juvare, doces.
Te Duce, ſecuro mea cymba quieſcere portu
Gaudet, & infidas, Te Duce, ridet aquas,
Addere ſed monitus cura dignaris amanti,
Miſſa per Angelicas ſunt tua ſcripta manus.

Atta-

Attamen aligerum non auſa videre Miniſtrum
Corde tremens, vultu pallida, rubra genas
Ter volui ſacræ perfigere dulcia dextræ
Oſcula, ter dulci ſum revocata metu;
Utque locum tenero reverentia ceſſit amori,
Aſpicio; haud chartam, qui tulit, ullus erat.
Tunc tetigi inſcriptam, cæleſtia munera, chartam,
Quæ ſubito eſt lacrymis humida facta meis.
Vix ea, quæ legi, poſſum Tibi lecta fateri,
Fletu ſæpe oculos impediente meos.
Nil tamen impediit, quæ cor bene plurima ſentit,
Quæque ullis nequeunt ſcripta referre notis.
Scribere multa velim, ſed ſcribere pauca licebit,
Tu bene docta meo cætera corde leges.
Quod ſuperum, ut dicis, vox ſit mihi cognita, lætor;
At doleo effectu verba carere ſuo:
Fac precor, ut ſtudio, quæ cælum inſpirat, anhelo
Exequar: & curis ſim mage digna Tuis.
Fac implere novi menſuram nominis; & ſim
Saltem digna meo nomine, digna Tuo.
Eſt mihi chara ſoror, fac ſim pia norma ſorori,
Ipſa Tuos monitus exequar, illa meos.
Ipſa eadem, ut moneam, quæ jus mihi præbuit ætas,
Præcedam ut ſanctis moribus, addit onus.
Nam bene dicta juvant, bene cum ſimul acta cohærent.
Vox licet aura levis, tunc grave pondus habet.
Si mihi venturos comes eligat eſſe per annos,
Calcar, & exemplum ſint mea geſta, precor.
Atque domus normam ſatis eſt memorare Paternæ,
Diverſa in cælum ſi velit ire via.
Inſtruxere Tuos exempla domeſtica mores,
Non minus hac potui commoditate frui.
Filia fac tantis ſim viſa Parentibus orta,
Meque ſuis noſcant moribus eſſa ſuam.

Utque

Utque Tuis ſimiles mihi ſors dat amica Parentes,
Ne ſit diſſimilis filia, jure volunt.
His fuit in teneram (dulce eſt meminiſſe) puellam
Cura vigil, pietas ſedula, ſummus amor.
Inde, ubi grata Deo puriſſima lilia florent,
Ut bene ſuccreſcam planta tenella, locor.
Parvula cymba quidem, nautis ſed recta peritis
Seu pelagus, ſeu me litus haberet, eram;
Nec magis iſte locus, nec me minus ille juvabat,
Anchora jacta illinc, hic bene jacta fuit.
O utinam diuturna ſalus, diuturna Parentum
Late annos ſuperet proſpera vita meos!
Hanc mihi ſpem certam ſi Numina ſacra dediſſent,
Quid fugerem patrias non reditura domos?
Sed juvat in dubiis caſus vitare futuros,
Præcoce conſilio provida ſponte fui.
Adde quod ipſa domum pietatis in arte Magiſtram
Liquiſti, ut reliquis norma imitanda fores.
Gratior iſte Deo locus eſt; ubi victima cælo
Incœptos nequeo jam revocare gradus.
Sum nova ſponſa Deo: Crux eſt gratiſſima ſedes,
Treſque Cruci clavi, me tria vota, ligant.
Crux nova vita: tamen Crux eſt ſuaviſſima; in illa
Ah valeam ſponſo ſponſa placere Deo!
Hinc rogo: Prudentis fac me quoque nomen habere
Virginis, ut ſocias æmula grata ſequar:
Hoc tua ſe præbent imitanda Exempla receptu,
Eſque inter ſocias Tu rediviva meas.
Ipſa ego divitias, & nobilitatis honores,
Et cor ſi qua forent apta movere meum,
Contempſi: majora tamen contemnere quondam
Te memini; lucrum ingens nil Tibi velle fuit.
Heu quot ubique tamen ſunt certa pericula! Navis
In portu heu! quoties naufragium patitur.

In

In portu jam quinque ſumus; ſociamur & illis
Quas eadem dextro Nomine navis habet.
Me precor, & ſocias Benedicti ſtemma ſequentes
Quo pia juviſti Mater amore; juva,
Me (jura imperii tam recte exercita demas)
Fac ſimilem in reliquis, qua licet, eſſe Tui.
Sæpe etiam aligeros Tua ſedula cura Miniſtros
Mittat, nunc monitus, nunc Tua ſcripta ferant:
Invenient, ſi qua in terris cæleſtis imago eſt;
Et pura Angelicos virginitate choros.
Ipſa ego non tali me dignor honore; ſed illo
Fac dignam: meum opus perſpice, non meritum.
Cor lacrymis loquitur; vox deficit, obruitur mens;
Dulce cado, officium languida dextra negat.
Auſpice Te, felix mihi ſæpius Aliger adſit,
Qui ferat & referat mutua ſcripta: vale.

Clariſſimo Viro Epiphanio Brunello Bibliothecæ Arimi-nenſi præpoſito dum ex fratre filia Genovefa in Camaldulenſium cœnobio ad S. Archangelum ſacris Virginibus adſcribitur. F.J.A.P.S.B. in amoris ſignum ſcribebat IX. Kalendas Aug. An. 1768.

CARMEN.

QUid juvat argutas memorare Aganippidos undas,
Atque bipartiti nemoroſa cacumina montis;
Brunelli, virideſque locos, ubi Præſul Apollo
Virgineos inter cœtus, caſtaſque Sorores
Dat jura, inque aliis quidquid laudabile noſcit,
Perpendens tacitus, magno ſibi ducit honori?
Sunt tibi bis ſeptem præſtanti corpore Nymphæ,
Quels pius invigilas, quas tramite dirigis æquo,

Nu-

Numinis inſtar agens, nam ſanguine clarus eodem
Inſtillare optas ductos ab origine mores.
Gaude igitur; juſtis reſpondent ſidera votis.
Doctorum fruere alloquio, qui Palladis arce
Collecti ad nutus tecum ſine voce loquuntur;
Namque ibi per varias diſperſa volumina claſſes
Fertilis ingenii monumenta perennia ſervant.
His fruere, oh felix, & Apolline doctior heros:
Interea monituſque tuos tua clara volutant
Dicta animo, ſua penſa inter muliebria, nymphæ;
Unde domum reduci pectus nova gaudia mulcent,
Stat pudor ante fores, demiſſa modeſtia vultus
Occupat ingreſſum, pietas, & candida virtus,
Fas, decor, integritas; placidis circumvolat alis
Innocuus lepor, & demiſſis otia curis
Excipiunt venientem, & menſæ accumbere gaudent.
Hac Puer Idalius pharetra metuendus, & arcu
Tranſierat, Chatiteſque videns prope limina, furtim
Inſequitur; nec jam Charites diſcernit, & hæret
Obtutu Genoveſa tuo; nam gratia vultus,
Vivaces oculi, diſtinctus murice candor,
Ut ſole adverſo nubes, & concolor auro
Cæſaries, rapuere animum, doluitque triumpho
Quæſito caruiſſe diu; tum ſpicula mittit
Efferus, at vacuo ceciderunt ſpicula niſu.
Non auſus latitare diu, pleno ore minarum
Diſcedit, ſed quas projecerat ante ſagittas
Surripit, ut prædæ augurium, & ſua ſigna ferentem.
Tum claros quærit juvenes tota Urbe vagatus,
Quos facile incendit deſcriptæ ſortis amores;
Namque ubi corda ferit, vultus in imagine ſiſtit
Ante oculos, doteſque animi ſuperaddit, & artes
Edocet, atque illi plauſus, & præmia jungit
Qui prius optatam valeat pertingere metam.

Siſte

Siſte Puer; majora animo Genoveſa volutat:
Illa amat, at non tam parvo vileſcit amore
Pectus; amat Numen, ſuperis jam ſaucia telis:
Quid fragiles hominum affectus, ſortemque caducam
Labentis vitæ, perituraque gaudia jactas?
Illa tenax animi factis æterna mereri
Conſilio meliore parat; tibi ſola ſuperſit
Gloria, quod magnos auſus tentare triumphos;
Interea fractas libeat separare ſagittas.
At tibi, Brunelli; laus eſt & gloria major
Primitias offerre Deo, nunc debita curis
Obtinuiſſe tuis felicia præmia jactes;
Utque ea præceſſit charas ætate Sorores,
Præcedat meritis, & laudum exempla miniſtret.

Veſtendo l' Abito Religioſo nel Nobiliſſimo Moniſtero dello Spirito Santo di Ceſena loro Patria, con aſſumere i Nomi di Donna Maria Metilde Tereſa Celeſte al ſecolo, la Signora Eliſabetta Babbi; ed i Nomi di Donna Maria innocenza Luigia Angelica al ſecolo, la Signora Maria Antonia Finali, ſi Offre all' Incomparabile Merito dell' Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Signore, Monſignore, Franceſco de' Conti Aguſelli, Patrizio Ceſenate Prelato Domeſtico di Noſtro Signore Aſſiſtente al di lui Solio Pontificio, e Veſcovo degniſſimo in Patria.

C A R M E N.

FElices animæ, Cælo decora ampla trahentes,
Deliciæ Superum, quis enim, niſi Numen ab alto
Fecit, ut una Patris redivivum agnoſcat amorem,
Altera Maternæ lætetur munere dextræ?

Nam

Nam cum mæſta magis Genitoribus utraque luxit
Amiſſis, Deus ille Deus, qui cuncta potenti
Dirigit auxilio, fauſta hæc ventura parabat.
Undique nos miris circumdant fraudibus hoſtes,
Nos & noſtra ſimul, munduſque, Erebuſque nocentes
Conatu unanimi jungunt in prælia vires.
Egregias juvenes cæleſti lumine ductas
Viderat ætherea ſuperum Regnator ab arce
Victrices teneræ primævo a flore juventæ,
Ætatis ſexuſque vices ſuperantibus auſis,
Magnanimis auſis: ut aperto invadere campo
Deſperat, caute inſidias & retia tendit
Sæpe hoſtis, ſed dira hoſtis conamina rident,
Deludunt aſtus; manet alta mente repoſtum
Conculcare obices, perituraque gaudia niſu
Reſpuere audaci, ac factis æterna mereri.
Prælia ut optatos ducant repetenda triumphos,
Caſtra juvat tandem tuta ſtatione locare,
Qua ludunt Zephyri, felici Edenis in horto,
Quaque Pudor rubeus, Pietas, & candida Virtus,
Pax, Decor, Integritas per florea rura vagantur,
Puraque Religio, & dubiis Prudentia rebus.
Quaque Deo placuit niveam ſine felle Columbam
Induere, atque oculis tali ſe ſiſtere forma.
Interdum quoque viſa loqui, roſtroque docere
Auribus admoto; hinc læto circumflua gyro
Cæleſtem placidis affiare volatibus auram.
Ut favet ingenuis Ales Divina puellis,
Vos ea conſtituit ſecuro claudere ſepto:
Illa pares animos ſancto inſtillavit amore,
Disjunctaſque loco recipi decrevit eodem.
Deerat adhuc reſerare fores, & cardine verſo
Difficiles aditus aurata pandere clave,
Tum manſuram ævo ſedem ſtabilire futuro:

Illa animōs movit, Comitum ſuffragia junxit;
Quæ læto expeterent vos intrà Clauſtra ſuſurro,
Quæſitas invenit opes, curaſque Parentum
Subſtituit; Voſque optata jam ſede locatas
(Quando ætas, tempuſque ferent) ad grandia Numen
Præparat, ut magno jam proluſiſtis honore.
Felices animas, Superum ad conſortia natas
Appellaſſe juvat, facturas gaudia cælo.
Ac velut aſtrorum tangunt confinia palmæ
Cum ſimul unitæ creſcunt, ſed languida torpet,
Cui vicina deeſt, nullaque juvatur ab arte:
Haud aliter dum bella gerunt ſupera aſtra petentes
Altius aſſurgent; ſtimulos dabit æmula Virtus,
Mutua & unitis creſcent ſolatia curis.
Nec ſatis hæc: quævis dulcem ſortita Sororem,
Et minor, elapſis & quæ maturior annis,
Adjicient, ſumentque animos; utque altera primæ
Militat exemplo, ſic præbeat altera normam.

Nicandri Jaſſei. P.A. & Acc. Off. Rif. Fil.

HENDECASYLLABI.

UT ſæpe in riguo videmus horto,
Quem Sol, & pluviæ educant, & aura,
Plures areolis nitere flores,
Plures ambroſium undequaque odorem
Fundere, atque avidos beare ſenſus:
Sic Tellus pueros, puellulaſque,
Integros pueros, & innocentes,
Puras, candidulas, bonas puellas
Summittit variis ferax in oris.
At ſi forte olitor ſagaciore
Perluſtrans oculo modo hos, modo illos
Unum præ omnibus inſpicit nitentem.

Olen-

Olentemve mage explicare vultum:
Illum ſumere tunc ſibi colendum
Cernimus vigilem, & ſolo locare
Aprico magis, & remotiore,
Quo ſuccreſcere, largiuſve olere
Translatus queat aptiore cultu:
Sic inter pueros, puellulaſque,
Te, nam candidor, pudiciorque
Inter ingenuas nites puellas,
Legit Divus Amor, ſacro & receſſu
Occludi voluit perenne in ævum,
Ut hic gratior, innocentiorque
Succreſcas magis, & magis pudica.

JAMBI PURI.

Alludit ad Verba: *Quinque prudentes Virgines: Hæc eſt Virgo ſapiens, & una de numero prudentum.*

NOvella Sponſa, quam videtis hoſpites
Anhela pectore æſtuante cogitat
Ad uſque regna tranſilire cælica,
Ibique amoris illigare fœdera.
Abivit annus, & movente Numine
Sacro libenter involuta vinculo
Ad aſtra tendit, & caduca gaudia
Nova beata ſorte in orbe deſpicit.
Ut illa calcar invicem ſodalibus
Modeſta jungit? ecce cordis indicem
Genis videmus emicare purpuram,
Videmus omnium ore ſparſa gaudia
Reciproco decore! Quinque Virgines
Videmus ire victimas amabiles

Ad Aram, & impetu vovere fervido
In omne tempus ardua: ecce floſculi,
Amant habere quos in orbe cælites.
Nec extimeſcet hoc ubere inſita hortulo
Tenella planta ſævientis impetum
Noti, vel horridi flagella turbinis,
Vel acre frigus, imbriumque verbera:
Niviſque acerba damna, vel pigrum gelu.
At inde cælitum irrigata nectare
Vireſcet optimis odora floribus.
Soror (Joanna) te videns, pie invidet,
Simulque tempore educata plurimo
Tibi pudica gratulatus oſculo.
Vides ut ipſa tergat ora linteo?
Humique flectat arte preſſa lumina?
Sed illa ploret: an doletis hoſpites?
Pupilla adeſſe vos notamus humida,
Quod hæc ſui immemor puella nobilis
Nec inde patrio vocata nomine
Recluſa parvulo occulatur angulo?
At alimus ille, quem videtis, angulus
Amatur Angelis, amata Numini
Domus Supremo: in orbe regna cælica
Deo novella Sponſa quærit, hic frui
Recluſa gaudet & propinqua Numine
Sacra hic amoris illigare fœdera,

PARAPHRASIS

PSALMI LXXXIII.

Quam dilecta tabernacula tua! Domine virtutum; concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.

EN ego ſolicitis tua paſſibus atria quæro;
Quam dilecta oculis atria pulchra meis!
Interiora domus quam ſint pulcherrima monſtrant,
Hic thronus, hic ſedes eſt tibi fixa Deò.
Cor primo ingreſſu mira dulcedine ſparſum
Deficit, & ſuperus palpitat intus amor.
Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.
Deficit, exultatque ſimul; mea vita, meum cor,
Tu mihi ſolus eris, delitiæque meæ.
Gaudia pertentant, quam dulcia gaudia, mentem!
In domino exultant ſingula membra ſuo.
Etenim paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum ſibi; ubi ponat pullos ſuos.
Arbore pendentem ſibi ſedula conſtruit ales,
Poſſit ubi & conjux tuta manere, domum:
Invenit & turtur contextum e gramine nidum,
Ponat ubi pullos mater amica ſuos.
Altaria tua Domine virtutum, Rex meus & Deus meus.
Sic tua, ſumme Deus, mihi ſedem altaria præbent,
Sic meus in Te uno dulce quieſcit amor.
Hic ego te Regem, & Dominum reverenter adoro;
Hic ego fiam oculis victima grata tuis.
Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te.
Felix, ah nimium felix! præludere cælo

Qui valet, atque ſacras nunc habitare domos.
Incipit ille tuas, repetetque in ſæcula laudes;
Æternæ dubius nec ſibi ſortis erit.
Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrimarum, in loco quem poſuit.
Tunc felix, quando auxilium irrevocabile præbes,
Nec male confidat viribus ipſe ſuis.
Corde ſuo poterit paulatim aſcendere, & altos
Virtutum utiliter diſpoſuiſſe gradus.
Nam ſi flere juvat, dum valle moramur in iſta;
Propoſita eſt hilaris meta, hilariſque locus.
Etenim benedictionem dabit legislator; ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus Deorum in Sion.
Huc Deus ire docet, legem præſcribit eundi;
Quam facile ut ſerves, qui jubet, addit opem.
Ut cælum aſcendas, via ſuppetit unica virtus,
Scalaque virtutum pervenit una polo.
Utar & hac: Dominum propria tunc ſede videbo;
Utar & hac; ſummo tunc fruar ipſa Deo.
Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Jacob.
Summe Deus, qui cuncta potes, qui cuncta gubernas,
Dignare ah votis dexter adeſſe meis!
Tu facile exaudis ſervum ad tua juſſa fidelem,
Teſte olim Jacob; teſtis & eſſe velim.
Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui.
Aſpice quod noſter tu vis Protector haberi,
Noſtris, quas offert Filius, adde preces.
Et caput, & clavos, & pectoris aſpice vulnus,
Debita ſunt pretio noſtra ſoluta ſuo.
Me docet ille viam: mea crimina diluit idem,
Idem aperit clauſas, qua decet ire, fores.
Quia melior eſt una dies in atriis tuis ſuper millia.
Invitent per mille annos fallacia mundi

Gau-

Gaudia: quam melius tecum erit unā dies!
Interdicta forent quamvis penetralia nobis,
Janua felices reddere ſola poteſt.
Te poſtquam, Deus, ipſe fruor per ſecula mille:
Vix unum credam præteriſſe diem.

Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Non ego magnifico conſtructa palatia ſumptu,
Regnat ubi vitium, fraus ubi regnat, amo.
Elegi potius cæleſtibus ultima tectis
Vivere & abjectum ſponte tenere locum.

Quia miſericordiam, & veritatem diligit Deus; gratiam & gloriam dabit Dominus.

Namque tua, Deus alme, domo clementia regnat;
Et ſincera fides, faſque decorque vigent.
Dilligit, innocuoſque animat tua gratia mores,
Queis tua promiſſum gloria munus erit.

Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia, Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te.

Munere nec tanto innocuos privabis amicos,
Qui recta incedunt te præeunte via.
Ah felix, quem ſpes poterit ſua reddere tutum,
Et ſtudium obſequiis applicat omne tuis.

Sic Sancta orando Vates Tibi Regius urbe,
Exprimit ardorem, quo tua templa colit.
Templa repræſentant æterna habitacula, ſedes
Hæc tua, & hæc votis ultima meta ſuis.
Sed titulis mea vota novis ſuaviſſima creſcunt;
Ni culpa amittam, quod mihi jure peto.
Filius ipſe tuus me Sponſam elegit, & ipſi
Chara, tuam ingredior nunquam abitura domum.
Hic ego proludens æterna ad gaudia, cœlo
Proxima, crediderim jam tenuiſſe fores.

PARAPHRASIS

PSALMI XLI.

Quemadmodum deſiderat Cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.

UT quærit ſtimulante ſiti, ſtimulante calore
Dulce refrigerium Cerva fluentis aquæ.
Fons placide excurrit nitidis argenteus undis,
Valleque in adverſa roſcida prata beat.
Hunc videt, & viſum celeri petit impigra ſaltu.
Quo ſe præcipitem per juga montis agit.
Nec mora, nec requies: perque obvia, & invia magno
Impete ad optatum currit anhela locum.
Sic te, ſumme Deus, mea mens, mea vita, meum cor
Expetit, oh votis unica meta meis!
Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei!
Summe Deus, Tu ſons dulcedine vivus abundas,
Hoc licet ardentem fonte levare ſitim.
Te ſitio; tua ne facies pulcherrima ſolum
Allectat, ſolum te meus optat amor.
Quando erit illa dies, cum te reverenter adorans
Perfruat aſpectu non moritura tuo.
Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi eſt Deus tuus?
Interea lacrymæ mihi nocte, dieque dolori
Grata alimenta meo, panis ad inſtar erunt.
Dulcibus his lacrymis lacrymas amor addit amaras,
Tot paſſim oblitos cum videt eſſe tui.

Hæc

Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam, quoniam tranſibo in locum Tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei.

Aſt ego te Dominum, tua gaudia ſæpe recordor,
Ad tua me toto gaudia corde fero.
Me ſuper effundo, quaſi carcere corporis eſſem
Libera: terrenum nil quoque mente gero.
Me vocat ipſe Dei Thronus admirabilis: olim
Tranſire ad ſuperam ſum mihi certa domum.

In voce exultationis & confeſſionis ſonus epulantis.

Suaviter exultat mea mens: ſolumque fatetur
Te felicem animum reddere, corque meum.
Ut ſociare ſolent læti convivia cantus,
Sic mea tu ſolus gaudia plena facis.

Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me?

Quid tamen exagitat triſtem cura anxia mentem,
Conturbatque novus pectora mæſta timor?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei, & Deus meus.

Læta, fatebor enim, mihi ſpes: tua munera ſpero,
Spero: promiſſis ſum fruitura bonis:
Heu careo! dum tempus adeſt, ſperare licebit;
Langueo! Speſque meæ certa ſalutis eris.

Ad me ipſum anima mea conturbata eſt, propterea memor ero tui de terra Jordanis & Hermoniim a monte modico.

Conturbor quoties ad me mea lumina verto,
Si merita, aut vires metior ipſa meas.
Sed memorem juvat eſſe tui: Jordanis ad undas
Sæpe omnes meditor, queis pia corda rigas.
Alta repræſentant ſuperum penetralia montes,
Quæ fluit hic, animos purior aura beat.
Parvula noſtra licet ſint culmina, mente revolvens
Hæc circum, aſpicio culmina celſa poli.

Abyſ-

Abyſſus abyſſum invocat in voce cataractarum tuarum.
Nunc tua me pietas recreat, nunc terret abyſſus
Me ſcelerum: heu triſti gurgite merſa gemo!
Adde tot inſidias, tot certa pericula paſſim
Obvia: clauſa meæ ſortis utrinque via eſt.
Ac velut ultrices cecidere ex nubibus undæ,
Impia cum pluviis terra periret aquis,
Sic mea criminibus ſine limite crimina creſcunt,
Pluſque novæ inſidiæ, pluſque pericla nocent.
Omnia excelſa tua, & fluctus tui ſuper me tranſierunt.
Tu quoque corda probans, excelſo e culmine fluctus
Mittis, & auxilio viſus abeſſe tuo es.
Nunc animum timor excrutiat, nunc corpore vires
Deficiunt, nunc vix debile pectus amat.
In die mandavit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum ejus.
Cum tandem ipſe mei cura miſereris amanti,
Corde meo exoritur lumine plena dies.
Proh quam dulce melos tua vox mihi corde videtur,
Cor licet in tenebris noctis ad inſtar erat.
Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo, ſuſceptor meus es.
Sæpe iterando preces, animo tibi ſupplice dicam,
Tu mea, quæ ſiſto, ſuſcipe vota, Deus.
Felicem tu namque potes me reddere ſolus;
Tu mea vita, mea & gloria ſolus eris.
Quare oblitus es mei, & quare contriſtatus incedo, dum affligit me inimicus.
At tua permittat teneros Clementia queſtus
Fundere, ut oblitum te querar eſſe mei.
Dic mihi, cur toties me triſtem incedere cogis?
Dum mentem affligit gens inimica meam?

Dum confringuntur oſſa mea, exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei.

Utque oſſa imminuunt confracta in corpore vires,
Sic animum curæ dilacerare ſolent.
Fortius in miſeram me tunc adverſa ruinam,
Dum greſſu incedo debiliore, trahunt.
Tunc magis excruciat, tunc durius exprobrat hoſtis;
Semper enim vultum plura minantis habet.

Dum dicunt mihi per ſingulos dies, ubi eſt Deus tuus, quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me.

Exemplo tunc ille ſuo me ſæpius urget;
Verte, inquit, mundo pectora, terga Deo.
Non iſta attendo, ſed ſum mihi ſæpe loquuta,
Quid turbas, quæro, triſtia corda, dolor?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultut mei, & Deus meus.

Quacunque invadant timidam faſtidia mentem,
Spem certam in promptu ſemper habere juvat.
Unica ſpes auget, ſpes unica ſervat amorem,
Utilis una meis eſt medicina malis.
Ergo novos jam ſummo animos, jam gaudia vultus
Indicat, inque Deo ſpes bene fixa manet,

Davidis hi gemitus, ea gaudia miſta timore,
Sic ſua ſpes fidit, ſic ſuus ardet amor.
Nunc tibi, ſumme Deus, dum me nova vincula nectunt,
Optarem affectus corde agitare pares.
Te mea proponit, nova vita exemplar, ut olim
Ille tui ſimilis, qua licet eſſe, fuit.

AD

AD CL. VATEM D. NICOLAJ

Novum Germaniæ Ariostum.

Rogat Auctor, ut carmina in his duobus tomis comprensa corrigat.

Ecce bipartiti sacra ad confinia Montis
Accessi; cecinique meos, Vir Maxime, lusus,
Quos Tibi supplicibus mens est modo sistere votis,
Nobilis ut Censor doctas adhibere lituras
Digneris; tum, siqua probas, cum laude ferentur
Digna legi, procul interea frondescere lauros
Aspiciam, non ultra ausus penetrare recessum
Quo medio in Luco Musarum & Apollinis Ædes
Assurgunt, nisi Castalia bene lotus in unda
Inveniam Divo charum, cui mentis acumen,
Ingenium felix, nitor, œstrum, fertilis ardor
Prima inter magnos donent subselia Vates.
Hunc mea vota petunt; qui me deducere possit
Numinis ad solium, & doctas cantare sorores.
Non me laudis amor, non gloria vana, sed ingens
Heroas celebrare ardor mea pectora pungit.
Hi merito renuent tenuis præconia cantus
A non admisso Pindi ad penetralia Vate.
Tu, Nicolae, potes dubitantem, & adire timentem
Auxiliis firmare tuis, faciliſque rogari
Dificiles ostende aditus, in sede morabor
Extrema, si forte velis me reddere dignum
Ingressu; pars una chori, licet ultima, dicar.
Tum majora animo volvam; tua carmina clarum
Proponam exemplar; non quæ celeberrima famam
Ingenio peperere tuo, at quæ mira revolvis
Argumenta animo; nisi me mea fallit imago.

Ma-

Materiam ante oculos tibi jam fortuna paravit,
Sublimem, Auguſtã, amplam, & Vatum Principe dignam.
Non virtutem animi, aut palmas invidit Achilli
Magnus Alexander, laudantem invidi Homerum.
Defuit at Græco rerum præſentia vati,
Viſa prius quam vividius ceciniſſet? Apollo
Magna tibi obſervanda parat! Jam cætera noſcis.

AD EUNDEM EPIGRAMMA.

QUÆ tua jam fuerat ſtudiis aſperrima belli
Patria, caſtalium ſprevit adire nemus.
Floruit at ſtudiis nunquam defeſſa ſeveris,
Longa animum patiens applicuiſſe mora.
Deerat Apollinea circundare tempora lauro,
Quique Italos ornat, laudis honore frui.
Sæcula Germanos Vates jam noſtra tulere,
Nec regio externis invidet illa plagis.
Ut tamen, Eoo cum ſurgit ab æquore Titan,
Ingenitum abſcondunt aſtra minora jubar,
Haud aliter toto fulges celeberrimus orbe,
Laus Patriæ, Vatum gloria, gentis honor.
Picturæ nitidæ, vocum ſelecta ſupellex,
Mentis opes, æſtrum nobile, dulce metrum
Hæc aures hominum alliciunt; Arioſtus haberis
Germanus, quo te nomine fama vocat.
Parce tamen: non hoc nomen modo laudibus addam,
Par nulli, cunctis anteferendus eris.

PROS-

PROSPECTUS TOMI SECUNDI.

PUer *Jeſus in Præſepio*. 3 *Idem dormitans*. 5 *Ejus Patria*. 7 *Pax a Cælo demiſſa*. 9 *Ejus Nomen*. 17 *Præfatio ad ſolatia, quæ Divinum Infantem a Curis evocare poſſent, cum ſeptem poematis*. 23 *Divinus Infans tenenimæ Jeſuitatum deliciæ in primo ſæculo*. 31 *P. Bernardinus Realinus &c. tria poem*. 32 *Mag. Carolus Cæſarius*. 36 *P. Antonius Martius*. 38 *P. Jo: Aguirri*. 42 *P. Alphonſus Barſena*. 44. *Fr. Gabriel Vayle*. 47 *P. Michael Gubernio*. 48 *P. Bernardus Colnagus*. 50 *Fr. Benedictus Goes*. 53 *Fr. Antonius Romero*. 56 *Divinus Infans tenerrimæ Ies. deliciæ in II. Sæculo. P. Emmanuel Padial &c. 4 poem*. 57 *Fr. Petrus de Baſto. 4 poem*. 61 *P. Franc. Brancatius. tria poem*. 67 *P. Jo: da Fonceca. 4 poem*. 72 *P. Ignatius Rodrigues. 4 poem* 76 *Divinus Infans tenerrimæ Ies. Deliciæ in III. Sæculo. Ludus de ternario numero*. 80 *Quatuor ſoliloquia*. 82

In Illibato Dei Matris Conceptu gratiæ & Naturæ fœdus. Cor. Corpus. Vultus. Oculi. Duodecim poem. 86 *P. Antonius Ruiz a Naufragio &c*. 100 *Ecloga*. 102 *Virgini Eloquentiæ Magiſtræ*. 107 *In Virg. Piſitacorum Certamen*. 109 *Virgini ſine labe Conceptæ Epigramma*. 110 *Carmen*. 111 *Carmen Theologicum*. 117 *In obitu B. M. V*. 119 *Diuturni Silentii Veniam &c*. 122.

D. Joſephi laudes. 129 *Officia D. Joſ. præſtita, B. V. Gratiſſima*. 146 *D. Joſ. Morientium Patronus*. 147 *Erga Angelum Tutelarum &c. P. Gonſalus de Medeiras*. 149 *P. Audomina*. 151 *P. Georgius Ferro*. 153 *P. Jo: Cartelus*. 154 *P. Ignatius Martius*. 155 *P. Jo: Carrera*. 156 *Fr. Ludovicus Torereduc*. 159 *S. Raphaeli Archangelo*. 159 *Sanguis P. Pauli*: 161 *Ad Clem. XIII. ob conceſſum officium S. S. Cordis Jeſu*. 162 *S. S. Cor Jeſu Divini amoris officina*. 164 *Ad S. S. Cor Jeſu Epig*. 166 *Vota renovata die Epiphaniæ*. 166 *S. Fr. Saleſius*. 168 *S. Fr. Xaverius*. 169 *S. Jo: Nepomucenus*. 170 *Innocentia & Pœnitentia diſcepta de aſſerendo ſibi D. Aloyſio*. 173 *S. Aloyſius. Juventutis Exemplar, & alia poemata in ejus laudem*. 184

V. P. Joſephus de Anchieta &c. octo poemata. 198 *V. P. Nicolaus Lancicius*. 207 *Gretzeri Triumphus*. 208 *P. Barthaſar Mendes ad Matrem*. 210 *Ignatius Garriga S. Stanislai Effi-*

Effigies . 218 *Epiſtola V. P. Spinola.* 223 *Nom: Duo , Duæ , Duo.* 225 *En quatuor Aras.* 232 *Proſopopœja eſt perſ.&c.*243 *Sex Noviſſima.* 255 *Mors.* 256 *Judicium Particulare* . 260 *Purgatorium.* 268 *Judicium Univerſale* . 276 *Infernus* . 284 *Paradiſus* . 292

Gratia Auctori facta a B. V. 298 *Ab Angelo Cuſtode* 304 *P.Em. Paes , ſtudia Auctoris in pueritia* . 308 *De libello ad examen Conſcientiæ* . 315 *De ejus editione poſt* 50 *annos.* 318 *De editione Sanaſſarii , & Pomarii* . 320 *Dies* 15 *Julii Vati fauſtiſſima cum verſione Itala* . 321 *De Nocte Natalis Domini qua Vates natus eſt , cum Verſione Itala* . 329 *De Bibliotheca & Sanctuario ſuo* . 332 *Ad P. Mic. de Amaral , qui authorem monet ut Philoſophiæ incumbat* . 332

Ad aliquos Clar. viros , ſoc: Jeſu eo tempore quo Auctor ſcripſerat , R. P. Ignatio Schſvarz. 338 *Carolo Nocetti.* 340 *Xaverio Bettinelli.* 341 *Fabio Danzeta.* 342 *Ignatio Venino.* 343 *&* 344 *Jo: Baptiſta Roberti* . 347 *Antonio de Torres.* 347 *Baſſano Cattani, ne diffidat.* 348 *Ne Cymba vehi timeat.* 350 *Andreæ Michelini.* 353 *Paſchali Carapelli.* 355 *Xaverio Lampillas.* 356 *Thomæ Serrani.* 357 *Emmanueli Marques Duo Epigr.* 357 *Emmanueli de Sampajo , Joſepho da Motta , Sebaſtiano da Veiga , & Joſepho de Andrada.* 358 *Franciſco Saverio Igaregui.* 359 *Salvatori Peres Raimon Gonzalves , & Thadæum Vergara.* 362 *Storeæ Mecechii* 362

Picturæ Poeticæ. Venatio . 363 *Blatero* 364 *Scurra* . 365 *Homo abſtractus* . 366 *Taciturnus.* 367 *Gratiarum ingenium.* 368 *Pluviævota.* 368 *Ludus puerorum cadente nive.* 369 *Currus, vulgo*: Slitta . 370 *Urſi albi* . 371 *Arundines in fundo lacuum.* 372 *De faſcino , & effluviis* . 373 *Canalis Folganus* . 374 *Mures a domo ruinoſa abeunt* . 375 *In Culicem* . 375 *Ex Vino Poetarum æſtrum* . 376 *Aſſertio Contraria* . 377 *Tempore Bacchanalium : Convivia.* 378 *Ad Remp. gallinaceam* . 382 *Fabula prima miſta.*384 *Secunda Moralis.* 386 *Tertia Rationalis* . 387 *Quarta Moralis* . 389 *Quinta Moralis* 390 *Manilius Torquatus duo Epig.* 392 *Apud Sibaritas &c.* 392 *Smiadirides Sybarita &c.* 393 *Archimedes &c.* 394 *Diogenes &c.* 395 *Idem &c.* 395 *Proluſio ad*

Humaniores Literas, cum sex poem. de Malencolin. 396 *Plura poem. de recuperata Valetudine Præceptoris ab ejus scholaribus recitata.* 406

Ad Personas in Regularia claustra se recipientes: Juvenis Amico. 421 *Eccloga Exc. D. Joannæ Corneliæ.* 423 *S. Adelheidis ad illam Epistola, quæ hoc nomen elegerat.* 438 *Responsio.* 443 *Ad Ill. D. Genovefam Brunelli.* 446 *Ad Ill. D.D. Elisabetta Babbi, & Mariæ Antonia Finali.* 448 *Hendecasyllabi.* 450 *Jambi Puri.* 451 *Paraphrasis Psalmi* Quam dilecta. 453 *Psalmo* Quemadmodum. 456 *Ad Cl. Vatem Nicolai. Carmen precatorium.* 460 *Epigramma.* 461

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. *Fr. Gio: Tommaso Mascheroni* Inquisitor General del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato. *Ars Poetica Exemplis Illustrata ab Emmanuele de Azevedo ec. M.S., e Stampato*, non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e Buoni Costumi, concediamo Licenza a *Gio: Batista Costantini* Stampator *di Venezia* che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 2. *Ottobre* 1781.

(*Alvise Vallaresso Rif.*
(*Girolamo Ascanio Giustinian Kav. Rif.*

Registrato in Libro a Carte 21. al Num. 202.

Davidde Marchesini Seg.

IN-

INDEX.

A

ABbatis S. Galſi Elogium, Tom. I. pag. 337.
de Abreu Emmanuel Martyrio coronatus Tom. II. pagin. 236.
in Abſentia dilectæ mulieris luctus. I. 429.
dall'Acqua Catharinus ad Magiſtrum. II. 417.
S. Adelheydis Epiſtola, & Reſponſio. II. 438.
Aenigmata, eorumque natura. I. 180. 195. exempla. 186.
Aguirri Joannes Pueri Jeſu amplexu, & oſculis recreatur, dum ſcrupulis angeretur. II. 42.
S. Aloyſius Gonzaga. I. 206. mirabili innocentia, & pœnitentia inſignis. II. 173. 185. 195. 197. ſtudioſæ juventutis exemplar. 184. ejus prima communio. 193. ejus charitas in Deum. 194. ejus modeſtia. 196.
Alphabetum morale. I. 402.
Alter an uſurpari queat in genere fœminino. II. 336.
Alvres Bartholomæus Martirio coronatus. II. 234.
de Amaral Michael, Auctorem a ſtudio poeticæ diſſuadet. II. 332.
Amati Cajetanus laudatur. I. 347.
Anagramma, ejuſque varia genera. I. 132. Anagrammata Chronologica. 142.
Anchieta Joſeph laudatur. II. 198. &c.
de Andrada Joſeph in montis habitat vertice. II. 358.
Angelus tutelaris; duæ gratiæ ab eo vati impertitæ. II. 304. gratiæ ab eo ſuis clientibus impertitæ. 149. &c.
Antonius Franciſcus Socius in Martyrio P. Rodulphi Aquavivæ. II. 324.
Archimedes ſpeculo Romanam claſſem incendit. II. 394.
Arioſtus germanus dicitur Cl. Vates Nicolai II. 460.
Arguentibus leges præſcribuntur, cum Ars poetica publicæ diſputationi exponitur. I. 22.
Argutiarum fontes unde ſcaturiant. I. 70. quinam ſint. 76. An conveniant, quales, & quando, vide *Luſus*
Auctoris alicujus imitator qualis eſſe debeat. I. 44. &c.

Auctor hujus operis ope B. Virg. a morte liberatur. II. 298. Bis ab Angelo Tutelari. 304. Ejus in pueritia ſtudia. 308. Primus liber ab eo editus ad faciliorem examinis conſcientiæ methodum. 315. Idem liber poſt 50. annos recuſſus. 318. Sannazarii Carmina edit, & Pomarium Latinitatis. 320. Dies decima quinta Julii ipſi fauſtiſſima. 321. Pariter dies 25. Dec. ejus Natalitia. 329. Ejus Bibliotheca & Sanctuarium. 332. Quid ipſi carmina attulerint? 332. Ideam & finem hujus operis exponit. I. 17.
P. Audominæ erga Angelum Tutelarem pietas, II. 151.
de Azevedo Ignatius. I. 208. 214. Ex Auctoris familiæ. II. 321.

B

Babbi Eliſabetha in ſæculo, in clauſtro Maria, Methildes, Thereſia, Cæleſtis. II. 448.
Barbadicus B. Gregorius. I. 269. Petrus laudatur. 258. &c. ejus Eloquentia. 267. Ejus cum B. Gregorio morum & Sanguinis affinitas. 270.
Barzena Alphonſus Pueri Jeſu viſione, & colloquiis recreatus. II. 44.
de Baſto Petrus lavat pedes Puero Jeſu. II. 61. cum illo aliquando ſpatiatur, ac deambulat. 64. illum ſibi apparentem complectitur. 65. lactatur a Deipara Virgine Puerum Jeſum in ſinu habente. 66.
Beatitudinis æternæ gaudia, ac præmia. II. 292.
Benedicti XIV. Pont. Elogium. I. 250.
Bentivegni Marius Vicar. Gen. Faent. laudatur. I. 351.
Bettinelli Xaverius laudatur. II. 341.
Biancoli Co: Alexander laudatur. I. 353.
Blateronis ingenium. II. 364.
Bonafede Ab. laudatur. I. 380.
Brancatius Franciſcus obvium habet Puerum Jeſum, cum quo familiaria miſcet colloquia. II. 67. &c.
Britinorienſis Urbis, & ejus Epiſcopi laus. I. 346. Cor. 354.
Brunellus Epiphanius. II. 446. Brunelli Genoveſa, *ibid.*

C

Cæſarii Caroli anima Puero Jeſu deſponſata. II. 36.
Cambiaſi Michael Angelus laudatur. I. 344.
Cantatricis cujuſdam laudes. I. 426.
Carapelli Paſchalis abſens deſideratur. II. 355.

Carlettus Jo: videt Angelum. II. 154.
Carolus Sevaroli Pater Antonii Archidiac. Faent. laudatur. I. 372.
Carmen Heroicum, ejuſque excellentia. I. 26.
Carmen Italicum, vulgo Sonetto ejuſque leges, & Aliorum Carminum Luſitanorum. 153. 233. Aliqua hujuſmodi Carmina in Latinam linguam verſa. 387.
Carrera Joannes Angeli tutelaris favoribus cumulatur. II. 156.
Caſtiglioni Octavius Julianus laudatur. I. 379.
Caſtracane Comes Angelus laudatur. I. 344.
Catharinæ Magnæ Ruſſiæ Imperatricis laudes. I. 3. 16. 305. 387.
Cattani Baſſanus. Ne diffidat. II. 348. Ne cymba vehi timeat. 350.
Catuli Epitaphium. I. 401.
Chriſtinæ Svecorum Reginæ Currus. I. 247.
Cienfuegos Alvarus Card. laudatur. II. 245. &c.
Claſſis Moſcovitica in Archipelago ſummæ admirationis cauſa, & quare. I. 7.
Codex Legum in Ruſſia magnæ mentis in Maxima Imperatrice argumentum. I. 7.
Clementia Maximæ Catharinæ inter ejus præclariſſimas virtutes mirabiliter illucet. I. 5. 14.
Collum amatæ mulieris a medica Chirurgi manu vulneratum. I. 425.
Columbani Franciſcus Ep. Britinorien. laudatur. I. 349. *Cor.* 357.
Colnagus Bernardus Puerum Jeſum in ſuo lecto collocat. II. 50.
Conſtantini Hieronymus laudatur. I. 347.
Convivia tempore Bacchanalium frequentiora. II. 378.
Cor B. Mariæ V. II. 86.
Cornelia Joanna in ſæculo, in clauſtro Adelheys. II. 423. 443.
Corniani Lauri Hendecaſyllabi. I. 271.
Corona B. Mariæ V. II. 304.
Corpus B. Mariæ V. II. 90.
Coſta Melchior ad Magiſtrum. II. 418.
Crucifixus a flammis vindicatus. I. 74.
Cucurbita cedro vicina ineptæ ſuperbiæ exemplum. Fabula. II. 390.
Currus, vulgo *Slitta*. II. 370.
da Cunha Vincentius martyrio coronatus. II. 238.

D

Dantis ſepulcrum reſtauratum Ab. Emi. Card. Valenti. I. 350.
Danzeta Fabius laudatur. II. 342.
Delphinus Jo: Paulus Ep. Bergomen. laudatur. I. 346.
Diogenes Pædagogum fuſte caſtigat. II. 395. Herculis ſimulacrum incendit. *ibid.*
Dominichini Jacobus ad Magiſtrum. II. 420.
Domus aleatoria Venetiis proſcribitur. I. 261.
Dramaticum Poema. I. 61.

E

Echo in Carminibus. I. 143. 146.
Effluvia. II. 373.
Elegiæ ſuavitas, ſtylus, &c. I. 54.
Elogium, ejuſque ſtylus. I. 128.
Emblema. I. 116.
Epicedion Annæ Mariæ Uffreducci. I. 335. Antonii Nazarii. 410. Fabii Danzetta. II. 342.

F

Fabulæ quinque. II. 384. &c.
Fanenſis Urbis deſcriptio. I. 292.
Faſcinus. II. 373.
Fattori Hieronymus, & de ejus recuperata valetudine carmina a diſcipulis &c. II. 405.
Federici Pruſſiæ Regis laudes. II. 457.
Ferro Georgius Angeli tutelaris favoribus cumulatus. II. 153.
Finali Maria Antonia in ſæculo, in claustro Maria, Innocentia, Aloyſia, Angelica. II. 448.
Folgano celebre Canale. II. 374.
de Fonceca Joannis erga Puerum Jeſum affectus. II. 72. &c.
S. Franciſci Saleſii reſponſum argutum. II. 168.
S. Franciſci Xav. precibus maris unda dulceſcit. II. 169.
Fuſcareni Ducis Venet. electio. I. 408.

G

Gabrieli Andreas Patritius Fanen. laudatur. I. 313. Gabrieli Card. Hieronymi Encomium. I. 317.
Gabuccini Jo: Octavius Eques laudatur. I. 327. De ejus Labyrintho. 325.
Gallinæ tempore Bacchanalium. II. 382.
Garriga Ignatius S. Stanislai affigies. II. 218.
Fr. Gaſparis ab Incarnatione Elogium. I. 340.
Gaſparus Joannes martyrio Coronatus. II. 239.
Genuæ Urbis laudes. I. 414.

Giostra Spectaculum Cæsenæ exhiberi solitum. I. 375.
Giovanelli Federicus Venet. Patriarcha. I. 394.
Giovanelli Ludovicus ad Magistrum. II. 411.
Goes Benedictus a Puero Jesu miraculoso indicio veniam sibi suorum scelerum datam intelligit. II. 53.
Gozzadini Co: Junipera laudatur. I. 388.
Grammatice laudat Jo: V. Port. Regem. I. 238.
Gratiarum ingenium. II. 368.
B. Gregorius Barbadicus. I. 269.
Gretzeri Jacobi triumphus. II. 208.
Gubernius Michael impetrata prius facultate cum Puero Jesu libere versatur. II. 48.
Guidi Anna felix ob fratres & filios. I. 353.

H

Heroici Carminis excellentia. I. 26.
Hexametri versus varia nomina. I. 167.
Hirundines se in fundo lacuum submergentes. II. 372.
Homo a curis mortalibus abstractus. II. 366.
Honor, Ventus, & Aqua ubi inveniuntur. Fabula. 386.
Hyperbole. I. 148.

I

Jesu Christi Nativitas in præsepio. I. 432. II. 3. 5. 7. 9. Circumcisio. I. 389. II. 83. Nomen. II. 17. Passio, & Crucifixio I. 390. 407. Mors. 391. Puer Jesus tenerrimæ Jesuitarum delitiæ. II. 57. 80. ad Puerum Iesum, & de Puero Jesu Lusus Poetici. II. 24. &c. Jesu Christi Cor. II. 163. &c.
Igaregui Franc. Xaverius primam Missam celebrat II. 359.
S. Ignatius Lojola. I. 143. 203.
V.P. Ignatius de Azevedo. I. 208. 214. II. 321.
Infernus meditationi propositus. II. 284.
Ingenium ad Musas, & Martem. I. 461.
Innocentiæ, & Pœnitentiæ certamen in laudem D. Aloysii. II. 173.
Inscriptio quid sit. I. 119.
S. Joannes Nepomuc. silentii Sacramentalis Martyr. II. 170.
Jocosorum versuum varia genera. I. 168.
S. Josephi laudes. II. 129. obsequia illi præstita B. Mariæ V. gratissima. 146. S. Josephus morientium patronus. 147.
Judicium particulare, & universale meditationibus propositum. II. 260. 276.

L

Labyrinthi duo descripti. I. 325.
Lampillas Xaverius laudatur. II. 356.
Lancitius Nicolaus laudatur. II. 207.
Laurea doctoralis duorum Nobilium. I. 396.
Lemma quid sit. I. 116.
Leo iniquus Judex. Fabula. II. 389.
de Leonardis Jo: Baptista ad Magistrum. II. 420.
Leonori Marchio Franc. Xav. laudatur, ejus Carmina I. 401.
Licini Aloysius ad Magistrum. II. 411. Jacobus similiter. 412.
Logogryphi, eorumque exempla. I. 183.
Ludus de 15. Turcis, & 15. Christianis. I. 191. (*vide errata*) Ludus fasciculorum. 193. Ludus Puerorum jactantium invicem globos nivis. II. 369.
Ludus fortunæ, vulgo: *Giuoco d'azardo*, jussu Magnæ Catharinæ expulsus a Russia, describitur. I. 10. Item & ludus licitus, vulgo: *Giuoco di Commercio* describitur, studio Petri Barbarici in domo Aleatoria Venetiis pro illicitis proscripta non admissus. 267.
Lusus & arguriæ in litteris verbis &c. An deceant, & quando, I. a pag. 131. Et in nota 72.
Lyricum Poema. I. 66.

M

Maccaronica carmina. I. 151.
Manlius Torquatus Consulatum recusat. II. 392.
Marcolini M. Ant. Card. & ejus frater Jo: Gaston. laudatur. I. 289. 312. Marcolini Jo: Gastonis Villa. I. 318.
Maria Virgo immaculate concepta. I. 392. Ejus Conceptio; dotes animæ, & corporis &c. II. 86. &c. 109. &c. ejus mors. 119. Affectus Poetæ erga Mariam V. 122. Maria Virgo scientiarum studiosis magistra. 102. præsertim Eloquentiæ. 107. Mariæ Virg. Sanctissimæ de Lapa miraculosa gratia impertita Auctori. 298. Maria Virgo quot annos vixerit. 304.
Marinovich Josephus, ejus Ode Alcaica. II. 344.
Marques Emmanuel laudatur ut doctissimus Scriptor. II. 357.
Martins Antonius videt Puerum Jesum. II. 38. illi in suo corde tumulato Epitaphium conscribit. 41. Martins Ignatius ab Angelo tutelari doctus, & manu incorrupta inventus plures post ejus mortem annos. 155.
Matthæus Alexander Archiep. Ferrarien. laudatur. I. 345.
de Medeiros Gonzalus a Dæmone infestatus per Angelum tutelarem liberatur. II. 149.


image
not
available

Peracca Carolus ad Magiſtrum. II. 409.
Perez Salvator Vati ſæpius paravit hoſpitium. II. 362.
Philoponorum Academia laudatur. I. 353. *Cor.* 361.
Pii VI. valetudo recuperata. I. 393.
de Pinna, & Mello Franciſcus laudatur. I. 383.
Piſani Carolus ad Magiſtrum. II. 415.
Piſaurenſis Urbis deſcriptio. I. 300.
Piſaurus Franciſcus laudatur & plauſus &c. I. 277.
Pluviæ vota. II. 368.
Poematum varia genera. I. 48.
Pœnitentiæ, & Innocentiæ certamen pro D. Aloyſio. II. 173.
Poeſis laudat Joannem V. Port. Regem. I. 241.
Poetria fœmina laudatur. I. 428.
Proſopopœja. II. 243. &c.
Pſalmorum XLI. & LXXXIII. Paraphraſis. II 453. 456.
Pſittacorum certamen de B. Virgine ſine labe concepta. II. 109.
Pulpita duo deſcribuntur. II. 227.
Purgatorium meditationi propoſitum. II. 268.

Q

Quadrupane Joſeph laudatur. I. 378.
Quatuor Martirio Coronati. II. 232.
Quirini Angeli Villa deſcribitur magna ejus laude. I. 319. Iterum ejus Labyrinthus 325. Quirinus Card. Angelus Maria. 288.

R

Rainerius Paulus Dux Venet. laudatur, ejuſque effigies. I. 235.
S. Raphael Archangelus ad omnia proctetor. II. 159.
Realinus Bernardinus ad Puerum Jeſum. II. 32. inter ulnas Puerum Jeſum a B. Virg. accipit. 35.
Recitatricis cujuſdam laudes. I. 426.
Religio laudet Jo: V. Port. Regem. I. 239.
Religioſa Clauſtra ingredientes laudantur. II. a pag. 421.
Retz Franciſcus, & ad illum Auctoris Epiſtola. I. 219.
Rhetorice laudat Jo: V. Port. Regem. I. 241.
Righi Julius poema cogitabat. I. 375.
Robaccini Petrus ad Magiſtrum. II. 409.
Roberti Jo: Baptiſta laudatur. II. 347.
Rodrigues Ignatii erga Puerum Jeſum affectus, & devotæ induſtriæ. II. 76. &c.
Romerus Antonius a Puero Jeſu cruce ſignatur in fronte. II. 56.

Ro-

Roſaria B. Mariæ Virg. II. 300, 304.
Ruggia Hieronymus ad Magiſtrum. II. 414.
Ruis Antonius liberatur à naufragio ope B. V. II. 100.
Ruſticatio. II. 459. Juvenis tempore ruſticationis quomodo ſe gerere debet, ut in ſtudiis proficiat. Epiſtola Patris ad Filium. I. 372.

S

de Sampajo Emmanuel laudatur. II. 358.
Sapieja Joannes laudatur. I. 336.
Schſvarz Ignatius laudatur. II. 338.
Scurrile ingenium. II. 365.
Sepulchrum amatæ mulieris inviſitur. I. 415. 416.
Serrani Thomas laudatur. II. 357.
Servitus inter nobiles diverſi ſexus deſcribitur; Vulgo: *Cavalier Servente* à Ruſſia expellitur. I. 10.
Sevaroli Antoninus laudatur & ejus familia. I. 350. Cor.
de Sinceritate amatæ mulieris ſuſpicio. I. 430.
Slitta, ſpecies currus. II. 370.
Smiadirides Sybarita. II. 393.
Societas Jeſu viri in ea Sanctitate illuſtres I. a pag. 206. & paſſim.
Spada Thereſia laudatur. I. 334.
Spectaculum vulgo *Gioſtra*. I. 375.
Spinola Carolus Martyr in Japponia. II. 223.
Stella Jo: Antonius ad Magiſtrum. II. 415.
Stylus Carminis Heroici. I. 39. 44.
a Sybaritis morte mulctatur, qui mortis mentionem fecerit. II 392.
Sylva, ſpecies Carminis. I. 155.
Symbolum, ſpecies Poematis. I. 116.
Synalæphæ. I. 38.

T

Taciturnorum ingenium. II. 367.
Temporis fugacitas deſcripta. I. 118.
Ternarius numerus ludo poetico illuſtratus. II. 80.
Terræmotus Ulyſſiponen. I. 383.
Teſtori Jo: Petrus laudatur. I. 369. Ignatii ejus Patris ad eundem Epiſtola, & alia poemata ejus nomine. 371.
S. Thereſiæ viſio inſignis. II. 324.
Toreredux Ludovicus Angelum tutelarem ſibi ſuggerentem audit. II. 159.
de Torres Antonius, ad eum diffidentem Epiſtola. II 347.

ob Tur-

ob Turcarum arma timor incuſſus. I. 395.
Turcis ſatis fuit nota Magnæ Catharinæ tam terra quam mari poteſtas. I. 6.

V

Valenti Gonzaga Card. Sylvius, ejus Villa. I. 318. Card. Ludovicus Magno Patruo ſimilis; ſi laudatur. Dantis ſepulchrum reſtaurat. 336.
Vayle Gabriel a Puero Jeſu floribus coronatur. II. 47.
da Veiga Sebaſtianus laudatur. II. 358.
Venationis ingenium. II. 363.
Veninus Ignatius duplici Ode laudatur. II. 343.
Veras Joannes laudatur: I. 247.
Verſus in quo pede venuſtius conſiſtat. I. 34. Verſus Heroicus, Elegiacus, Dramaticus &c. I. 25. 54, 64. &c.
Vffreducci Annæ Mariæ Matronæ ſpectatiſſimæ Epicedion. I. 335.
Vignier Joannis quatuor Poemata. II. 162. ejus Minerval ad Auctorem hujus Operis. I. 274. ejus Epigramma. 345.
Vignoli Epiſcopi Forolivien. Hortus deſcribitur. I. 351.
ex Vino Poetarum œſtrum, & contra. II. 376.
Voltaire Epigrammatis in linguam Latinam, & Italicam verſio. I. 397.
Votorum renovatio in die Epiphaniæ. II. 166.
Urſi albi quomodo paſcantur hiberno tempore. II. 371.
Vultus B. Mariæ Virg. II. 93.

Z

Zagnoni Benedicta, carmine cæcis, ſeu arbitrariis notis ſcripto, vulgo *ciffra*, facile perlecto, laudatur. I. 328. Zagnoni Marchionis Joſephi Villa deſcribitur. 331.

ERRATA OMNINO CORRIGENDA TOMO I.

Pag. 9. 12 quas-quos . 14 ruerat-fuerat. Pag. 17 ibris-libris . 74 in nota queſt'?..-queſt' quando .... Feſte . 134 Valerius-Valeſius . Fœmina-Femina . 155 In ſtrophis Hiſpanis ritulus extra locum . 192 verſu 15 tam arte-Tam vile. Verſu 19 ſera arctat-ſera arcter . 236 Maximus-Maxumus Sultri-Sultis . promeritis-promeritis. murmura-mormora . 138 In ego-Illa ego . 159 Condomus-domus . 263 Labram ovet-Labra movet . 313 ſcriptum An. 1744.-ſcriptum An. 1774. 315 Ar grandia-Ad grandia. 383 metum metam .

Omitto qui, Æ , Pualus , rius , pro-quis , Oe, Prius, Paulus, & plura alia , quæ Lector facile legendo obſervat, item numeros male ordinatos .

In Appendice Carminum Italorum .

Son 2 v. 4 E. ſpaventoſo-C. ſpaventoſe
6 v. 12 E. concerto-C. concento
9 v. 8 ſtorie-ſtoria
10 v. 1 Tempo e-Tempo è
11 v. 4 Cor'-Tor'
12 v. 4 converſe-coverſe
ivi v. 12 E reo-E' reo
15 v. 5 Ville-Villa
v. 9. Quante-Quanto
16 v. 1 conſigliaro-ſconſigliato
18 v. 10 dà-Da'
23 v. 12 ſcioglia-ſciolga
24 v. 14 li iſpira ?-gl' iſpira i
26 v. 2 avvoglie-avvolge
27 v. 13 ſtuolo-ſtuol
28 v. 1 Qunque-Dunque
ivi v. 2 rui-ruoi
30 v. 12 uſcio-uſcìo
34 v. 7 piegata-piagata
v. 10 penſier, fere-penſier fero
38 v. 6 V'-U'
v. 10 o d'-od
42 v. 8 torno-tornò
Elegia v. 3 V'a-U'a
Canz. Str. 5 v. 7 V' tra-U' tra
Str. 8 v. 7 erbette-aurette
Str. 21 v. 1 e 4 V'-U'
Str. ultima v. 6 Fie ſolo che-Vien quando pur
Can. 2 Str. 2 v. 2 ſole i-ſol li
Str. 3 v. 4. Annemoli-Anemoni
Can. 3 Str. 1 v. 3 tempia-tempie

TOMO II.

Pag. 12 lin. 27 Crepuſcula-Corpuſcula . 20 Nos miſeros, nos-Nos miſeros, oh . 23 Quatuor nominativi pro Accuſarivis . 52 Compellet-Compellat . 53 Volutabo-Volirabo . 55 Naufragatur-Naufragat penæ , hortus-horti . 61 forer-fover . 74 Palis paleis . 88 totus-torus . 98 Tu modo-Fit modo . 100 Pendunt-Pendent . 115 Viſas-Viſus . 116 Cinctum-Cinctam . 120 & 261 fellugine-fuligine . 120 ſubſtirit menſus imſ.-ſubſtitit , immenſus . 153 Simili-ſimul . 154 Podum - Pedum . 162 Illuſtriſſimo-Sanctiſſimo . 184 Et motus-Eſt metus . 187 Inſcia-Inſcie . 199 Paſſ.., flect-Pars.... flectit . 202 Parthenis arguto-Parthenidis grato . Aedon (quæ-(Aedon , quæ . 207 Nam tibi-Non tibi . 266 vivos-rivos . 267 Nec tenuit . Nec renuit . 281 laudes-laude . 309 Plaudere-Plauſiſſe . 315 facilliorem-facilius . 335 In refectorio colapſione-Collectione librorum , quos ſecum ferre volunt, & jentaculo in Refectorio . 339 Sanatus-Senatus .

MAG 2016570